Guerin
Philosc
To. 2.

BIBLIOTECA

BIBLIOTECA
Montefusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 1414

BIBLIOTECA
Montefusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 144

E

3612

CLYPEUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

CONTRA VETERES ET NOVOS ejus Impugnatores,

AUTHORE R. P. F.

JACOBO CASIMIRO GUERINOIS, Cenomanensi, Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Tholosanæ, Strictioris Observantiæ, in Burdigalensi Academia Regio Antecessore.

In hoc opere veterum Philosophorum Dogmata, adversus Cartesii, aliorumque modernorum inventa, stabiliuntur.

TOMUS SECUNDUS

Complementum LOGICÆ complectens.

VENETIIS,
TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

BIBLIOTECA DEI MINORI CONVENTUALI
MO. SEFUSCO
LETT. PALG. N.
VOLUME N.

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEVIDEO
URUGUAY

INDEX

TOMI SECUNDI.

IN LIBRUM CATEGORIARUM ARISTOTELIS Proœmium. pag. 1

QUAEST. I. *De anteprædicamentis.* 3

ARTIC. I. *De Vnivocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis.* 4

ARTIC. II. *Reliqua anteprædicamenta explanantur.* 11

QUAEST. Secunda, *De ſubſtantiæ prædicamento.* 17

ARTIC. I. *Virum, & quid ſit ſubſtantia?* ibid.

ARTIC. II. *Quænam in prædicamento ſubſtantiæ collocentur?* 22

§. I. *Præcipua difficultas explanatur.* 24

§. II. *Adverſariorum objectiones ſolvuntur.* 28

§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 33

§. IV. *Virum & quomodo Chriſtus ſit in prædicamento ſubſtantiæ ponendus?* 36

ARTIC. Tertius, *Proprietates ſubſtantiæ explanantur.* 43

§. I. *Priores proprietates exponuntur.* ibid.

§. II. *Aliæ proprietates explicantur.* 46

QUAESTIO Tertia, *De Prædicamento quantitatis.* 52

ARTIC. Primus, *Virum quantitas realiter à ſubſtantia diſtinguatur?* 53

§. I. *Sententiæ referuntur, veraque ſententia elibid. gitur.*

§. II. *Præcipuæ objectiones ſolvuntur.* 61

§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 67

ARTIC. Secundus, *An & quomodo ſubſtantia materialis integrales habeat partes?* 71

§. I. *Difficultas triplici conclusione explanatur.* 73
§. II. *Adversariorum argumenta solvuntur.* 79
§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 86
§. IV. *Satisfit aliis argumentis.* 93
ARTIC. III. *In quo essentia quantitatis consistat?* 99
§. Unicus, *Objectiones solvuntur.* 103
ARTIC. Quartus, *Quotuplex sit quantitas?* 111
§. I. *Quædam præmittuntur.* *ibid.*
§. II. *Quinque conclusionibus difficultas explanatur.* 113
§. III. *Adversariorum objectiones solvuntur.* 118
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.* 124
ARTIC. V. *Vtrum numerus sit vera & propriè dicta quantitatis species?* 127
§. I. *Quædam prænotantur.* *ibid.*
§. II. *Conclusio affirmans stabilitur.* 130
§. III. *Objectiones solvuntur.* 135
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.* 140
§. V. *Vtrum oratio sit vera & propriè dicta quantitatis species?* 145
ARTIC. VI. *Proprietates & coordinatio quantitatis explicantur.* 150
QUAEST. IV. *De Prædicamento relationis.* pag. 156
ARTIC. I. *An, quid, & quotuplex sit relatio?* 157
§. Unicus, *Quotuplex sit relatio prædicamentalis?* 162
ARTIC. II. *Quomodo relatio à fundamento distinguatur?* 169
§. I. *Sententiæ referuntur.* *ibid.*
§. II. *Eadem conclusio aliis rationibus suadetur.* 174
§. III. *Satisfit adversariorum objectis.* 179

§. IV.

§. IV. *Aliæ objectiones solvuntur.* 185
ARTIC. III. *Quis sit relationis terminus?* 193
§. I. *Sententiæ referuntur, & quæ vera sit, declaratur.* 194
§. II. *Satisfit adversariorum objectis.* 199
§. III. *Aliæ objectiones solvuntur.* 206
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.* 211
ARTIC. IV. *Vnde unitas vel distinctio relationum desumatur?* 217
§. I. *Quædam prænotantur, totaque difficultas explanatur?* 218
§. II. *Vera sententia eligitur ac probatur.* 222
§. III. *Objectiones contra primam conclusionem solvuntur.* 226
§. IV. *Objectiones contra secundam conclusionem diluuntur.* 232
ARTIC. V. *De proprietatibus relationis, ejusque coordinatione.* 238
§. Unicus, *Quædam objectiones solvuntur.* 241
QUAEST. V. *De Prædicamento qualitatis.* pag. 244
ARTIC. I. *An, quid, & quotuplex sit qualitas?* 245
§. I. *Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones solvuntur.* 250
§. II. *Aliæ objectiones diluuntur.* 254
ARTIC. II. *Prima qualitatis specie explicatur.* 259
§. I. *Variæ objectiones diluuntur.* 264
§. II. *Aliæ objectiones solvuntur.* 268
ARTIC. III. *Secunda qualitatis species exponitur.* 274
§. I. *Tota difficultas explanatur.* 278
§. II. *Satisfit adversariorum objectis.* 282
ARTIC. IV. *Tertia qualitatis species explanatur.* 291

§. Unic.

INDEX
§. I. *Difficultas triplici conclusione exp*
73
§. II. *Adversariorum argumenta sol*
79
§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.*
§. IV. *Satisfit aliis argumentis.*
ARTIC. III. *In quo essentia quantitatis co*
99
§. Unicus, *Objectiones solvuntur.*
ARTIC. Quartus, *Quotuplex sit quanti*
111
§. I. *Quædam præmittuntur.*
§. II. *Quinque conclusionibus difficultas exp*
tur.
§. III. *Adversariorum objectiones solvu*
118
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.*
ARTIC. V. *Virum numerus sit vera & proprie dicta quantitatis species?*
§. I. *Quædam prænotantur.* *ibid.*
§. II. *Conclusio affirmans stabilitur.*
§. III. *Objectiones solvuntur.*
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.*
§. V. *Virum oratio sit vera & propriè dicta quantitatis species?*
ARTIC. VI. *Proprietates & coordinatio quantitatis explicantur.*
QUAEST. IV. *De Prædicamento relationis.*
156
ARTIC. I. *An, quid, & quotuplex sit relatio*
157
§. Unicus, *Quotuplex sit relatio prædicamentalis?*
ARTIC. II. *Quomodo relatio à fundamento distinguatur?*
§. I. *Sententiæ referuntur.* *ibid.*
§. II. *Eadem conclusio aliis rationibus suadetur*
174
§. III. *Satisfit adversariorum objectis.*

§. IV.

alia scitu digna, explicantur. 368
ARTIC. Secundus, *De cæteris postprædicamentis.* 375

LOGICÆ MAJORIS PARS Altera. 381
QUAEST. Unica, *De propositione.* 382
ARTIC. I. *Sit-ne propositio mentalis, simplex qualitas?* ibid.
§. I. *Sententiæ referuntur, & quæ vera sit declaratur.* 384
§. II. *Satisfit adversariorum objectis.* 388
§. III. *Aliæ objectiones solvuntur.* 392
ARTIC. II. *Vtrum & quomodo propositiones singulares contradictoriæ de futuro contingenti, sint veræ, vel falsæ, determinatè?* 400
§. I. *Quædam alia præmittuntur.* 403
§. II. *Prior difficultas enodatur.* 409
§. III. *Alia ad eamdem difficultatem pertinentia referuntur.* 413
§. IV. *Secunda difficultas explanatur.* 418
§. V. *Tertia difficultas explanatur.* 423
§. VI. *Adversariorum objectiones solvuntur.* 427
§. VII. *Aliæ objectiones diluuntur.* 432

LOGICÆ MAJORIS PARS Tertia. 440
QUAESTIO Prima, *De Syllogismo demonstrativo, seu de demonstratione.* 441
ARTIC. Primus, *Quid, & quotuplex sit demonstratio; & quas habeat proprietates?* ibid.
ARTIC. Secundus, *Quomodo præmissarum assensus influant in conclusionis assensum?* 452
§. I. *Sententiæ referuntur, & vera eligitur.* 453
§. II. *Objectiones solvuntur.* 457
§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 461
ARTIC. Tertius, *Vtrum, & quomodo, præmissarum demonstrationis assensus necessitent intellectum ad conclusionis assensum?* 465

§. I.

BIBLIOT. MONTEFUSCO

§. Unicus, *Quædam objectiones solvuntur.* 294
ARTIC. Quintus, *Explicatur ultima qualitatis species.* 300
ARTIC. Sextus, *Proprietates qualitatis exponuntur.* 305
ARTIC. Septimus, *De Prædicamenti qualitatis coordinatione.* 310
QUAEST. Sexta, *De sex ultimis prædicamentis.* 313
ARTIC. Primus, *In quo essentialiter sita sint sex ultima prædicamenta?* 314
§. I. *Difficultas explanatur.* 315
§. II. *Quædam objectiones solvuntur.* 321
ARTIC. Secundus, *De actione, & passione.* 324
§. I. *Quid sint actio, & passio; & quæ actiones ac passiones in his prædicamentis ponantur?* 327
§. II. *Præcipuæ objectiones solvuntur: coordinatio hujus duplicis prædicamenti, & ejus proprietates, explicantur.* 331
ARTIC. III. *De prædicamento ubi.* 336
§. I. *Tota difficultas explicatur.* 337
§. II. *Quædam objectiones solvuntur, & proprietates hujus prædicamenti explicantur.* 341
ARTIC. Quartus, *De prædicamento situs.* 344
ARTIC. Quintus, *De prædicamento quando.* 348
ARTIC. Sextus, *De prædicamento habitus.* pag. 351
ARTIC. VII. *Quomodo prædicamenta inter se distinguantur?* 355
§. Unicus, *Quædam objectiones solvuntur.* 359
QUAESTIO Septima, *De postprædicamentis.* 363
ARTIC. I. *De oppositis.* *ibid.*
§. Unicus, *Aliæ oppositiones duæ, & quædam alia*

alia ſcitu digna, explicantur. 368
ARTIC. Secundus, *De cæteris poſtprædicamentis.* 375

LOGICÆ MAJORIS PARS Altera. 381
QUAEST. Unica, *De propoſitione.* 382
ARTIC. I. *Sit-ne propoſitio mentalis, ſimplex qualitas?* *ibid.*
§. I. *Sententiæ referuntur, & quæ vera ſit declaratur.* 384
§. II. *Satisfit adverſariorum objectis.* 388
§. III. *Aliæ objectiones ſolvuntur.* 392
ARTIC. II. *Vtrum & quomodo propoſitiones ſingulares contradictoriæ de futuro contingenti, ſint veræ, vel falſæ, determinatè?* 400
§. I. *Quædam alia præmittuntur.* 403
§. II. *Prior difficultas enodatur.* 409
§. III. *Alia ad eamdem difficultatem pertinentia referuntur.* 413
§. IV. *Secunda difficultas explanatur.* 418
§. V. *Tertia difficultas explanatur.* 423
§. VI. *Adverſariorum objectiones ſolvuntur.* 427
§. VII. *Aliæ objectiones diluuntur.* 432

LOGICÆ MAJORIS PARS Tertia. 440
QUAESTIO Prima, *De Syllogiſmo demonſtrativo, ſeu de demonſtratione.* 441
ARTIC. Primus, *Quid, & quotuplex ſit demonſtratio; & quas habeat proprietates?* *ibid.*
ARTIC. Secundus, *Quomodo præmiſſarum aſſenſus influant in concluſionis aſſenſum?* 452
§. I. *Sententiæ referuntur, & vera eligitur.* 453
§. II. *Objectiones ſolvuntur.* 457
§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 461
ARTIC. Tertius, *Vtrum, & quomodo, præmiſſarum demonſtrationis aſſenſus neceſſitent intellectum ad concluſionis aſſenſum?* 465

§. I.

ELIOT MONTEFUSCO

§. I. *Quæ sit vera sententia, declaratur.* *ibid.*
§. II. *Objectiones solvuntur.* 470
§. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 474
QUÆSTIO Ultima, *De Syllogismo probabili, atque fallaci.* 479
ARTIC. I. *Præcipui probabiles loci explicantur.* 480
ARTIC. Ultimus, *Quæ frequentiùs fiunt sophismata, exponuntur.* 482

Finis Indicis Secundi Tomi.

IN

IN LIBRUM CATEGORIARUM ARISTOTELIS

PROOEMIUM.

ARISTOTELES hujus operis author, natione Macedo, patria Stagirites, fuit; natus est (ut vult Apollodorus) ann. 1. Olympiadis 99. ante Christum ann. 371. aut, ut alii volunt, annis 329. Socratis discipulus fuit ad annum vigesimum, & inde Platonis ad annum quadragesimum. Tum accersitus est à Philippo Persarum Imperatore ad instruendum Alexandrum Magnum, quindecim annorum juvenem; qui plus Aristoteli, quàm Philippo patri, debere se palam profitebatur; quòd à Philippo *vivere* tantùm, & ab Aristotele, *rectè vivere* recepisset.

Philippus autem tanti eum fecit, ut patriam ejus, quam anteà solo æquaverat, exædificari jusserit. Post septennium Athenas profectus Lycæum aperuit, & per tredecim fere annos publicè Philosophiam docuit, sectamque Peripateticam; seu à loco, qui *deambulatorium* dicebatur, seu quòd ambulando do-

doceret, ita nuncupatam, inſtituit.

Accuſatus autem, quòd de Diis & Religione malè ſentirer, ſponte profugus, ſeveritatem Areopagi in Socrate hac de cauſa expertam declinavit. Obiit anno ætatis 63. in Chalcide Euboæ inſulæ, lacrymiſque priùs effuſis, (ut teſtantur Rodiginus lib. 6. cap. 34. aliique Authores) primam cauſam imploravit, his verbis: *Cauſa cauſarum miſerere mei.* Reliquit verò ſuæ Cathedræ ſucceſſorem Theophraſtrum Diſcipulum.

Quàm multos porro libros conſcripſerit, vix credi poteſt. Philoſophiam omnem, ac logicam maximè, primus in ordinem digeſſit, eam que certa ratione aut methodo pertractavit. Major tamen librorum Ariſtotelicorum pars temporum injuria periit; imò multi eorum qui extant, ab eo conſcripti negantur: inter illos autem eſt Liber iſte Categoriarum, quem Jamblicus Philoſophus Platonicus ipſius eſſe negat, teſte Boetio: cæteri tamen affirmant; eo quòd idem ſit ſtillus, phraſis ac ſubtilitas non abſimilis, & conſentiens doctrina cum aliis ipſius operibus; unde ejus meminit 1. Topico. cap. 7. item lib. 3. Phyſ. cap. 1. & lib. 5. cap. 1. in fine, & alibi. Olim ab Eccleſiæ Patribus, veluti de divinis malè ſentiens, & præcipuus fidei hoſtis ſummis odiis exagitatus eſt. Cæterùm modò à D. Thoma purgatus, illuſtratus, & (ut aliquis dixit) penè baptizatus eſt. Hinc ex omnibus antiquis Philoſophis nunc in ſcholis Chriſtianis ſolus auditur.

Vulgò autem liber iſte inſcribitur: *Ariſtotelis Categoriæ.* Vocabulum verò *Categoriæ*, ut credidit Porphyrius, ex Græca voce, quæ accuſationem ſignificat, derivatur: fortè, quia ſicut ille, qui alium accuſat in judicio, ordinare ſolet crimina, quæ reo objicit; ita in Categoriis ordinantur & diſponuntur prædicata, quæ primæ ſeu ſingulari ſubſtantiæ tribuuntur. Alii volunt, nomen *Categoriæ* derivari ex alia voce Græca, quæ enuncia-

ciationem aut prædicationem designat; adeò ut singulæ Categoriæ sint quædam multorum prædicatorum series seu classes, in quibus varia prædicata sub uno genere summo ordinatè disponuntur, ita ut superiora de inferioribus verè rectèque enuncientur: ut infrà patebit. Hinc unaquæque Categoria *Predicamentum* nuncupatur; cujus vocabuli Boetium authorem faciunt.

Liber ille in tres dividetur partes. Prima erit de ante-predicamentis. Secunda differet de ipsis prædicamentis. In tertia de post-prædicamentis disputabitur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Anteprædicamentis.

ANteprædicamenta sunt quædam ad prædicamentorum explicationem & notitiam præmittenda & præcognoscenda. Aristoteles autem sua anteprædicamenta quatuor primis capibus comprehendit. In primo tradit definitiones æquivocorum, univocorum, & denominativorum; quibus nos addemus definitionem & doctrinam analogorum. In secundo agit de complexis & incomplexis; ut ostendat, quæ ponni debeant in prædicamentis, & quæ excludi. In tertio duas tradit regulas, seu duo instrumenta, ad cognoscenda pleniùs ea, quæ prædicamentis collocantur. In quarto demum distribuit ens in decem Categorias. Hæc omnia exactè expendemus in hac quæstione prima.

Articulus Primus.

De univocis, æquivocis, analogis, & denominativis.

UNivocum aliud est *univocans*, & alterum *univocatum*. Primum est nomen, quod dicitur univocum, quodque significat rationem communem in pluribus simpliciter eamdem, id est, eodem planè modo illis convenientem: ejusmodi est hoc nomen *animal*, quo significatur ratio *viventis sensitivi*, quæ utique eodem prorsus modo homini & bruto convenit. Univoca verò univocata dicuntur ea, quæ in nomine univoco, & in ratione per ipsum significata, simpliciter conveniunt. Hujusmodi sunt *homo*, & *brutum*: etenim & in nomine *animalis*, & in ratione per nomen illud designata, videlicet in ratione *viventis sensitivi*, univocè ac simpliciter consentiunt. Hinc constat rectè definiri ab Aristotele univoca univocata: *Ea quorum nomen commune est, & ratio per illud nomen significata eadem*. Univoca dicuntur etiam *synonima*.

Æquivocum aliud etiam est *æquivocans*, & aliud *æquivocatum*. Primum est nomen æquivocum, id est, nomen commune, in quo plura omninò diversa conveniunt quidem, non tamen in aliqua ratione determinata per nomen illud denotata. Æquivoca verò æquivocata sunt ea, quæ sunt omninò inter se diversa, conveniunt tamen in eodem nomine communi, licèt non consonent in aliqua ratione per nomen ejusmodi designata. Hinc istud nomen, *Gallus*, est æquivocum æquivocans respectu Galli Gallinacei, & hominis in Gallia nati: Gallus verò Gallinaceus, & homo in Gallia natus, sunt duo æquivoca æquivocata. Definiuntur autem vel describuntur æquivoca æquivocata hoc modo:

Æqui-

Æquivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est: ratio verò substantiæ, nomini accommodata, diversa. Cujus definitionis vel descriptionis sensus est, æquivoca æquivocata esse ea, quæ quidem idem commune nomen obtinent; sed tamen substantias seu naturas habent, quæ per respectum ad nomen illud sunt omninò diversæ quatenus hæ naturæ in nulla ratione per ejusmodi nomen significata conveniunt.

Alia verò sunt æquivoca *à casu*, & alia *à consilio*. Priora sunt purè & simpliciter æquivoca; dicunturque ea, quibus veluti casu & fortuitò idem nomen impositum est: hoc modo istud nomen, *Taurus*, Monti, cœlesti syderi, & animali, datum videmus.

Posteriora autem sunt, quibus idem nomen consultò & ex deliberatione tribuimus, videlicet propter aliquam convenientiam eorum inter se: isto modo hoc nomen, *sanum*, animali, medicinæ, & urinæ, impertimur. Hæc sunt æquivoca amplè solùm ac secundùm quid; strictè verò & simpliciter sunt analoga, de quibus infrà dicetur. Æquivoca appellãtur quoque homonyma.

Paronyma autem, seu denominativa, inquit Aristoteles, *ea dicuntur, quæ nominis appellationem habent ab aliquo, à quo differunt casu*; sic *Grammaticus* appellationem nominis habet è Grammatica, & *album* ab albedine. Hæc verò differunt casu, id est, cadentia & terminatione nominis à forma, à qua denominationem seu appellationem sortiuntur. Nonnunquam tamen denominativum minimè differt casu à forma denominante: sic mulier habens artem Grammaticæ, verè & propriè denominatur *Grammatica*; & tamen non differt casu à *Grammatica*, sumpta pro arte mulierem illam denominante.

Tria verò in quolibet denominativo sunt consideranda: nimirum forma, à qua sumitur denominatio; ut *albedo*, à qua subjectum denominatur *album*: diciturque *forma denominans*:

ſitum, quod denominatur; ut nix, quæ *alba* ab albedine nuncupatur, diciturque *ſubjectum denominatum*: & denique compoſitum ſeu concretum ex forma denominante & ſubjecto denominato, v. g. ex albedine, & ex nive; dicitur que *denominativum*.

Dividitur autem in denominativum *denominans*; eſtque nomen ſignificans compoſitum ex forma denominante, & ex ſubjecto denominato cujuſmodi eſt hoc nomen, *album*: & in denominativum *denominatum*; eſtque præfatum compoſitum; cujuſmodi eſt concretum ex albedine & nive conſtitutum.

Dividitur rurſus in *denominativum eſſentiale*, & in *denominativum accidentale*. Primum eſt, quando denominatio fit à forma eſſentiali ſubjecto denominato: ſic *homo* ab humanitate denominatur. Secundum eſt, quando denominatio provenit à forma, quæ accidentaliter ſubjecto convenit; iſto modo nix ab albedine denominari cenſetur. Communis verò eſt ſententia, ſolum denominativum accidentale propriè rationem *denominativi* obtinere. Hinc apud Philoſophos idem eſt de aliquo prædicari *denominativè*, ac de illo prædicari *accidentaliter*.

Analogia Græcum nomen eſt, ſignificans proportionem, proportionalitatem, & comparationem. Utuntur verò dialectici nomine illo ad ſignificandam convenientiam & habitudinem aliquarum rerum, ob quam comparari poſſunt, vel inter ſe, vel ad unum tertium, cum diverſitate ſimpliciter dicta, modo infrà explicando. Unde analoga medium inter univoca, & purè æquivoca, obtinent locum: etenim univoca ſimpliciter conveniunt, & in communi nomine, & in communi ratione per nomen ſignificata: æquivoca verò in ſolo nomine communi conſentiunt: analoga autem conſonant quidem non tantùm in nomine communi, ſed etiam in ratione aliqua per nomen ſignificata; at non ſimpliciter,

ſed

ſed ſecundùm quid dumtaxat; prout infrà exponetur.

Analogum verò aliud eſt *analogans*, & aliud *analogatum*. Primum eſt nomen ſignificans rationem communem, in multis ſimpliciter diverſam, ſecundùm quid tamen eamdem: huiuſmodi eſt nomen *Entis* reſpectu Dei & creaturarum; Deus quippe & creaturæ aliquo quidem modo in ratione entis conveniunt: quandoquidem Deus & creaturæ ſunt verè entia: attamen in ratione illa ſunt ſimpliciter diverſa; quoniam Deus modo infinito eam obtinet, & creaturæ illam modo finito participant. Analoga verò analogata definiri vel deſcribi poſſunt ſto modo: *Analoga ſunt ea, quorum nomen commune eſt; ratio autem per illud nomen ſignificata, ſimpliciter diverſa, & ſecundum quid eadem*. Ejuſmodi ſunt Deus & creaturæ, quibus nomen *entis* commune eſt, & in quibus ratio per nomen illud deſignata, eſt quidem eadem ſecundùm quid, ſed ſimpliciter diverſa; ut liquet ex modò dictis.

Apud Ariſtotelem verò 1. Ethic. c. 4. vel 6. & ad Peripateticos communiter, alia ſunt analoga *attributionis*, alia ſunt analoga *proportionis*, *proportionalitatis*. Cajetanus in Tract. de nomine Analogia cap. 2. & 3. definit vel deſcribit analoga attributionis hoc modo: *Attributionis analoga ſunt ea, quorum nomen commune eſt; ratio verò ſecundum illud nomen, eſt eadem ſecundum terminum, & diverſa ſecundum habitudinem ad illum*. Ejuſmodi ſunt animal, medicina, & urina in quantùm ſana. In primis enim commune nomen obtinent, videlicet *ſani*. Deinde ratio per nomen illud deſignatum, *ſanitas*, eſt eadem ſecundùm quid: etenim ſanitas ab illis quatuor in ſanis, per modum communis terminatur, eſtque idem illorum omnium ipſorum ſanientium terminus. Attamen ipſa ſanitas

OTECA

pectus ad eam: illa quippe quatuor
universo planè modo sanitatem respiciunt: ani-
mal namque illam respicit, ut subjectum ejus:
medicina, ut ipsius causa restitutiva: diæta, ut
causa illius conservativa: & urina, ut ipsius signũ.

Dicitur verò analogia *attributionis*; quoniam
in ea magis principale analogatum ratione for-
mæ sibi intrinsecæ, denominationem extrinse-
cam alii minùs præcipuis analogatis attribuit:
sic v. g. animal sanum ratione *sanitatis* sibi intrin-
secæ, denominat medicinam, diætam, & uri-
nam, extrinsecè *sanas*; denominatur quippe
medicina extrinsecè sana, quia est restitutiva sa-
nitatis animalis causa; diæta dicitur sana, quo-
niam ejusdem sanitatis causa est conservativa;
demùm urina nuncupatur sana, quia eamdem
designat sanitatem.

Ex Cajetano autem loco citato, tres ad ana-
logiam attributionis conditiones requiruntur.

Prima (quam etiam assignat Angelicus Doctor
4. Metaph. Lect. 1.) est, ut ratio seu forma per
nomen analogum denotata, intrinseca sit soli a-
nalogato principali, aliis verò minùs præcipuis
analogatis extrinsecè solùm conveniat; videlicet
per denominationem extrinsecam, à principali
analogato provenientem, modo dicto: sic v. g.
sanitas intrinseca est soli animali; medicina au-
tem, diæta, & urina, extrinsecè solùm à sani-
tate animalis sanæ denominantur.

Secunda conditio est, ut ratio significata per
nomen, sit numero una, nec in analogatis nu-
mericè multiplicetur; eo enim ipso, quòd ratio
illa intrinsecè competit soli analogato principali,
& aliis minùs principalibus analogatis extrinsecè
tantùm convenit, necessè non est, ut in eis nu-
mericè multiplicetur, sed potiùs ipsa una nume-
ro permaneat: hinc alia non est sanitas in anima-
li sano, alia in medicina, alia in diæta, & alia
in urina; sed eadem numero sanitas, quæ ani-

mal

mal intrinsecè sanum denominat, extrinsecè etiam medicinam, diætam, & urinam, denominat sanas. Hanc conditionem tradit D. Thomas loco citato, & 1.2.q.20.a.3. ad 3.

Tertia conditio est, quòd analogatum principale in definitione cæterorum ponatur: cùm enim cætera analogata minùs principalia respiciant principale ut terminum, & ab eo in sua denominatione dependeant; nec intelligi, nec definiri possunt, nisi per habitudinem ad ipsum, adeò ut per modum termini connotati in eorum definitione ponatur. Hinc medicina, ut sana, definitur: *Causa sanitatis animalis restitutiva*: diæta: *Causa conservativa sanitatis animalis*: & urina sana: *Sanitatis animalis signum*. In quibus definitionibus principale analogatum, nempè *animal*, per modum termini connotati ponitur. Hæc conditio traditur quoque à D. Thoma 1. p. q.13. a.6. Hinc ex communi effato: *Analogum absolutè prolatum stat, seu accipitur, pro principali analogato*. Hinc etiam in analogia attributionis, nomen analogum primò & per se atque directè significat principale analogatum: cæterò solùm secundariò, quasi per accidens, ac [illegible]sè, quatenus à principali analogato denominatur.

[illegible]loga proportionalitatis definiuntur à Ca[illegible] Tract. citato cap. 3. *Ea, quorum nomen est [illegible]ce; & ratio secundùm illud nomen, est pro[illegible]liter eadem, aut secundùm proportionem*

Etenim sunt aliqua nomina, quæ as[illegible]uere ad significanda plura secundùm [illegible]uidem simpliciter diversas; sed tamen [illegible]lam comparatione, proportione, & [illegible]ne inter illa: hoc patet in exemplo, [illegible] Aristoteles 1. Ethic. cap. 4. vel 6. [illegible] *visu*, qui dicitur & de intellectu, [illegible] corporeo: ut enim se habet ocu[illegible]s, ita cum quadam comparatione, [illegible] & similitudine, intellectus ad ani-

mam; quatenus oculus repræsentat corpori objecta visibilia, eo proportionali modo, quo intellectus repræsentat res intelligibiles animæ; licèt ratio *visus* in oculo corporeo, & in intellectu, simpliciter diversa inveniatur.

Tres etiam conditiones ad analogiam proportionalitatis exiguntur. Prima est, ut ratio per nomen analogum significata, sit omnibus analogatis intrinseca: ut unumquodque analogatum sit intrinsecè alteri proportionatum. Ex qua conditione sequitur altera; nempè, quòd ratio per nomen analogum denotata, realiter in analogatis multiplicetur: eo enim ipso, quòd ratio illa est singulis analogatis intrinseca, realiter in eis multiplicetur necesse est.

Tertia conditio in hoc consistit, quòd unum analogatum non definiatur per respectum ad alterum, tamquam ad terminum & formam denominantem. Ratio petitur ex dictis; ostensum enim est, unumquodque analogatum proportionalitatis non denominari ab altero, sed à ratione seu à forma sibi intrinseca. Attamen unum analogatum proportionalitatis definitur per ordinem ad alterum, sicuti ad mutuum extremum proportionalitatis; unde dicitur rectè: *Sicuti oculus est id, quo corpus visibilia attingit; ita proportionaliter intellectus est facultas, qua anima percipit intelligibilia.*

Dividi autem potest analogia proportionalitatis in propriam, & impropriam. Analogia proportionalitatis propria est ea, in qua ratio per nomen analogum significata, propriè in singulis analogatis reperitur: hoc modo ratio videndi, seu intuitivè cognoscendi, in oculo, & in intellectu invenitur. Impropria autem proportionalitatis analogia est illa, in qua ratio per analogum nomen designata, propriè uni analogato, & impropriè ac meraphoricè aliis competit: hoc modo *videre* se habet respectu hominis, & prati florentis; quia sicut homo dicitur se habe-

iere in hilaritate, dum ridet; ita proportionali-
er pratum, dum floret; risus autem soli ho-
nini propriè, prato verò improprie tantùm &
netaphoricè competit.

Articulus Secundus.

Reliqua ante-prædicamenta explanantur.

Secundum anteprædicamentum est entis in complexum, & incomplexum, distributio, quam Philosophus his terminis tradit: *Eorum, quæ dicuntur, alia cum complexione dicuntur, & alia sine complexione.* Priora sunt, quæ pluribus conceptibus ab intellectu apprehenduntur, & termino complexo exprimuntur. Terminus verò propriè complexus constat ex duobus vel pluribus terminis incomplexis & similibus, duas vel plures naturas completas significantibus, quæ quidem naturæ non nisi duobus vel pluribus conceptibus possunt ab intellectu apprehendi: sic v. g. si quis dicat: *homo albus*: cum complexione loquitur, quoniam tunc est terminus complexus, ex duobus illis terminis incomplexis, *homo* & *albus*, compositus; quibus duobus terminis complexis duæ naturæ completæ, nempè *humanitas* & *albedo*, in concreto designantur; sicuti & duobus conceptibus ab intellectu percipiuntur. Quod verò sine complexione dicitur, illud est, quod unico actu ab intellectu concipitur, & termino incomplexo enotatur; ejusmodi est *homo*.

Tertium ante-prædicamentum est regula ista: *Quando aliquid prædicatur de aliquo subiecto, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de subiecto.* Quæ quidem regula vertit intelligenda de his, quæ enunciantur de prædicato,

tanquam rationes reales & quidditativæ, vel tanquam proprietates reales. Sic quia *animal* verè de homine prædicatur; idcircò quidquid realiter de animali dicitur, vel tanquam prædicatum quidditativum aut essentiale, vel tanquam realis ejus proprietas, verè quoque de homine enunciatur: hinc quia *substantia*, *corpus*, *vivens*, &c. *dormitivum*, *vigilativum*, *visivum*, *auditivum*, &c. verè de animali asseruntur, verè etiam de homine affirmantur: eo enim ipso, quòd rationes & proprietates reales realiter in prædicato continentur, ipsum prædicatum sequuntur; & ideò necesse est, ut ei conveniant, cui competit prædicatum. Excipiuntur tamen communiter formalitates secundò intentionales generis, speciei, &c. quæ quandoque conveniunt prædicato, licèt subjecto non competant. Unde non valet hic syllogismus: *Animal est genus: atqui homo est animal: ergo homo est genus.*

Quartum ante-prædicamentum est alia règula his terminis comprehensa: *Diversorum generum & non subalternatim positorum diversæ sunt essentiales differentiæ: subalternatim verò positorum nihil prohibet, easdem esse differentias essentiales.* Genera subalternatim posita dicuntur ea, quorum unum ponitur sub altero, eo ordine, ut genus superus de inferiori directè prædicetur: isto modo in prædicamento substantiæ, sub *substantia* ponitur *corpus*, sub *corpore* collocatur *vivens*, & sub *vivente* invenitur *animal*. Genera verò subalternatim non posita, ea censentur, quorum unum sub altero non ponitur, licèt ambo sub uno tertio collocentur: ejusmodi sunt *animal* & *planta*; quamvis enim ambo sub vivente ponantur, adeò ut *viventis* rationem participent; attamen neque *planta* sub *animali*, neque *animal* sub *planta*, collocatur; nec unum de altero directè prædicatur.

Ita-

Itaque quando plura genera ſubalternatim ponuntur, eædem differentiæ eſſentiales & ſpecificæ contrahunt immmediatè genus proximum, & mediatè contrahunt omnia genera ſuperiora: hoc patet in *rationali* & *irrationali*, quæ immediatè contrahunt *animal*; mediatè verò contrahunt *vivens*, *corpus* & *ſubſtantiam*, quibus *animal* ſubalternatur. Unde ſicuti rectè dicitur: *Homo eſt animal rationale*: ita rectè dici poteſt: *Homo eſt vivens rationale: eſt corpus rationale: eſt ſubſtantia rationalis*, &c.

Ratio autem eſt, quia omnia genera ſuperiora ſubalternatim poſita, in infimo genere ſibi ſubalternato, tanquam prædicata eſſentialia continentur (ſic v. g. *ſubſtantia*, *corpus*, & *vivens*, in *animali* includuntur ſicut prædicata ejus eſſentialia) & ideò dum genus infimum ab aliquibus differentiis eſſentialibus ac ſpecificis immediatè contrahitur, genera ſuperiora in ipſo mediatè ab illis contrahuntur. Quia verò dum genera ſunt diſparata, aut ſubalternatim non poſita, unum in altero non continetur (neque enim *animal* in *planta*, vel *planta* in *animali* includitur) ideò non debent tunc differentiæ eſſentiales ac ſpecificæ, unum genus immediatè contrahentes, aliud mediatè contrahere. Minimè tamen repugnat, quòd duo genera ſubalternatim inter ſe non poſita, per eaſdem differentias accidentales contrahantur & dividantur: ſic v. g. animal greſſibile & animal volatile, quæ inter ſe non ſubalternantur, ambo per *bipes*, & *quadrupes*, ſicuti per differentias accidentales, contrahuntur & dividuntur.

Primum ante-prædicamentum eſt diviſio generis complexi in decem prædicamenta. Quam methodum primus tenuit Architas Tarentinus, teſte Iamblico, apud Boetium. Averroes tamen primum ejus authorem eſſe Ariſtotelem ait. Diviſionem verò illam tradit expreſsè Philoſophus in librum Categoriarum cap. 4.

cap. 4. & primo Topico. cap. 7. indèque famosa extitit, eique calculum suum dedere posteriores ferè omnes Philosophi, tamquam probabiliori. Hujus autem divisionis bonitas ex eo satis colligitur, quòd, ut infrà constabit, omnia entia prædicamentalia comprehendit; nec ullum assignari potest ens prædicamentale, quod ipsa non complectatur.

Definiri autem vel describi potest prędicamentum: *Series sive coordinatio prædicabilium de aliquo individuo, superiorum & inferiorum, sub uno summo genere*. In hujusmodi autem serie magis universalia sunt priori loco ponenda, & posteriori loco minùs universalia; inchoando à summo genere, & progrediendo usque ad individua. In hoc verò discrepant *prædicamentum*, & prædicabile, seu universale: quòd istud sit unicus gradus superior de inferioribus prædicabilis, illud autem sit multorum graduum, superiorum & inferiorum, de aliquo individuo prædicabilium series.

Ut autem unusquisque seriem prædicabilium superiorum & inferiorum in quolibet prædicamento valeat efformare, placet exemplum pro substantiæ prædicamento subjicere; apponendo hìc *arborem Porphyrii*, sic communiter nuncupatam; quoniam author ille in cap. de specie, primus omnium istam prædicabilium substantialium seriem, in modum arboris, coordinavit. Linea recta, quæ medium obtinet, trunci officio fungitur; duæ verò lineæ, quæ in lateribus inveniuntur, ramorum vices gerunt.

In linea recta ponuntur genera & species, de quibus supremum genus substantiæ directè prædicatur. In duabus verò lineis indirectis & collateralibus collocantur differentiæ, quæ obtinent duo muncra. Quælibet enim differentia contrahit ac dividit genus superius, & constituit speciem immediatè sub illo collocatam.

Duo-


Tom. 2. pag. 14.
Arbor Porphirii
Linea
Linea
Sub Stan tia
Dividitur
Dividitur
In Corpo reum
In Incorpo reum
Constituit
Repugnat
Cor pus
Colla
In
In Anima tum
In Inanima tum
Dividitur
Dividitur
Constituit
Repugnat
Vi vens
In Insensi bile
In Insensi bile
Dividitur
Dividitur
Constituit
Repugnat
Ani mal
In Irratio nale
In Irratio nale
Dividitur
Dividitur
Constituit
Repugnat
Ho mo
Petrus
Paulus

Duobus autem modis aliquid potest in prædicamento poni: nimirum, vel directè, vel indirectè. Ea primo modo in prædicamento ponuntur, quæ in recta linea sub summo genere collocantur, adeò ut summum genus directè de eis prædicetur. Illa verò indirectè sunt in prædicato ponenda, quæ vel tamquam differentiæ, vel tamquam partes, vel tamquam modi, ad intrinsecam constitutionem rei directè in prædicamento collocatæ pertinent, & in lineis indirectis ac collateralibus reponuntur.

Ut autem aliquid directè in aliquo ex decem infra afferendis prædicamentis collocetur, prima conditio est, ut sit *ens reale*: etenim adducemus dumtaxat prædicamenta, quæ sint entium simpliciter dictorum series: sola autem entia realia sunt entia simpliciter dicta; entia verò rationis sunt entia secundùm quid tantummodò, aut veluti entium umbræ.

Secunda conditio est, ut sit universale & prædicabile; quandoquidem recta seu directa prædicamenti linea est prædicabilium series; ut ex diis constat: hinc *individuum*, seu *singulare*, nequaquam ponitur, sicut intrinseca prædicamenpars; sed dumtaxat velut basis, cui totum ædicamentum innititur; eo proportionali do, quo tota arbor suæ inest radici.

ertia conditio est, ut ens prædicamentale sit *ocum*: ut enim modò dictum est, debet esse ersale, quod est simpliciter unum in multis; que nequit esse æquivocum (æquivoca e sunt simpliciter multa omninò diversa, solo nomine convenientia) vel analogum doquidem analogum significat multa simr diversa, & secundùm quid dumtaxat ua ratione convenientia; ut suprà explaest) sed univocum sit necesse est.

ta conditio est, ut ens prędicamenta*incomplexum*: etenim ens complexum unum simpliciter, sed secundùm quid

so-

per aggregationem, quatenus plu
complectitur simul aggregata; qua ratio-
ne *homo albus* humanitatem & albedinem si-
mul aggregatas complectitur.

Quinta conditio est, ut ens prædicamenta-
le sit *per se unum*: nam quod per accidens
solùm est unum, tale est secundùm quid, &
per aggregationem tantummodò.

Sexta conditio est, quòd ens prædicamen-
tale sit *ens completum & totale*. Hinc par-
tes, & modi, in recta prædicamenti linea
minimè collocantur. Quòd verò ens prædi-
camentale debeat esse ens completum & to-
tale, ex eo colligitur, quòd debeat esse uni-
versale; omne autem universale sit totum po-
tentiale est necesse; ut ex dictis liquet.

Septima tamdem & ultima conditio est, ut
ens prædicamentale sit *finitum*; quandoquidem
debet collocari ac limitari sub uno genere su-
premo.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De ſubſtantiæ Prædicamento.

APud Peripateticos *ſubſtantia* inter cætera prædicamenta primum ordine dignitatis ac doctrinæ ſibi vendicat locum; ideòque de ea primo loco agendum eſt. De ſubſtantia verò inquirendum occurrit, an, quid, & quotuplex ſit; & quæ ſint ejus proprietates?

ARTICULUS PRIMUS.

Virum, & quid ſit ſubſtantia.

NOmen *ſubſtantiæ* multas habet acceptiones. Primò ſumitur pro eſſentia cujuſlibet rei. Hinc in ſcholis dici ſolet, aliam eſſe ſubſtantiam albedinis, & aliam nigredinis: licèt albedo & nigredo non ſint res ſubſtantiales, ſed ſint accidentia prædicamentalia.

Secundò accipitur quantum ad derivationem aut impoſitionem nominis; *ſubſtantia* dicitur nominatur ex eo, quòd ſubſtet accidenti; eo proportionali modo, quo *lapis* nuncupatur ex eo, quòd pedes lædat.

Tertiò uſurpatur ſecundùm rem per nomen ſignificatam, latè pro eo omni, quod in ſuo eſſe ſubjecto inhæſionis independens; & ſub hoc modo ſpectata comprehendit quidquidnion eſt accidens ſubjecto inhærens, ſive ſubſtantia completa, ſive incompleta, vel modus ſubſtantialis.

Quòd tandem ſtrictè ac magis propriè pro ſub-

ſtan-

stantia completa, & directè in linea ejusmodi prædicamenti posita, quæ rectè definitur aut describitur: *Ens per se completè subsistens*. Dicitur in primis *ens*, in quo analogicè cum accidente convenit, adeò ut substantia & accidens analogicè conveniant in communi ratione entis.

Additur, quòd sit *per se subsistens*, id est, existens per se independenter à subjecto inhęsionis; in quo differt ab accidente, quod inhæret subjecto, & dependenter ab illo existit. Dicitur tandem, quòd per se *completè* subsistat; id est, quòd per modum naturæ completæ ac totalis subsistat; & in hoc distinguitur à substantia partiali & incompleta, quæ partialiter solùm ac incompletè, seu ad modum naturæ partialis & incompletæ, per se subsistit. Hinc substantia completa per se subsistit, *ut quod*, id est, tamquam id, quod per se subsistit. Substantia verò incompleta subsistit, *ut quo*, hoc est, sicut id, quo componitur substantia completa, quæ per se subsistit.

Dices: bona definitio debet omni definito convenire, ut communiter docent Philosophi: atqui allata substantię definitio non convenit omni definito, id est, omni substantiæ completæ, & directè in linea prædicamentali collocatæ, v. gr. non competit humanæ Christi naturæ, utpote, quę non subsistit per se, seu per propriam subsistentiam, sed per subsistentiam divini Verbi, sicuti fides docet; ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. licèt enim humana Christi natura per se, seu per propriam subsistentiam, non subsistat in actu exercitò, benè tamen in actu signato, ac secundùm exigentiam: nam quamvis exercitè subsistat per subsistentiam divini Verbi, attamen ex se propriam subsistentiam humanam semper exigit. Dum autem substantia completa & prædicamentalis definitur: *Ens per se completè subsistens*, hoc in actu signato venit intelligendum.

Dices rursus: bona definitio debet soli definito con-

onvenire: atqui definitio superiùs posita, soli
efinito, nimirum soli substantiæ prædicamen-
li, non convenit, sed accidenti etiam non-
umquam competit: ergo &c. Prob. min. ex-
mplo accidentium Eucharisticorum, quæ di-
initùs sine subjecto per se subsistunt.

Respondeo concessa ma. negando min. sensus
uippe illius definitionis est, substantiam prædi-
amentalem esse ens completum, exigens ex se,
ut ex sua natura, per se absque subjecto subsiste-
: quod nulli accidenti competere potest; si-
uidem licèt accidentia Eucharistica per se, sine
bjecto, divinitùs subsistant; ex se tamen, &
x sua natura, exigunt inhærere subjecto, & in
o, ac dependenter ab ipso, existere.

Quæres, per quid constituatur substantia præ-
ocamentalis, prout ab accidente distinguitur.
Respondeo, substantiam prædicamentalem, ut
accidente distinctam, constitui per perfectio-
m positivam, qua superat accidens in eo, quòd
a ex se exigat subsistere in se, independenter
inhæsionis subjecto. Primariò quippe ista per-
ctio in substantia, concipitur, tamquam pro-
iectatum ejus radix: hinc habet, quòd possit
ciidentibus substare; ut dictum est.

Ex dictis constat, utrum, & quid sit substan-
a prædicamentalis: ipsa siquidem definita est
prìà; definitio verò quid res sit, exponit. Li-
ceit etiam, esse plura entia completa per se
bsistentia, & accidentibus substantia; quæ
iqiue sunt substantiæ prædicamentales.

Quotuplex verò sit substantia, colligitur ex
us divisione. Dividitur autem primò in substan-
am completam, & in substantiam incompletam.
bstantia completa, est substantia totalis; cujus-
odii est *homo*. Substantia verò incompleta, est
mpletæ substantiæ pars, vel differentia, vel mo-
us, &c. sic v. g. *anima rationalis*, *rationale*, & *sub-
stentia*, dici possunt substantiæ incompletæ.

Substantia completa subdividitur in creatam &
in-

increatam, hæc eſt Deus ipſe. Illa verò ſub ſe complectitur omnes ſubſtantias creatas completas ac totales. Rurſus ſubſtantia completa creata dividitur in corpoream ſive materialem, & in incorpoream ſive immaterialem ac ſpiritualem. Iſta omnes Angelos ſub ſe continet; etenim omnes Angeli ſunt ſubſtantiæ completæ & ſpirituales, à corpore ſeparatæ, & à materia omninò independentes. Illa autem omnium corporum genera ſpecies ac individua comprehendit.

Inſuper celebris eſt diviſio ſubſtantiæ prædicamentalis in primam, & ſecundam. Subſtantia prima eſt ſubſtantia particularis, ſingularis & individua; ut Petrus. Subſtantia ſecunda eſt ſubſtantia ſeu ſubſtantialis natura univerſalis; hujuſmodi ſunt naturæ ſubſtantiales genericæ ac ſpecificæ. Dicitur verò *prima ſubſtantia*, quoniam primò ac ratione ſui, & ſubſiſtit per ſe, & accidentibus ſubſtat. *Subſtantia* autem *ſecunda* ſic nuncupatur, quia ſecundò & ratione ſubſtantiæ primæ ſubſiſtit, & accidentibus ſubeſt; neque enim homo v. g. in univerſali aut in communi ſubſiſtit, accidentibuſque ſubſtat; ſed in Petro, Paulo, & aliis individuis humanis. Hinc ſubſtantia prima ab Ariſtotele dicitur magis ſubſtantia, quàm ſecunda.

Ait verò Ariſtoteles, ſubſtantiam primam eſſe *illam, quæ neque dicitur de ſubjecto, neque eſt in ſubjecto*. Aſſerit etiam, ſubſtantiam ſecundam eſſe *illam, quæ de ſubjecto dicitur, in ſubjecto autem non eſt*. Quorum verborum ſenſus eſt, ſubſtantiam primam eſſe illam, quæ neque per modum gradus ſuperioris dicitur de ſubjecto prædicationis, neque ineſt ſubjecto inhæſionis: ſubſtantiam verò ſecundam eſſe eam, quæ, tamquam gradus ſuperior, de ſubjecto prædicationis dicitur; ſubjecto tamen inhæſionis non ineſt.

Quòd autem diviſio ſubſtantiæ prædicamentalis in primam & ſecundam ſit bona & adæquata, ex eo colligitur, quòd omnis ſubſtantia prædicamentalis, vel eſt prima ſeu ſingularis, vel eſt ſe-

ecunda ſive univerſalis. Diviſio verò illa non eſt eneris in ſpecies; etenim omnis ſpecies eſt uni-erſalis; nulla autem ſubſtantia prima eſt uni-erſalis, ſed quęlibet ſubſtantia prima eſt ſingu-aris; ſicuti apud omnes Peripateticos certum ſt. Eſt ergo dumtaxat diviſio ſubjecti in acci-entia; adeò ut ſubſtantia dividatur in *ſingula-itatem* & *univerſalitatem*, quę ſunt accidentia ationis ſubſtantię prędicamentali, velut ſubje-to, per intellectum advenientia.

Dices: in bona diviſione debent membra divi-entia ſe ſe mutuò excludere; juxta communem hiloſophorum doctrinam: atqui in allata ſub-antię diviſione, membra dividentia ſe ſe non ex-iudunt; ſed ſubſtantia prima includit ſecundam: ggo &c. Prob. min. ſubjectum includit prędica-um: atqui ſubſtantia prima ſeu ſingularis eſt bjectum, & ſubſtantia ſecunda ſive univerſalis t prędicatum; etenim ſubſtantia univerſalis ve-de ſingulari prędicatur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. in bona diviſione bient membra dividentia ſe ſe, ex parte ſuarum rmalitatum, mutuò excludere, concedo: debent embra dividentia ſe ſe, ex parte materię aut bjecti hujuſmodi formalitatum, mutuò exclu-re, nego: licèt verò in allata ſubſtantię diviſione embra dividentia ſe mutuò non excludant ex rte materię aut ſubjecti formalitatum, ſe ſe ta-en excludunt ex parte hujuſmodi formalita-m.; nam quamvis in ſubſtantia prima includa-ratio naturę ſubſtantialis, cui tamquam ma-ię, ſeu ſubjecto, advenit formalitas ſubſtantię unidę, adeò ut illa ſubſtantialis natura verè de ſtantia prima prędicetur: attamen formalitas ſtantię ſecundę nequaquam convenit ſubſtan-primę, nec de illa verè prędicari poteſt.

Dices rurſus: in bona diviſione, totum, quod i ditur, non debet eſſe omninò idem cum mem-, ïin quod fit diviſio; alioquin idem divi-etur in ſe ipſum: atqui in diviſione prędata ſub-

ſtan-

ſtantiæ, totum, quod dividitur, eſt omninò idem cum membro, in quod fit diviſio: ergo &c. Prob. min. totum, quod ibi dividitur, eſt ſubſtantia in communi: atqui ſubſtantia in communi eſt omninò eadem cum ſubſtantia ſecunda, quæ eſt alterum membrum dividens, ſive ſubſtantia in communi eſt ipſamet ſubſtantia ſecunda ſeu univerſalis: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo maj. totum, quod ibi dividitur, eſt ſubſtantia in communi negativè ſumpta prout nempè, neque eſt ſubſtantia ſingularis, neque ſubſtantia univerſalis, ſed abſtrahens ab utraque, concedo: eſt ſubſtantia in communi poſitivè accepta, prout videlicet poſitivè, actu, ac de facto, eſt univerſalis, nego: & diſtinguo ſimiliter min. atqui ſubſtantia in communi poſitivè accepta, eſt omninò eadem cum ſubſtantia ſecunda, &c. concedo: atqui ſubſtantia in communi negativè ſumpta, eſt omninò eadem cum ſubſtantia ſecunda, &c. nego.

Articulus Secundus.

Quænam in prædicamento ſubſtantiæ collocentur?

SUppono ex communi Philoſophorum doctrina, omnes ſubſtantias completas purè creatas, directè in prædicamento ſubſtantiæ collocari. Cùm enim non ſint actus purus, ſed ſint entia potentialia ac finita; nihil impedit, ne illarum eſſentia ex gradu potentiali, & gradu actuali, id eſt, ex genere & differentia, & componantur & finiantur: ſubſtantia verò completa, cujus eſſentia conſtat ex genere & differentia, directè in hoc prædicamento ponitur; ut fatentur omnes.

Itaque ſuppoſito, quòd omnes ſubſtantiæ completæ, purè creatæ, ſint directè in ſubſtantiæ prædicamento collocandæ, difficultas eſt de ſubſtantia

ntia completa purè increata, quæ eſt *Deus* in ſe ſubſiſtens; & de ſubſtantia completa, increata quidem, ſed in natura creata & humana ſubſiſtente, quæ uno vocabulo dicitur *Chriſtus*.

Quatuor ſunt Authorum ſententiæ. Prima affirmat, Deum poni directè in prædicamento ſubſtantiæ. Ita docent Gregorius Ariminenſis, Gabriel, & Major, in 1. diſtinct. 8. item Robertus Olkot q. 6. Marſilius q. 10. & alii. Cui etiam ſententiæ favet Vaſquez 1. p. diſp. 22. c. 3. ubi admittit in Deo compoſitionem ex genere & differentia; impugnatque rationes, quibus D. Thomas probat, Deum in prædicamento non contineri.

Secunda ſententia præcedenti oppoſita, aſſeruit è contrà, Deum directè in prædicamento ſubſtantiæ ſedem non habere. Ita docent D. Tho. 1. p. q. 3. art. 5. & alibi, & Thomiſtæ cum illo, quibus conſentiunt Scotiſtæ, cum ſuo præceptore: item Molina, Suarez, Valen. Iub. Conimbri. & alii, tum Philoſophi, tum Theologi communiter.

Tertia ſententia aſſèverat, nec etiam Chriſtum, ut hominem, aut humanæ naturæ individuum, directè in hoc prædicamento collocari. Hanc ſententiam tuentur Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. Baſolis, & Durandus ibidem.

Quarta tamdem ſententia fatetur quidem, Deum in ſua natura ſubſiſtentem non eſſe in ſubſtantiæ prædicamento ponendum; docet tamen, Deum incarnatum, ſeu Chriſtum ut hominem, & verum humanæ ſpeciei individuum, eſſe ſubſtantiam directè prædicamentalem. Quam ſententiam defendunt D. Thomas 3. p. q. 12. ar. 3. & alibi, nec non Doctores communiter.

§. I.

§. I.

Præcipua difficultas explanatur.

DIco 1. Deus in se subsistens, non est directè in prædicamento substantiæ ponendus.

Hanc conclus. tradunt SS. Patres pluribus in locis. In primis enim D. Dionysius ait, *Deum esse potiùs supersubstantiam, quàm substantiam*; quibus verbis indicat, Deum sub prædicamento substantiæ non comprehendi, sed potiùs illud transcendere.

Præterea Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. cap. 5. dicit, *Deum neque genus, neque speciem, neque individuum esse*. Omnis autem substantia directè in hoc prædicamento posita, vel est genus, vel species, vel individuum.

Insuper D. Augustinus lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 3. recensitis prædicamentis, subjungit; *Ab his omnibus proprietas summæ essentiæ evidenti ratione excluditur*.

Rursus D. Anselmus in Monologio ca. 26. ait: *Illa substantia nullo communi tractatu substantiarum* (id est nullo substantiæ prædicamento) *includitur; à cujus essentiali communione omnis natura excluditur*.

Prob. 1. ratione fundamentali, quam insinuat D. Thomas 1. p. qu. 3. art. 5. & alibi: quidquid directè ponitur in prædicamento substantiæ, vel est genus, vel species, vel individuum: atqui Deus, nec est genus, nec species, nec individuum: ergo &c. Ma. apud omnes Peripateticos certa est. Prob. min. & primò quidem Deus non est genus: tum quia genus solet habere sub se plures species essentialiter ac specificè differentes; repugnat verò, dari plures Deos essentialiter & specificè distinctos: tum etiam quia genus est gradus potentialis; Deus verò est actus purissimus, omnis potentialitatis expers.

Ex quo sequitur, Deum non esse speciem; quan-

quandoquidem species ex genere & differentia, seu ex gradu potentiali & gradu actuali, debet componi; Deus autem utpote summè actualis, summèque simplex, careat omni potentialitate, & compositione, necesse est. Deinde quaelibet species solet plura habere individua solo numero differentia; non dantur verò, nec dari possunt plures Dii solo numero distincti.

Denique Deus non est aliquod individuum directè in prædicamento substantiæ constitutum; etenim omne individuum propriè dictum debet includere in se naturam specificam ex genere & differentia compositam: hæc autem compositio repugnat Deo, ut ex dictis liquet.

Respondent 1. adversarii, genus & differentiam esse partes, non physicas, sed metaphysicas, speciem metaphysicè componentes: unde genus est quidem gradus potentialis; at non potentialitate physica, sed metaphysica: quamvis verò compositio & potentialitas physica repugnet Deo; non tamen cõpositio & potẽtialitas metaphysica.

Sed contra sic argumentor: idcircò compositio & potentialitas physica Deo repugnat, quia Deus in ordine physico est actus simplex & purus: ergo cùm etiam Deus in ordine metaphysico sit actus simplex & purus, illi quoque repugnat compositio & potentialitas metaphysica.

Respondent 2. compositionem & potentialitatem realem repugnare quidem Deo, non tamen compositionem & potentialitatem rationis: compositio autem ex genere & differentia, est quidem vera, sed rationis tantùm; sicut potentialitas generis.

Sed contra sic argui potest: licèt compositio ex genere & differentia, sit compositio rationis, non tamen rationis ratiocinantis, seu sine ullo à parte rei fundamento operantis; sed est opus rationis ratiocinatæ, seu cum legitimo à parte rei fundamento objectum concipientis; quandoquidem apud Peripateticos, cõpositio ex genere

& differentia, non est opus chimericum, sed est opus in re fundatum: fundamentum verò compositionis ex genere & differentia, seu ex gradu potentiali & actuali, nihil aliud esse potest à parte rei, præter permixtionem potentialitatis & actualitatis, quæ à parte rei inveniatur; permixtio autem potentialitatis (& ita imperfectionis) & actualitatis, in Deo à parte rei nequit reperiri.

Similiter genus, ut gradus potentialis, est quidem opus rationis; at non est opus purè fictium, & rationis ratiocinantis; sed est opus ratiocinatæ, quod à parte rei exigit fundamentum: gradus verò potentialis fundari nequit, ut talis, in aliquo à parte rei, nisi illud sit potentiale; in Deo autem, utpotè actu purissimo, nihil potentiale à parte rei inveniri potest.

Prob. 2. quæ directè in prædicamento substantiæ collocantur, univocè in supremo genere hujus prædicamenti conveniunt; quandoquidem convenientia generica est univoca: atqui Deus cum creaturis univocè in supremo genere hujus prædicamenti non convenit: ergo &c. Prob. min. quando duo univocè in ratione communi conveniunt, debent æqualiter, & quasi una voce, eam obtinere; hinc namque dicitur *Univoca convenientia*: atqui Deus & creaturæ æqualiter non obtinent rationem supremi generis hujus prædicamenti, sive rationem substantiæ: ergo &c. Prob. min. ea æqualiter rationem substantiæ non obtinent, quorum unum obtinet rationem substantiæ per essentiam ac modo finito; alterum verò habet rationem substantiæ per participationem ac modo finito; ibi namque est manifesta inæqualitas: atqui Deus obtinet rationem substantiæ per essentiam, ac modo infinito; creaturæ verò (substantiales) habent rationem substantiæ per participationem, & modo finito; etenim Deus est res substantia per essentiam atque infinita, creaturæ verò (substantiales) participatæ & finitæ substantiæ revera sunt: ergo &c.

Ref-

Respondent adversarii, Deum, & substantiam creatam, inæqualiter quidem se habere; at non ex parte rationis communis substantiæ, sed ex parte differentiarum dumtaxat, quibus Deus, & substantia creata, ab invicem distinguuntur; inæqualitas verò ex parte differentiarum, univocam convenientiam non impedit: sic v. g. homo & brutum, univocè in *animali* conveniunt, quamvis ex parte differentiarum, scilicet ex parte *rationalis*, & *irrationalis*, inæqualiter se habeant.

Sed contra sic argumentor: communis ratio substantiæ consistit in eo, quòd sit *ens per se subsistens*; ut ex dictis constat: atqui Deus, & substantia creata, inæqualiter se habent in ratione *entis per se subsistentis*; quandoquidem Deus subsistit per essentiam, & modo infinito; substantia verò creata subsistit per participationem, & finito modo: ergo &c.

Prob. 3. quod directè in aliquo prædicamento ponitur, finitum est: atqui Deus non est finitus, sed potiùs est simpliciter infinitus: ergo &c. Mi. certa est. Prob. maj. finitum illud dicitur, quod terminis clauditur: atqui quod directè in aliquo prædicamento ponitur, terminis ejusmodi prædicamenti clauditur: ergo &c. Min. ex eo liquet quòd id, quod directè in prædicamento substantiæ v.g. collocatur, ad ipsum limitatur, adeò ut in prædicamento quantitatis, vel in aliquo alio prædicamento, minimè reponatur.

Explicatur ampliùs: prædicamenta sunt modi particulares seu speciales essendi, in quos ens reale dividitur: atqui Deus sub nullo particulari seu speciali modo essendi directè reponitur; sed potiùs totam essendi plenitudinem eminenter in se complectitur: ergo &c. Hoc argumentum desumitur ex D. Thom. Opusc. 42. cap. 3.

§. II.

Adversariorum objectiones solvuntur.

OBjic. 1. ex D. Augustino lib. 5. de Trin. prædicamenta substantiæ, relationis, & actionis, Deo conveniunt: ergo Deus directè in prædicamento substantiæ ponitur.

Respondeo exponendo, & distinguendo ant. ex D. Augustino &c. prædicamenta substantiæ, &c. Deo magis propriè & eminenter conveniunt, concedo: Deo propriè ac formaliter conveniunt, nego ant. & conseq. Itaque D. Augustinus loco citato vult solùm ponere discrimen inter substantiam, relationem, actionem, & cætera prædicamenta; sive inter nomina substantiæ, relationis, atque actionis, & aliorum prædicamentorum nomina; quòd illa verè Deo tribuantur, non ista; neque enim verè dici potest, Deum esse *quantum*, *qualem*, *vestitum*, &c.

Cæterùm nomina *Substantiæ*, *relationis*, & *actionis*, non significant in Deo formales participationes supremorum generum *Substantiæ*, *relationis*, & *actionis*; sed designant rationes quasdam divinas, actualissimas & infinitas, eminenter continentes naturas *Substantiæ*, *relationis*, & *actionis*; atque eminentes supra *Substantiæ*, *relationis*, & *actionis* prædicamenta, non autem directè sub ipsis comprehensas.

Objic. 2. Aristoteles 22. Metaph. c. 1. ubi divisit ens in prædicamenta, dividit substantiam in mobilem, & immobilem, & sub immobili ponit Deum, cap. 7. ejusdem lib.

Respondeo, Aristotelem in 1. ca. dividere ens in decem prædicamenta; & in c. 7. sequenti dividere substantiam, non prædicamentalem, sed transcendentalem, in mobilem sive creatam, & immobilem seu increatam, quæ Deus est.

Respondeo rursus, quòd dum Philosophus di-

stri-

stribuit substantiam in mobilem, & in immobilem, sive increatam, & increatam; non est divisio substantiæ prædicamentalis in membra inferiora, quæ sub ipsa directè collocentur: sed est prædicamentalis substantiæ distributio in effectum, & in causam universalissimam; ita ut Deus, seu substantia increata, sit universalissima omnium substantiarum prædicamentalium causa; & omnes substantiæ mutabiles ac creatæ, directè in prædicamento substantiæ positæ, sint effectus ejusmodi causæ.

Similiter dum ipse Philosophus 1. Ethic. cap. 6. ait, bonum per essentiam, quod Deus est, esse in omnibus prædicamentis: dicendum est, bonum per essentiam esse in omnibus prædicamentis seu categoriis, non per modum inferioris directè sub ipsis contenti, sed per modum causæ efficientis universalissimæ.

Eodem modo exponendus est D. Damascenus, asserens lib. de Decr. primar. instit. c. 7. Deum esse in genere summo substantiæ; & in Elementario c. 8. affirmans, in genere generalissimo substantiæ inveniri supersubstantialiter increatam Deitatem.

Dicendum enim est, Deum esse in genere summo substantiæ, & increatam Deitatem in genere generalissimo substantiæ inveniri, non per modum inferioris directè sub genere illo collocati, sed per modum causæ universalissimæ eorum omnium, quæ tamquam inferiora directè in illo genere reponuntur.

Inst. Aristoteles 10. Metaph. text. 7. asseverat, esse in genere substantiæ unam primam substantiam, quæ mensura est cæterarum; atque ibi Commentator, talem substantiam primam esse primum motorem, qui Deus est.

Respondeo 1. primum motorem, seu Deum, quam primam omnium creaturarum mensuram, esse in genere substantiæ, non ad modum inferioris directè sub ipso comprehensi,

illud ad modum causę efficientis universalissimę.

Respondeo 2. Deum motorem primum esse in genere substantię, non sicut mensuram homogeneam, intrinsecam, & proportionatam; sed sicuti mensuram heterogeneam, extrinsecam, & excedentem; quæ nimirum totum substantię genus, seu prędicamentum, eminenti modo transcendit.

Objic. 3. ens non in subjecto existens, est substantia: atqui Deus est ens non in subjecto existens; si enim existeret in subjecto, foret & accidens; cujus formalis ratio, utpotè imperfecta, Deo repugnat: ergo Deus est substantia: proindèque est directè in prędicamento substantię. Ita arguit Avicenna 2. Metaph. cap. 1.

Respondeo distinguendo ma. ens non in subjecto existens, est substantia vel finita & potentialis, vel infinita & summè actualis, concedo: est substantia semper finita & potentialis, nego: licèt autem directè in prędicamento substantię ponatur substantia potentialis & finita, constans genere & differentia; non tamen substantia summè actualis (ac proinde generis, seu gradus potentialis, expers) atque infinita; qualis est Deus.

Inst. illud directè ponitur in prędicamento substantię, cui directè convenit definitio prędicamentalis substantię; ut patet: atqui substantię prędicamentalis definitio directè convenit Deo: ergo &c. Prob. min. prędicamentalis substantia definitur: *Ens per se completè subsistens*: atqui illa definitio directè convenit Deo, qui vere est ens per se completè subsistens: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. prædicamentalis substantia definitur: *Ens per se completè subsistens*; modo potentiali & finito, concedo: modo summè actuali & infinito, nego: Deus verò est ens per se completè subsistens, non modo potentiali & finito, sed modo summè actuali & infinito.

Objic. 4. omnis species substantialis est directè

in

in prædicamento substantiæ; ut patet: atqui Deus est species substantialis: ergo &c. Prob. min. species substantialis est, quæ de pluribus substantiis solo numero differentibus *in quid* completum prædicatur: atqui Deus de pluribus substantiis solo numero differentibus, nimirum de tribus personis divinis, *in quid* completum prædicatur: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. etenim species proprie dicta debet de pluribus in natura differentibus numero prædicari: tres autem personæ divinæ in natura minimè differunt numero, sed potiùs unicam numero naturam omninò immultiplicatam obtinent.

Inst. ea natura est specifica, quæ definiri potest; sola etenim species ratione sui, per genus & differentiam definitur: atqui natura Dei potest definiri, assignando id, in quo cum creaturis convenit, & id, per quod ab illis distinguitur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ea natura est specifica, quæ propriè & strictè definiri potest, concedo: quæ impropriè solùm & latè definiri potest, nego; licèt autem natura Dei impropriè & latè definiri possit, inquantùm assignari potest ratio communis analoga, in qua convenit divina natura cum creaturis; sicut & ratio propria, qua à creaturis diversa est: nequit tamen propriè ac strictè definiri, adducendo rationem communem univocam & genericam, in qua univocè cum creaturis conveniat; & differentem rationem, qua propriè à creaturis distinguit. Hinc divina natura non propriè definitur, sed describitur.

Urgeb. illa natura propriè potest definiri, quæ genere & differentia componitur: atqui Deus hujusmodi: ergo &c. Maj. apud Peripateticos certa est. Prob. min. compositio ex genere & differentia minimè Deo repugnat: ergo nihil impedit, ne Deus ex genere & differentia componatur. Prob. ant. compositio rationis non repugnat

gnat Deo; est quippe dumtaxat denominatio extrinseca proveniens ab intellectu concipiente objectum ad modum rei compositæ: atqui compositio ex genere & differentia est compositio rationis; ut docent communiter Philosophi: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. nego ant. Ad prob. ejus, distinguo ma. compositio rationis ratiocinantis, seu sine ullo à parte rei fundamento operantis, non repugnat Deo, transeat; compositio rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento à parte rei agẽtis, non repugnat Deo, nego: etenim existens à parte rei fundamẽtum alicujus imperfectionis repugnat Deo, utpote enti perfectissimo: sicut autem compositio realis est imperfectio secundùm rem; ita compositio rationis ratiocinatę est imperfectio secundùm rationem. Compositio verò ex genere & differentia est compositio rationis ratiocinatæ, ex communi Philosophorum doctrina. Dum autem dicitur, compositionem rationis esse dumtaxat denominationem extrinsecam provenientem ab intellectu objectum concipiente ad modum rei compositæ; hoc verum est de compositione rationis ratiocinantis, sed id falsum est de compositione rationis ratiocinatæ; ista enim consistit formaliter in secunda intentione objectiva, resultante ex operatione intellectus objectum ad modum rei compositæ concipientis.

Urgeb. rursus: ut Deus sufficienter à creaturis distinguatur, satis est, ut realiter non componatur: ergo nihil impedit, ne Deus per rationem ex genere & differentia componatur. Ant. ex eo constare videtur, quòd nulla potest assignari creatura, in qua compositio realis non reperiatur.

Respondeo negando ant. ut enim Deus sufficienter à creaturis distinguatur, satis non est, ut in Deo sit aliquid, quod creaturis non competat; sed necesse est, ut in Deo inveniatur eo modo,

do, quo Deus exigit: Deus autem, ob summam & infinitam simplicitatem & actualitatem, requirit, non solùm, ut in eo non sit compositio realis, quæ in creaturis reperitur; verùm etiam, ut in ipso non sit compositio rationis ex genere & differentia; quoniam fundamentum hujus compositionis summam Dei simplicitatem & actualitatem lædit; ut ex dictis liquet.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBJIC. 5. & urgeb. ampliùs: distinctio rationis ratiocinatæ nequaquam repugnat summæ unitati Dei; ut communiter docent & Philosophi, & Theologi: ergo etiam compositio rationis ex genere & differentia minimè repugnat summæ illius simplicitati & actualitati.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ non officit summæ unitati Dei; fundamentum quippe illud est eminentia entitatis Dei, quæ licèt realiter sit una, æquivalet tamen pluribus perfectionibus realiter distinctis in creaturis; at fundamentum compositionis rationis ex genere & differentia, scilicet permixtio potentialitatis & actualitatis, quæ à parte rei inveniatur, opponitur summæ simplicitati & actualitati Dei.

Instab. ibi secundùm rationem datur compositio, ubi secundùm rationem datur distinctorum unio; compositio siquidem nihil aliud est, quàm distinctorum unio: atqui in Deo secundùm rationem reperitur distinctorum unio: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ibi secundùm rationem datur compositio, ubi secundùm rationem datur distinctorum se se mutuò excludentium unio, concedo: ubi secundùm rationem datur distinctorum se se invicem includẽtium unio, nego;

nego; quæ enim componunt totum, sunt partes; est verò de ratione partium, ut se mutuò excludant: in Deo autem secundùm rationem reperitur quidem unio distinctorum se se invicem includentium, non tamen unio distinctorum se se mutuò excludentium; quæ enim in Deo secundùm rationem uniuntur, non excludunt se se, sed potiùs se mutuò includunt, adeò ut unum actu in altero implicitè contineatur; sicuti apud Theologos explicatur.

Dices: genus includit differentias specificas, quãdoquidem ad eas sicuti totum ad partes comparatur: & tamen genus secundùm rationem cum differentiis specificis verè species componit: ergo pariter licèt unum prædicatum in Deo includat alterum, attamen secundùm rationem unum cum altero verè potest Deus componere.

Respondeo negando paritatem: disparitas est, quòd genus continet quidem differentias specificas, at non actu, sed in potentia solùm; unde genus se habet ad differentias specificas sicut totum, non actuale, sed potentiale tantùm: at unum prædicatum in Deo actu implicitè includit alterum, quamvis ipsum non exprimat.

Objic. 6. quod *in quid* de pluribus essentialiter differentibus prædicatur, illud enunciatur ut genus; genus quippe definitur: *Quod de multis specificè differentibus in quid prædicatur*: atqui dum substantia de Deo & creaturis substantialibus enunciatur, de pluribus essentialiter differentibus *in quid* prædicatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod *in quid* de pluribus essentialiter differentibus univocè prædicatur, illud enunciatur ut genus, concedo: quod *in quid* de pluribus essentialiter differentibus analogicè prædicatur, illud enunciatur ut genus, nego; & juxta hanc distinctionem exponenda est definitio generis superiùs allata. Dum autem substantia de Deo & Creaturis substantialibus enunciatur, de pluribus essentialiter differentibus

rentibus *in quid* prædicatur, non univocè, sed analogicè tantumodò.

Objic. ultimò: potest Deus ut subjectum poni in propositione; ut patet, dum dicitur: *Deus est bonus*: ergo & in prædicamento collocari potest.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd ut aliquid in prædicamento directè collocetur, requiritur, ut intrinsecè per genus & differentiam limitetur, quod Deo simpliciter infinito repugnat: ut autem aliquid tanquam subjectum in propositione ponatur, satis est, ut prædicatū verè ipsi conveniat; eo enim ipso potest prædicatum verè de illo in propositione affirmari.

Inst. subjectum in propositione se habet, sicut potentia per prædicatum perfectibilis: ergo Deus nequit esse propositionis subjectum; sicuti secundùm nos, ob similem rationem, non potest esse genus.

Respondeo distinguendo ant. subjectum in propositione &c. quando actu implicitè totam prædicati perfectionem non continet, concedo: quando subjectum de se, actu implicitè, omnem prædicati perfectionem comprehendit, nego: unde Deus modo priori non potest quidem esse propositionis subjectum, benè tamen posteriori modo.

Urgeb. cùm partes sese penitùs excludant, una pars actu implicitè alteram non includit: atqui subjectum & prædicatum propositionis sunt ipsius partes: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. cùm partes, &c. una pars propriè dicta actu implicitè alteram non includit, concedo: una pars impropriè dicta actu implicitè alteram non includit, nego; & distinguo etiam min. atqui subjectum & prædicatum propositionis sunt ipsius partes, vel propriè, vel impropriè dictæ, concedo: sunt ipsius partes semper propriè dictæ, nego.

Itaque cùm propositio est propriè totum, quod singulis partibus propriè majus est; ex partibus

propriè dictis componitur: quando autem propositio est totum, non propriè, sed impropriè tantùm, adeò ut id omne, quod in tota propositione exprimitur, actu implicitè in subjecto, vel in prædicato, contineatur; ex partibus propriè dictis minimè componitur, sed duntaxat resultat ex extremis se se actu implicitè includentibus, quorum unum affirmatur de altero, sicuti prædicatum de subjecto.

§. IV.

Verum & quomodo Christus sit in prædicamento substantiæ ponendus.

DIco 2. Christus, ut homo, directè in prædicamento substantiæ collocatur. Ita D. Thomas docet 3. p. qu. 2. art. 3. & art. 5. nec non 4. contra Gent. c. 37. & in 3. dist. 7. q. 1. art. 1.

Ratio est, quia Christiana docet fides, Christum, ut hominem, esse ejusdem naturæ specificæ cum cæteris hominibus: ergo sicut cæteri homines ratione suæ naturæ specificæ directè in prædicamento substantiæ collocantur, ut communiter docent omnes; ita & Christus, quatenus homo, ratione ejusdem naturæ specificæ, directè in eodem prædicamento reponitur.

Deinde, illud directè in prædicamento substantiæ ponitur, quod in recta ejus linea collocatur; ut patet: atqui Christus, ut homo, in recta linea prædicamenti substantiæ, ratione naturæ humanæ, collocatur: ergo &c. Prob. min. in recta prædicamenti substantiæ linea inveniuntur substantialia genera, species substantiales, & harum specierum individua; prout communiter asserunt Peripatetici: atqui Christus, ut *hic homo*, ratione hujus naturæ humanæ, est individuum speciei humanæ (quæ est substantialis, & in recta linea prædicamenti substantiæ posita) prout ex Christiana fide colligitur: ergo &c.

Objic.

Objic. 1. *Christus directè ponitur in prædicamento substantiæ: atqui Christus est Deus: ergo Deus directè in prædicamento substantiæ ponitur*: quod tamen ex dictis liquet esse falsum.

Respondent communiter Authores, negando conseq. adduntque, illud argumentum non esse in forma: etenim ut argumentum in forma esse censeatur, opus est, ut in eo non varietur suppositio: in allato autem argumento mutatur suppositio; etenim *Christus* in majori, supponit pro *homine Deo*, secundùm naturam humanam considerato; in minori autem supponit pro *homine Deo*, secundùm naturam divinam sumpto.

Respondeo 2. distinguendo ma. Christus ratione naturæ humanæ in Incarnatione assumptæ, directè ponitur in prædicamento substantiæ, concedo: Christus ratione naturæ divinæ directè ponitur, &c. nego; & distinguo pariter min. atqui Christus ratione naturæ divinæ, est Deus, concedo: atqui Christus ratione naturæ humanæ assumptæ, est Deus, nego; & tandem distinguo consequens: ergo Deus, ratione humanæ naturæ assumptæ, directè in prædicamento substantiæ ponitur, concedo: ergo Deus, ratione naturæ divinæ, directè &c. nego.

Inst. *Christus* significat, non tantùm naturam humanam, sed etiam divini Verbi personam: ergo si *Christus* est directè in prædicamento substantiæ, etiam divini Verbi persona in prædicamento substantiæ est directè collocanda.

Respondeo concessio ant. distinguendo consequens: ergo si Christus, &c. etiam divini Verbi persona, ratione naturæ humanæ assumptæ, est in prædicamento substantiæ directè collocanda, concedo: etiam divini Verbi persona, ratione sui, vel ratione naturæ divinæ, in prædicamento substantiæ est directè collocanda, nego.

Inst.



Inst. rursus: si Christus esset directè in prædicamento substantiæ, foret substantia creata; etenim sola substantia creata in hoc prædicamento directè ponitur: atqui Christus non est substantia creata; ut insinuat D. Thomas 3. p. q. 16. art. 8. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si Christus, &c. foret substantia creata, ratione naturæ humanæ assumptæ, concedo: foret substantia creata, ratione naturæ, vel personæ divinæ, nego; & distinguo etiam min. atqui Christus ratione naturæ aut personæ divinæ non est substantia creata, concedo: atqui Christus ratione naturæ humanæ assumptæ non est substantia creata, nego: & simili modo distinguendum est consequens.

Quia tamen Arriani olim docuerunt, Christum, etiam secundùm suppositum vel personam, esse creaturam; idcircò, quia non debemus, etiam in nominibus, communicare cum Hæreticis, ut ait D. Hieronymus, ne eorum errori favere videamur, non debemus absolutè dicere, Christum esse creaturam; sed addendo & dicendo semper, *ratione humanæ naturæ assumptæ*. Et juxta hanc doctrinam exponendus est D. Thomas loco citato.

Objic. 2. quod directè in prædicamento ponitur, debet esse ens per se unum; ut ex dictis liquet: atqui Christus non est ens per se unum, sed est ens per accidens solùm: ergo &c. Prob. min. ens per accidens unum dicitur illud, quod ex pluribus naturis completis constat: atqui Christus ex pluribus naturis completis, nempè ex natura divina, & ex natura humana, constat: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. distinguo ma: ens per accidens unum dicitur illud, quod ex pluribus naturis completis plura *Esse* habentibus constat, concedo: quod ex pluribus naturis completis unicum *Esse* habentibus constat, nego: quamvis autem Christus constet ex duabus naturis completis, nimirum ex natura divina, & ex natura humana; duæ tamen illæ naturæ in Christo unicum *Esse* obtinent: ut docent Theologi in Tractat. de Incarnatione.

Quæres, utrum Deus, saltem indirectè, seu reductivè, ad prædicamentum substantiæ pertineat?

Respondet negativè D. Thomas 1. p. q. 3. a. 5. Ratio est, quia illud solùm indirectè, vel reductivè, ad prædicamentum substantiæ spectat, quod, vel tanquam differentia, vel tanquam pars, vel tanquam modus, ad intrinsecam constitutionem substantiæ directè in hoc prædicamento collocatæ attinet; ut suprà suo loco dictum est: atqui Deus minimè attinet ad intrinsecam constitutionem substantiæ directè in hoc prædicamento repositæ, vel tanquam differentia, vel tanquam pars, vel tanquam modus: ergo &c. Prob. min. sola substantia creata directè in hoc prædicamento ponitur; ut probatum est suprà: atqui Deus ad intrinsecam substantiæ creatæ constitutionem, sicut differentia, vel sicut pars, vel sicut modus, non pertinet: ergo &c. Min. facilè suadetur.

In primis enim Deus comparatur ad substantiam creatam tanquam prima causa efficiens, & tanquam ultima finalis causa: causa verò efficiens, & causa finalis, sunt extrinsecæ effectus causæ; prout docent communiter Philosophi: ac proinde Deus est respectu substantiæ creatæ aliquid extrinsecum; & ita ad intrinsecam ejus constitutionem pertinere nequit. Deinde, differentia, pars, & modus, apud Philosophos, significant aliquid incompletum, ac subinde aliquid imperfectum, Deo repugnans.

Dices 1. principium reducitur ad prædicamentum ejus, cujus est principium: atqui Deus est substantiæ creatæ directè in hoc prædicamento collocatæ principium: ergo &c.

Res-

, distinguendo ma. principium in-
ormale nimirum vel materiale, quod
educitur ad prædicamentum ejus
rincipium, concedo: principium
reducitur &c. nego; Deus auter
iæ creatæ directè in hoc prædic
eatæ principium, non intrinsecur
ecum, videlicet efficiens, finale,

Thomas q. 7. de potent. art. 3. ad
ait: *Licèt Deus non pertineat ad ge*
, *quasi in genere contentum; sicut*
individuum sub genere contentum; p
i, quòd sit in genere substantiæ per
sicut principium; & sicut punctum
quantitatis continuæ, & unitas in
tis discretæ, sive numeri. Ergo sicu
er reductionem propriè est in genere
continuæ, & unitas in genere quar
æ: sic etiam Deus per reduction
iè in genere substantiæ.
spondeo ex doctrina D. Thomæ in
dist. 8. q. 9. art. 1. ad 3. comparati
toris esse solùm in eo, quòd sicut
inet ad genus quantitatis continu
s principium; & unitas attinet ad ge
is discretæ, tanquam principium
Deus spectat ad genus substantiæ,
s principium: cum hoc tamen di
d punctum ad quantitatis contin
rtinet, sicut intrinsecum ejus princi
iam modo unitas attinet ad discret
s genus: at Deus ad genus substant
clut extrinsecum principium omn
um, modo explicato.

Verba D. Thomæ sunt hæc: T
quòd Deus sit in genere substantiæ,
um, sed solùm sicut principium ha
iem perfectionem generis; sicut un
ris: sed tamen diversimodè; quia un

surantur, nisi numeri; sed Deus est mensura non tantùm substantialium perfectionum, sed & omnium, quæ sunt in omnibus generibus; & ideò quamvis unitas contineatur sub uno genere determinato, non tamen Deus. Hæc D. Thomas.

Ut autem Deus per reductionem propriè foret in genere substantiæ, deberet esse intrinsecum creatæ, seu prædicamentalis substantiæ principium; eo proportionali modo, quo punctum est principium quantitatis continuæ, & unitas est quantitatis discretæ principium.

Dices 2. saltem divinum Christi suppositum per reductionem propriè est in prædicamento substantiæ: atqui suppositum divinum Christi est Deus; ergo &c. Prob. ma. complementum naturæ, in prædicamento substantiæ directè positæ, per reductionem propriè est eodem in prædicamento: atqui divinum Christi suppositu est complementum naturæ humanę direc in substantię prędicamento repositę: e &c.

Respondeo negando maj. Ad cujus prob stinguo ma. complementum naturę, &c. si plementum illud sit connaturalis modus naturę, concedo: si sit terminus supern lis infinitè perfectus, & supra omnia pr menta evectus, nego: Christi verò supp divinum est quidem humanę ejus natu plementũm; at non quòd sit modus turalicer ei debitus, sed quòd sit infi fectionis terminus supernaturalis, sup genera, omniaque prędicamenta co

Inst. divinum Christi suppositum naturam humanam, eodem modo Christo, ac se haberet suppositum hu adesset: atqui si suppositum humanu reductivè propriè ad prędicamentu pertineret; sicuti certum est: ergo

Respondeo distinguendo ma. divinum Christi suppositum terminans naturam humanam, quantum ad id quod perfectionem importat, eodem modo se habet in Christo, ac se haberet &c. concedo; quantum ad id, quod importat imperfectionem divino supposito repugnantem, nego: reductivè autem propriè ad prædicamentum substantiæ pertinere, importat imperfectionem divino supposito repugnantem, scilicet ratio nem modi substantialis connaturaliter ad naturam directè in prædicamento substantiæ collocatam pertinentis.

Dices 3. summa actualitas subsistentiæ creatæ, quæ est actus in genere substantiæ ultimus, non impedit, ne ad substantiæ prædicamentum propriè reducatur: idem dicendum est de existentia substantiali creata, quæ est ultimus in linea entis actus: ergo etiam suprema divini suppositi Christi actualitas impedire non potest, ne reductivè ad prædicamentum substantiæ pertineat.

Respondeo concessio ant. negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd licèt subsistentia creata sit actus in genere substantiæ ultimus, & existentia substantialis creata sit ultimus in linea entis actus: attamen utraque est connaturalis substantiæ creatæ in hoc prædicamento directè positæ modus. Et præterea subsistentiæ & existentiæ creatæ actualitas, quantumvis summa, finita tamen est: at divini suppositi Christi actualitas est simpliciter infinita; & præterea divinum illud suppositum nullius naturæ directè in isto prædicamento repositæ est connaturalis modus.

Articulus Tertius.

Proprietates ſubſtantiæ explanantur.

§. I.

Priores proprietates exponuntur.

PRoprietates ſubſtantiæ ſex enumerat Ariſtoteles in tertia hujus cap. parte. Prima per negationem exprimitur, videlicet per *non eſſe in ſubjecto*. Id autem intelligendum venit de ſubjecto inhęſionis, quod eſt entitas completa, per ſe ſubſiſtens, cui advenit forma dans eſſe ſecundùm quid, quæ neceſſariò ab illa dependet, ita ut naturaliter ſine ea exiſtere nequeat; unde ſubjectum inhęſionis eſt etiam ſuſtentationis ſubjectum: quòd verò ſubſtantia non ſit in ſubjecto inhęſionis & ſuſtentationis, ex eo provenit, quòd per ſe ſubſiſtat, ideòque ab alio ſuſtentari non indigeat.

Hęc verò proprietas convenit ſoli ſubſtantię: etenim ſola ſubſtantia non inhęret ſubjecto; omne autem accidens à ſubſtantia diſtinctum, ſuo inhæreat ſubjecto neceſſe eſt. Prætereà convenit omni ſubſtantiæ; cùm enim omnis ſubſtantia ſit ens per ſe ſubſiſtens, omnis ſubſtantia eſt ab inhæſionis & ſuſtentationis ſubjecto independens; & quidem ſemper, ita ut numquam ab illo dependeat.

Dices: elementa & ſubſtantiales formæ ſunt verè ſubſtantiæ; ſicuti certum eſt: atqui eis non competit præfata proprietas; quin potiùs enim elementa ſunt in mixto, & ſubſtantiales formæ ſunt in materia prima: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Primò etenim elementa ratione ſui non ſunt in mixto, ſed dumtaxat ratione quorumdam accidentium, quæ ex eis in mixto relinquuntur, modo in Phyſica

sica explicando. Formæ verò substantiales sunt quidem in materia prima; at non sicut in subjecto inhæsionis, quod est ens completum per se existẽs existentia propria (quod utique dici nequit de materia prima, quæ est dumtaxat totius compositi substantialis physici pars, & ita ens incompletum, existens per existentiam totius compositi; pro ut fusè in Physica demonstrabitur) sed tamquam in comparte, & informationis subjecto, quod videlicet informat, ad totum substantiale physicum componendum.

Dices iterum: proprietas illa convenit odori, qui realiter à substantia distinguitur: ergo non convenit substantiæ soli. Prob. ant. odor non est in subjecto, sed extra subjectum, ut patet in attrectatione pomi, cujus odor remanet in manu, & consequenter extra subjectum, nempè extra pomum.

Respondeo negando ant. etenim in attrectatione pomi duplex occurrit odor: unus quippe in toto pomo subjectatur, & alter est velut in subjecto, in subtilioribus pomi partibus evolantibus, & manui adhærentibus. Hinc pomum flaccescit, & rugas contrahit.

Dices rursus: accidentia Eucharistica non sunt in subjecto, nempè in substantia panis & vini, quæ post consecrationem non remanet: ergo prætata proprietas soli substantiæ non convenit.

Respondeo distinguendo ant. accidentia Eucharistica non sunt actu in subjecto, &c. concedo: non sunt in subjecto secundùm aptitudinem & exigentiam, nego ant. & conseq. dum enim ab Aristotele dicitur, proprietatem substantiæ esse, ut ipsa nunquam sit in subjecto, hoc debet intelligi secundùm aptitudinem & exigentiam; adeò ut proprium sit substantiæ, non exigere esse in subjecto, & ad hoc nullam aptitudinem habere: quamvis verò accidentia Eucharistica sint divinitùs actu à subjecto separata, ita ut

actu

ractu non insint subjecto; ad hoc tamen aptitudinem & exigentiam servant semper.

Secunda substantiæ proprietas est, ut de inferioribus univocè prædicetur; quæ quidem proprietas non de substantia prima, sed de substantia secunda tantummodò, venit intelligenda: habe- nec enim inferiora, & de illis prædicari, soli convenit *Universali*: & ideò sola substantia secunda sive universalis, non autem prima seu singularis, de inferioribus univocè prædicatur.

De inferioribus verò prædicari univocè non est absolutè proprium substantiæ; quandoquidem accidentales naturæ universales univocè quoque de inferioribus prædicantur: est tamen proprium substantiæ secundæ per comparationem ad substantiam primam. Unde quamvis substantiæ nullum possit esse inhæsionis subjectum; verè tamen datur ejus subjectum prædicationis, id est, verè dantur inferiora, de quibus substantia secunda aut universalis univocè prædicatur.

Tertia substantiæ proprietas in hoc sita est, quòd prima substantia significet *hoc aliquid*, secunda verò substantia designet *quale quid*: id est, quòd prima substantia significet hoc individuum substantiale, & substantia secunda designet quidditatem sive naturam communem substantialem ab inferioribus qualificabilem seu contrahibilem. Ista proprietas hoc modo explicata convenit omni & soli substantiæ, & semper: omnis quippe ac sola substantia prima semper significat hoc individuum substantiale; quo etiam modo omnis & sola substantia secunda designat communem naturam substantialem ab inferioribus contrahibilem.

Dices: qualitas prima, seu singularis, significat *hoc aliquid*; & qualitas secunda, seu universalis, designat *quale quid*: & idem dicendum est de quantitate, relatione, &c. ergo significare *hoc aliquid*, & *quale quid* designare, non est proprietas substantiæ.

Res-

Respondeo distinguendo ant. qualitas prima seu singularis significat latè & secundùm quid *hoc aliquid*; & qualitas secunda seu universalis, latè ac secundùm quid designat *quale quid*, concedo: qualitas prima seu singularis significat strictè & simpliciter *hoc aliquid*; & qualitas secunda seu universalis, strictè & simpliciter designat *quale quid*, nego.

Itaque sicut sola substantia est ens strictè & simpliciter, accidens verò est ens solùm latè & secundùm quid; ita solum individuum substantiale est strictè & simpliciter hoc individuum; individuum autem accidentale est individuum latè tantùm & secundùm quid: similiter soli communis natura substantialis est strictè & simpliciter natura communis; communis verò natura accidentalis est latè & secundùm quid tantummodò natura communis. Cùm igitur qualitas, quantitas, relatio, &c. sint accidentia; qualitas, vel quantitas, vel relatio prima, latè & secundùm quid solùm significat *hoc aliquid*, seu hoc individuum; & similiter qualitas, aut quantitas, aut relatio secunda, latè & secundùm quid tantùm designat *quale quid*, sive naturam communem.

§. II.

Aliæ proprietates explicantur.

QUarta substantiæ proprietas est, propriè nihil esse substantiæ contrarium. Etenim contraria propriè dicta sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, seseque ab eodem subjecto expellunt; prout fusiùs in post præd. declarabitur: si ergo aliquid foret propriè contrarium substantiæ, deberet substantia illud à communi subjecto inhæsionis expellere; substantia autem nec habet, nec habere potest, commune inhæsionis subjectum; ut ex dictis liquet. Hæc proprie-

prietas semper convenit omni substantiæ; at non soli: nam, ut infrà patebit, etiam quantitas, & relatio, nullum habent contrarium.

Dices: elementa sunt substantiæ, & tamen unum est alteri contrarium; etenim contrariantur, ignis aquæ, & aer terræ; ut asserit Aristoteles 2. de Generat. textu 24. Ergo non habere contrarium, non est proprietas substantiæ.

Respondeo cum distinctione: concedo namque, elementa sibi mutuò contrariari, at non ratione sui, sed dumtaxat ratione qualitatum contrariarum ex ipsis elementis emanantium. Hoc modo ignis, ratione caloris & siccitatis, contrariatur aquæ frigidæ & humidæ; similiter aer, ratione caloris & humiditatis, contrarius est terræ frigidæ & siccæ.

Dices iterum: formæ substantiali contrariatur privatio; teste Philosopho 10. Physic. textu 20. ergo aliquid est substantiæ contrarium.

Respondeo distinguendo ant. formæ substantiali contrariatur latè, id est, opponitur, privatio, concedo: formæ substantiali contrariatur strictè privatio, nego; & pari modo distinguendum est consequens.

Dices rursus: substantiales differentiæ ejusdem generis divisivæ, (ut *rationale* & *irrationale*) sunt ad invicem contrariæ; ut docet Aristoteles 19. Metaph. Text. 13. ergo aliquid potest substantiæ contrariari.

Respondeo distinguendo ant. substantiales differentiæ ejusdem generis divisivæ, sunt ad invicem "contrariæ latè, id est, sunt ad invicem incompatibiles in eadem specie, concedo: sunt invicem strictè contrariæ, nego.

Quinta substantiæ proprietas, est, quòd non recipiat magis & minus, id est, quòd non sit intensionis & remissionis capax. Ratio est: quia, ut fusiè in Physica ostendetur, intensio & remissio fit per majorem & minorem ejus, quod dicitur intendi & remitti, in subjecto inhæsionis radica-

dicationem: substantia verò in subjecto inhæsionis nequit radicari; ut ex dictis liquet. Hæc proprietas convenit quidem omni substantiæ, & semper; at non soli, cùm etiam competat quantitati, & relationi; ut infrà dicetur.

Dices: ex Comment. 3. Cœl. elementa in mixtis suscipiunt magis & minus: atqui elementum est substantia: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ex Comm. elementa in mixtis secundùm suas qualitates suscipiunt magis & minus, concedo: elementa in mixtis secundùm suas entitates formales suscipiunt magis & minus, nego: elementa quippe secundùm suas entitates formales in mixtis minimè reperiuntur; ut in Physica probabitur. Et distinguo pariter min. atqui elementum secundùm entitatem formalem est substantia, concedo: atqui elemetum secundùm qualitatem est substantia, nego min. & conseq. sub distinctione data.

Dices iterum: anima rationalis est substantia; ut certum est: atqui rationalis anima suscipit magis & minus: ergo &c. Prob. min. tunc una forma suscipit magis, quando in se est magis perfecta, seu perfectior; tunc autem suscipit minus, dum in se minùs perfecta est: atqui anima rationalis nonnumquam in se est magis, vel minùs perfecta; quandoquidem ex doctrina D. Thomæ 1. par. q. 85. a. 6. una anima rationalis individualiter est interdum perfectior altera; ut in Physica fusè dicetur: ergo &c.

Respondeo concessâ maj. nego min. Ad cujus prob. distinguo maj. tunc una forma &c. si sit eadem numero forma, quæ in eodem subjecto fiat modò magis, & modò minùs perfecta, per radicationem in subjecto modò majorem, modò minorem, concedo: si sit multiplex numero forma, adeò ut una forma in uno subjecto, ob majorem & perfectiorem ejus dispositionem, sit perfectior; & altera in altero subjecto, ob minorem

& mi-

minùs perfectam ipsius dispositionem, sit minùs perfecta, nego. Licèt autem ex multiplici
ima rationali, una in uno subjecto meliùs &
rfectiùs dispositio sit perfectior, & altera in alro subjecto minùs benè, minùsque perfectè
spositio, sit minùs perfecta; prout loco citato
sè declarabitur: attamen numquam contingit,
eadem numero anima rationalis in eodem subcto sit modò magis, & modò minùs, perfea; modò per majorem, & modò per minorem
ius in subjecto radicationem.

Sexta & ultima substantiæ proprietas est, ut
subjectum accidentium contrariorum susceivum: hoc modo lignum est successivè caloris
frigoris susceptivum.

Ad cujus intelligentiam advertendum est,
bjectum accidentium contrariorum esse du-
x; unum *quod*, & alterum *quo*. Primum est
od sustentat ejusmodi accidentia, & in quo ulmatè recipiuntur ac existunt. Alterum aum est id, quo illa accidentia in præfasubjecto recipi possunt.

Itaque proprium est substantiæ, ut sit subjem *quod* accidentium contrariorum, ipsa ulmatè suscipiens & sustentans: quod quidem
et ex eo, quòd est per se subsistens; dum
n substantia per se subsistit, alia sustentaotest.

lle verò subjectum *quo* accidentium contram convenit alteri à substantia; quantitas
extendendo materialem ligni substaneest subjectum, *quo* calor & frigus posm ipso ligno recipi; intellectus item est
tum, *quo* scientia, & error; ac voluntas
quo virtus, & vitium, in substantia
recipiuntur.

autem subjectum *quod* accidentium conum, est proprietas substantiæ quarto
adeò ut conveniat omni substantiæ,
semper.

Dices 1. proprietas quarto modo, debet primariò convenire naturæ in communi, & secundariò individuis in particulari: atqui suscipere accidentia contraria non convenit primariò substantiæ in communi, & secundariò substantiæ individuæ in particulari, imò è contra se se res habet; cùm substantia in communi non suscipiat accidentia contraria, nisi quia substantia individua & particularis ea recipit: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui suscipere in actu exercito accidentia contraria, non convenit, &c. concedo: atqui suscipere in actu primo accidentia contraria, sive potentia ad suscipienda accidentia contraria, non convenit primariò, &c. nego.

Itaque sicut potentia ad ridendum est naturæ humanæ proprietas quarto modo, primariò & immediatè conveniens ipsi naturæ humanæ in communi, quamvis actus exercitus, seu actuale exercitium ejusmodi potentiæ, sive actualis risus, primariò & immediatè fiat in solis naturæ humanæ individuis: sic pariter potentia ad suscipienda accidentia contraria, est quarto modo proprietas substantiæ, quæ primariò & immediatè convenit substantiæ in communi; tametsi hujusmodi potentiæ exercitium, sive actualis susceptio accidentium contrariorum, primariò ac immediatè in solis substantiis primis, individuis, & particularibus inveniatur.

Dices 2. proprietas quarto modo conveniens substantiæ, debet omni substantiæ competere; sicuti certum est: atqui suscipere accidentia contraria, non competit omni substantiæ; non enim competit substantiæ Dei, cùm hæc substantia sit omnis accidentis expers, & nullum in se recipere possit; Angelis etiam & corporibus cœlestibus minimè convenit, cùm enim hæ substantiæ sint incorruptibiles, non sunt accidentium contrariorum, quæ corruptionem causant, capaces: ergo &c.

Res-

Respondeo concessa maj. negando min. reipsa enim proprietas illa convenit omni substantiæ prædicamentali ; cujusmodi non est substantia Dei, ut ex dictis liquet. Et licet accidentia subjectis contraria, atque ipsorum destructiva, non possint in Angelis, & in corporibus cœlestibus ex sua natura incorruptilibus reperiri; nihil tamen impedit, ne successivè in eis recipiantur accidentia inter se contraria, quorum nempè unum expellit aliud, eodem subjecto remanente. Hinc in Angelis moralis bonitas, & malitia moralis, quæ sunt contrariæ, esse possunt successivè. Insuper motus sursum, & motus deorsum; item motus ad ortum, & motus ad occasum; qui sunt motus inter se contrarii, possunt in corporibus cœlestibus successivè inveniri.

Dices 3. & urgeb. saltem quantitas in Eucharistiæ Sacramento est subjectum *quod* accidentium contrariorum, v. g. frigoris & caloris: ergo esse subjectum *quod* accidentium contrariorum, convenit alteri à substantia distincto; proindèque non est proprietas substantiç quarto modo. Prob. ant. subjectum *quod* accidentium idem est, ac subjectum eorum ultimum; in quo differt à subjecto *quo*, præter quod datur ulterius subjectum, scilicet subjectum *quod*: atqui quantitas in Eucharistiæ Sacramento est ultimum accidentium contrariorum subjectum; quandoquidem eo in Sacramento, ultra non datur panis ac vini substantia, in qua possint accidentia illa ultimò subjectari: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. saltem quantitas in Eucharistiæ Sacramento per miraculum est subjectum *quod* &c. concedo: saltem quantitas in Eucharistiæ Sacramento, ex natura sua, est subjectum *quod* &c. nego: & distinguo pariter consequens: ergo per miraculum, esse subjectum *quod* accidentium contrariorum, &c. concedo: ergo ex natura rei, esse subjectum *quod*, &c. nego. Ad prob. ant. concessa ma. eo-

...ubjectum *quod* accidentiu... ...rorum ultimò susceptivum; quamvis i... Sacra Eucharistia, quantitas vicem subject... *quod* illorum accidentium ultimò susceptivi miraculosè subeat.

QUÆSTIO TERTIA.

De prædicamento quantitatis.

QUANTITAS, & *extensio*, pro eadem re apud Philosophos communiter usurpantur. Alia verò est quantitas *virtutis*, alia *molis*. Prior est virtutis aut perfectionis extensio. De hac quantitate dixit D. Augustinus 6. De Trin. cap. 8. *In his, quæ non mole, sed virtute magna* (seu extensa) *sunt; hoc est majus esse, quod est, melius esse*. Eadem quantitate Deus in Scripturis sacris *magnus* & *excelsus* appellatur.

Hæc quantitatis acceptio impropria est, & secundùm similitudinem dumtaxat. Unde in ista quæst. de Quantitate sic sumpta non erit sermo. Quantitas *molis* est corporeæ substantiæ extensio. Ita autem vocatur, quoniam dum corpus extenditur, moles quædam efficitur. Hæc verò quantitatis acceptio propria est, eaque istud prædicamentum constituitur. De quantitate autem priùs, quàm de aliis accidentalibus prædicamentis, disserit Philosophus; quia quantitas est veluti omnium aliorum accidentium materialium janua, qua eis patet ad substantiam aditus.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Verum quantitas realiter à substantia distinguatur?

§. I.

Sententiæ referuntur, veraque sententia eligitur.

QUantitatem non esse entitatem completam realiter à substantia distinctam, docuerunt olim Parmenides & Anaxagoras; quam sententiam in oblivione jacentem, in lucem reduxit Joannes Vvicleff, ut testatur Thomas Vvaldensis tom. 2. Sacram. Euch. cap. 78. quam libenter amplexantur Nominales; quibus consentiunt Arriaga, Linceus & P. Maignan, aliique hujus temporis Philosophi.

Expresè verò censet Cartesius, extensionem, quantitatem, esse corporeæ substantiæ essentiam: essentia verò non distinguitur realiter à re, cujus est essentia. Opposita tamen sententia Philosophos ac Theologos communis est. Ita docet Philosophus variis in locis; præcipuè 7. Meta. textu 8. ubi sic ait: *Longitudo, & profunditas, quantitates sed non substantiæ sunt; quantitas etenim est substantia*: & 1. Phys. Text. 13. sic itenatur: *Si substantia, quantum, & quale, unum, sed multa sunt.* Et text. 19. *Si inquit, & quantum sunt, duo sunt.* Sæpè. Aristotelem sequitur D. Thom. 12. q. 1. art. 1. qu. 3. & 3. p. quæst.

Quantitas realiter manere nequit sine est idem realiter: alioquin realipermaneret; quod manifestè repuquantitas realiter sine substantia

manere potest; ergo &c. Prob. min. quantitas cæteraque panis & vini accidentia in Sacra Eucharistia realiter remanent sine subjecto: atqui hoc subjectum non est aliud præter panis & vini substantiam, cui tamquam subjecto, accidentia illa, ante consecrationem inhærebant: ergo &c. Min. est certa; neque enim aliud subjectum assignari potest. Maj. autem colligitur ex Concilio Constantiensi sess. 8. in sententia damnationis doctrinæ Joannis Vvicleff, ubi hæc propositio ut hæretica proscribitur: *Accidentia panis & vini non manent sine subjecto in Eucharistiæ Sacramento*. Opposita verò propositio velut certa de fide, ibidem statuitur. Idem docet Martinus 5. in approbatione damnationis errorum *Vvicleff.* & *Hus*; quam quidem approbationem cernere licet in Oratione Joannis de Ragusio habita ad Concilium Basilienſe. Eamdem veritatem contra hæreticos hujus temporis definivit Synodus Tridentina sess. 13. Can. 2. quam anteà jam determinarat Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. 1. eamque in Officio Corporis Christi Romana Ecclesia profitetur.

Respondet Pater Maignan in sua Physica, aut Philosophia naturæ, cap. 2. Propos. 3. quantitatem, colorem, saporem, & alia ad panem & vinum ante consecrationem pertinentia, non manere in Eucharistia entitativè & reipsa, sed apparenter solùm & in speciem. Hinc *species* à Concilio Tridentino nuncupantur.

Sed contra sic argumentor: si quantitas, color, sapor, & alia ad panem & vinum ante consecrationem pertinentia, non remanerent revera, sed apparenter solùm, post consecrationem, in Eucharistiæ Sacramento; sensus circa illa decipierentur: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. in primis liquet: nam tunc sensus decipitur, quando apprehendit aliquid ut tale, quod non est tale revera, sed apparenter tantùm: sensus autem

tem apprehendunt in Euchariſtia quantitatem, colorem, ſaporem, &c. ut talia: ſi ergo reipſa non ſunt talia, ſed apparenter ſolùm, ſenſus falluntur. Min. etiam facilè ſuadetur ex Officio Corporis Chriſti, quo Romana utitur Eccleſia; in ipſo enim ſic ait eadem Eccleſia: *Accidentia autem ſine ſubjecto in eodem* (Sacramento) *ſubſiſtunt; ut fides locum habeat, dum inviſibile viſibiliter ſumitur, alienaſpecie occultatum; & ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant ſibi notis.* Unde dicuntur *ſpecies*, non quantitatis, coloris, ſaporis, &c. ſed panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſorum, & revera in ſeipſis non exiſtentium.

Dices 1. cum Patre Maignan ibidem, quantitatem, colorem, ſaporem, &c. eſſe in Euchariſtiæ Sacramento, ſicuti colores ſunt in iride, vel in collo columbæ; conſtat verò, hos colores non ſolùm apparentes.

Sed contra hoc tripliciter inſtatur. In primis quidem, ſi eſſet paritas, ſequeretur, quòd quemadmodùm colores in iride & in collo columbæ proveniunt ex ſenſibilis luminis ſolis varia reflexione & repercuſſione, ut in Phyſica explicatur: ita quantitas, color, ſapor, &c. in Euchariſtia procederent ex ſenſibili influxu alicujus corporis per reflexo & repercuſſo: hoc autem dici nequit; nam illud corpus vel eſſet panis vinumque Corpus & Sanguis Chriſti: neutrum verò dicendum eſt: & primò quidem, non eſt panis vinum-que, cùm hæc duo in Euchariſtiæ Sacramento non permaneant, prout Catholica docet fides: neque etiam Corpus & Sanguis Chriſti; quia illud, quod ſenſibiliter influit, etiam ſenſibiliter exiſtit; Corpus verò & Sanguis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento inſenſibiliter exiſtunt eadem docet fides.

Nec dicas, colores ſunt in iride & in collo columbæ per modum tranſeuntis dumtaxat; ut patet:

quantitas autem, color, sapor, &c. sunt in Eucharistia, modo permanenti; adeò ut tandiu divinitùs perseverent, quamdiu naturaliter permansissent, si substantia panis & vini illa sustentans remansisset.

Præterea præfatus Author non congruenter utitur exemplo illo ad exponendam meram accidentium in Eucharistiæ Sacramento apparētiam; licèt enim color in iride & in collo columbæ sit apparens, in ratione permanentis, ita ut appareat permanens, quamvis revera permanens non sit: attamen color ille in ratione formaliter *visibilis* verus est, adeò ut verè ad objectum formale potentiæ visivæ pertineat, verèque ab ea, absque ipsius deceptione, apprehendatur.

Dices cum eodem Authore: species panis & vini eodem modo se habent in Eucharistia, quo se habuerunt species hortulani respectu Magdalenæ ad Christi monumentum stantis, & species Peregrini respectu Discipulorum euntium in Castellum Emmaus; sicuti Joannis 20. & Lucæ 24. refertur: sicut ergo species illa, vel hortulani, vel peregrini, erat verè ipsemet Christus, cum sola hortulani vel peregrini apparentia: ita pari modo species panis & vini in Eucharistiæ Sacramento est Christus ipse, retinens solam panis & vini apparentiam.

Sed contra hoc sic argumentor: ob illam hortulani & peregrini apparentiam decepti sunt Magdalenæ & Discipulorum sensus, adeò ut Magdalena censuerit, Christum esse hortulanum, & Discipuli existimaverint, Christum esse peregrinum; ut ex citatis Scripturæ locis colligitur: ergo pariter si in Eucharistiæ Sacramento esset sola panis & vini apparentia, fallerentur fidelium sensus, & erroneè judicarent fideles, esse panem & vinum: tum maximè quia intellectus errando facilè errorem sensuum sequitur.

Dices 3. cum præfato Authore, doctrinam asserentem, dari in Eucharistiæ Sacramento quanti-

tatem, colorem, saporem, & cætera acciden-
a divinitùs sine subjecto subsistentia, esse no-
um, & Sanctis Patribus ignotam, atque ex
rincipiis Peripateticis fallacibus illatam.

Sed hic dicendi modus vix temeritate ca-
t: illam quippe doctrinam tradunt satis ex-
resse Concilium Constantiense, & Conci-
um Basiliense, locis citatis. Idem diserte
ocet D. Thomas opusc. 57. quod S. Doctor
on excogitavit, sed ex SS. Patribus hausit.
Hinc Romana Ecclesia Officium Corporis Chri-
i ex opusculo illo desumpsit, & in eodem
Officio, hæc apud omnes fideles habet verba:
Accidentia autem sine subjecto in eodem (Sa-
ramento) *subsistunt*. Illam verò propositio-
em Ecclesia in ore cujuslibet fidelis non ha-
eret, si ex fallacibus principiis duntaxat pro-
ideret.

Dices 4. cum eodem Authore: species Sacra-
entales possunt hominem ipsas comedentem
utrire, quamvis realiter absit panis & vini
bstantia, ex qua provenire deberet nutritio:
gio pariter species Sacramentales possunt esse
rmaliter extensæ & impenetrabiles, licét rea-
ter desit panis & vini quantitas, cujus pro-
ium est, extensionem & impenetrabilitatem
ibuere.

R. espondeo negando consequent. & paritatem.
isparitas est, quòd substantia panis ac vini
on concurrit ad nutritionem hominis come-
ntis in genere causæ formalis, hominem forma-
er & intrinsecè nutritum constituentis; sed
ntium per modum termini *à quo*, vel *ex quo*
nutritio; cujus termini defectum, in co-
stitione specierum Sacramentalium, Deus sup-
et in genere causæ efficientis, immediatè per
psum efficiendo in homine species illas
medente, portionem substantiæ, quæ per po-
ntiam nutritivam produceretur ex panis vini-
e substantia, si adesset; quæ portio substantiæ

constituit hominem formaliter & intrinsecè nutritum. At quantitas panis & vini constituit species Sacramentales formaliter extensas, impenetrabilesque, in genere causæ formalis intrinsecæ; effectus verò causæ formalis intrinsecæ nequit esse, si causa formalis intrinseca realiter deest; quandoquidem effectus ille est ipsa formalis causa intrinseca ut communicata.

Respondent rursus Nominales, concedendo, remanere in Eucharistiæ Sacramento quantitates coloris, saporis, &c. sed negando, permanere quantitatem substantiæ panis & vini. Existimant quippe, singulas substantias corporeas, singulaque accidentia materialia, habere proprias quantitates, realiter à rebus quantis indistinctas; ideòque juxta illos Philosophos, ablata panis & vini substantia in Sacramento Eucharistiæ, & remanentibus colore, sapore, &c. cessat substantiæ panis ac vini quantitas; sed coloris, saporis, &c. quantitates perseverant.

Sed contra hanc Nominalium sententiam arguitur, ex eo, quòd juxta commune omnium axioma: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*: nulla verò necessitas est tot quantitates in uno & eodem composito corporeo multiplicandi; adeò ut alia sit quantitas materiæ, alia formæ, alia coloris, alia saporis; & sic de cæteris accidentibus materialibus: nam si unicus calor sufficit ad reddendum calidum totum compositum corporeum; cur unica quantitas satis non erit ad compositum corporeum secundùm se totum extendendum, & efficiendum quantum?

Deinde, quantitas extendendo partes rei quantæ reddit eam cum altera impenetrabilem; ut communiter docent omnes, & infrà patebit: si ergo in uno & eodem composito corporeo materia propriam obtineret quantitatem, similiter forma, & singula accidentia materialia

pro-

proprias quantitates haberent; materia foret impenetrabilis cum forma, & forma cum materia, & ambæ cum singulis accidentibus materialibus essent impenetrabiles: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Min. ex eo suadetur, quòd quæ sunt impenetrabilia, in eodem loco esse simul nequeunt, adeò ut unum expellat aliud ab eodem loco; prout communiter exponunt Philosophi: atqui materia, forma, & omnia accidentia materialia, unius & ejusdem compositi corporei, sunt simul in eodem loco; ut quotidiana probat experientia: ergo &c.

Prob. 2. ratione fundamentali: quod substantiæ corporeæ realiter inhæret, realiter ab ea distinguitur; idem enim nequit realiter sibi inhærere, sicut nec realiter in seipso recipi: atqui quantitas, color, sapor, & ejusmodi accidentia materialia, realiter substantiæ corporeæ inhærent: ergo &c. Prob. min. accidens prædicamentale realiter inhæret substantiæ: atqui quantitas, color, sapor, &c. sunt accidentia prædicamentalia: ergo realiter inhærent substantiæ, (nimirum materiali & corporeæ) Min. perspicua est: accidens enim prædicamentale illud dicitur, quod in prædicamento collocatur; quantitas verò in proprio prædicamento constituitur, color autem & sapor in prædicamento qualitatis reponuntur; & sic de cæteris accidentibus corporeis & materialibus, quæ pariter in propriis prædicamentis statuuntur. Prob autem ma. accidens prædicamentale differt à substantia prædicamentali, ut patet; hoc verò discrimen in eo solùm consistit, quòd substantia prædicamentalis sit ens realiter in se existens, & per se subsistens; accidens verò prædicamentale sit ens realiter in alio (nempè in substantia prædicamentali; velut in subjecto) existens, ipsique inhærens.

Ex dictis confutatur satis recentiorum Philosophorum opinio. Illi ergo, neglectis *Majorum*

principiis, & amantes nova, explodunt doctrinam Peripateticorum, accidentia realiter adæquatè à subſtantia diſtincta admittentium : docentque præſertim, accidentia materialia & ſenſibilia nihil aliud eſſe præter objectivas ſenſuum actiones.

Conſtat enim ex Conciliis ſuperiùs citatis, & ex communi modo loquendi Eccleſiæ, dari in Euchariſtiæ Sacramento accidentia materialia & ſenſibilia ſine ſubjecto, id eſt, ſine panis & vini ſubſtantia, ſubſiſtentia, à qua proinde realiter diſtinguuntur; ut ſuprà explanatum eſt.

Præterea, ut etiam oſtenſum eſt, dantur accidentia materialia & ſenſibilia prædicamentalia, & ſubſtantiæ materiali realiter inhærentia, ac ſubinde ab ipſa realiter diſtincta.

Demùm, objectivæ ſenſuum actiones, nihil aliud eſſe poſſunt, præter formalia actionum illarum objecta; ut ſatis patet. Entitas verò ſubſtantiæ dici nequit formale objectum actionis alicujus ſenſus; entitas enim ſubſtantiæ, ſeu entitas per ſe ſubſiſtens, non poteſt formaliter, ſeu ratione ſui, ab aliquo ſenſu percipi, ſed à ſolo intellectu apprehendi; eo quòd nec eſt calida, nec colorata, nec ſonora, &c. (ex ſe namque ab his omnibus abſtrahit) ſed duntaxat intelligibilis eſt : neceſſe eſt igitur, ut entitati ſubſtantiæ materialis adveniant accidentia materialia & ſenſibilia, realiter ab illa diſtincta, quæ formalia ſenſuum, & actionum ſenſitivarum, objecta conſtituant. Sed de his fuſiùs in Phyſica dicetur.

§. II.

§. II.

Præcipuæ objectiones solvuntur.

OBjic. 1. Concilia & Patres sæpè asserunt, species panis & vini in Eucharistia remanere: ergo censent, accidentia Eucharistica non esse realia, sed esse species & apparentias tantùm.

Respondeo negando conseq. etenim Concilia & Patres non dicunt, *Species accidentium*, sed *Species panis & vini*, in Eucharistia remanere; ut per hoc indicent, accidentia Eucharistica esse quidem in se realia, sed esse substantiæ panis & vini signa tantùm, species, & apparentias: hinc Ecclesia utroque nomine *accidentis*, & *speciei*, utitur in Officio Corporis Christi, ut ex dictis liquet.

Inst. si accidentia realiter à substantia distinguerentur, maximè, quia in Eucharistiæ Sacramento realiter à substantia panis & vini separantur, & separata per se subsistunt: atqui falsum est, quòd accidentia in Eucharistiæ Sacramento, realiter à substantia separentur, & separata per se subsistant: ergo &c. Maj. ex dispatet. Prob. min. quod per se subsistit, est substantia; definitur quippe aut describitur substantia, *Ens per se subsistens*: atqui accidentia in Sacramento Eucharistiæ non sunt substantia: ut constat: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad prob. distinguo maj. quod per se subsistit & secundùm actum, & secundùm exigentiam, est substantia, concedo: quod per se subsistit, secundùm actum quidem, non tamen secundùm exigentiam, est substantia, nego. Dum substantia definitur aut describitur: *Ens per se*: sensus est, quòd substantia sit *Ens per se subsistere exigens*: licèt autem accidentia Eucharistica secundùm actum, seu actu, per se

mira-

miraculosè subsistant, non tamen secundùm exigentiam, adeò ut hoc exigant; quin potiùs enim ex sua natura inhærere substantiæ panis & vini, velut subjecto, petunt: repugnat verò substantiæ inhærere subjecto.

Inst. iterum: quantitas nequit, etiam divinitùs, in subjecto spirituali, v. g. in Angelo, recipi: ergo pari modo non potest à subjecto separari, adeò ut à subjecto separata per se subsistat.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd si subjectum spirituale, v. g. Angelus, quantitatem, vel quodvis aliud accidens materiale & corporeum reciperet, ad naturam & conditionem rerum materialium & corporearum deprimeretur, ita ut ejusmodi subjectum desineret esse spirituale; & ideò illud repugnat naturæ subjecti spiritualis. Ut autem quantitas divinitùs à subjecto separetur, & separata per se subsistat, retinendo semper exigentiam inhærendi subjecto: satis est, ut quantitas à Deo omnipotente separetur ab eo, quod ipsi accidentale est, nempè ab actuali inhærentia, & in tali statu per Dei potentiam absolutam conservetur: quod utique possibile est.

Instab. rursus: quod sine subjecto concipi non potest, nequit à subjecto separari: atqui accidens prædicamentale, cujusmodi est quantitas, sine subjecto concipi non potest: ergo &c. Maj. videtur manifesta. Prob. min. quod essentialiter à subjecto dependet, minimè potest sine subjecto concipi; ut perspicuum est: atqui accidens prædicamentale essentialiter à subjecto dependet, utpote *Ens essentialiter subjecto inhærens*: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod sine subjecto actu sustentante concipi non potest, nequit à subjecto separari, concedo: quod sine subjecto aptitudinaliter sustentante, concipi non potest, nequit à subjecto separari, nego. Itaque separatio accidentis prædicamentalis à subjecto consistit in eo, quòd actu à subjecto non sustentetur,

ac

ac prout actu à subjecto non sustentatum conservetur, & ut tale concipiatur; licèt autem non possim concipere accidens prædicamentale, nisi ipsum apprehendam cum aptitudine & exigentia ad hoc, ut subjecto inhæreat, & ab ipso sustentetur; quia hoc ipsi est essentiale: potest tamen concipi absque eo, quòd ipsum apprehendam ut actu inhærens subjecto, & ab eo sustentatum, quoniam hoc illi accidentale est: sicut autem accidens prædicamentale ut actu non inhærens subjecto, & actu ab ipso non sustentatum, concipi potest; ita etiam, ut tale, à parte rei potest divinitùs conservari, proindèque & à subjecto separari.

Ad min. primi argumenti respondeo, distinguendo illam: atqui accidens prædicamentale sine subjecto aptitudinaliter sustentante concipi non potest, concedo: atqui accidens prædicamentale sine subjecto actu sustentante concipi non potest, nego min. & conseq. Ad prob. min. distinguo maj. quod essentialiter à subjecto dependet, minimè potest sine subjecto aptitudinaliter sustentante concipi, concedo: minimè potest sine subjecto actu sustentante concipi, nego: & distinguo etiam min. atqui accidens prædicamentale essentialiter à subjecto aptitudinaliter sustentante dependet, concedo: essentialiter à subjecto actu sustentante dependet, nego: hinc accidens prædicamentale est essentialiter ens subjecto non actu, sed aptitudinaliter solùm inhærens.

Objic. 2. si accidens prædicamentale posset à substantia separari, à fortiori posset separari substantia ab omni accidente prædicamentali; magis quippe dependet accidens prædicamentale à substantia, quàm ista ab accidente prædicamentali: atqui substantia nequit ab omni accidente prædicamentali separari: ergo &c. Prob. min. inter accidentia prædicamentalia est numeranda prædicamentalis relatio; ut infra patebit: atqui

qui ſubſtantia creata à relatione prædicamentali non poteſt ſeparari: ergo &c. Prob. min. ſi ſubſtantia creata ab omni relatione prædicamentali ſepararetur, & ea careret, non eſſet amplius creatura: atqui hoc dici nequit, & omninò abſurdum eſt: ergo &c. Maj. ex eo conſtat, quòd omnis creatura neceſſariò importat relationem prædicamentalem ad Deum Creatorem.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. conceſſa iterum maj. nego min. Ad prob. ejus nego maj. licèt enim omnis creatura neceſſariò importet fundamentaliter relationem prædicamentalem ad Deum Creatorem, quatenus neceſſariò & eſſentialiter importat ejuſmodi relationis fundamentum, videlicet entitatem creatam, neceſſariò & eſſentialiter à Deo Creatore dependentem: attamen omnis creatura neceſſariò & eſſentialiter non importat formaliter relationem prædicamentalem ad Deum Creatorem; adeò ut relatio illa, formaliter in ſe ſumpta, ſit de conceptu neceſſario & eſſentiali omnis creaturæ, & ab illa prorſus inſeparabilis. In eo autem caſu, in quo ſubſtantia creata ſepararetur à relatione prædicamentali ad Deum Creatorem, formaliter in ſe accepta, & illa careret, adhuc præfatam ad Deum relationem fundamentaliter importaret.

Inſt. ſi ingentis quercus ſubſtantia ſepararetur à quantitate, ſtatim ad punctum indiviſibile reduceretur: atqui hoc abſurdum eſt: ergo &c. Prob. major: ſubſtantia quercus, & quævis alia ſubſtantia corporea, extenſionem & diviſibilitatem ſumit à quantitate, modo infra explicando: ergo ſi ſubſtantia illa à quantitate ſepararetur, ſtatim ad punctum inextenſum & indiviſibile conflueret.

Reſpondeo negando maj. quamvis enim ſubſtantia quercus, & quæcumque alia ſubſtan-

tia

tia corporea, quantitativam extenſionem & diviſibilitatem à quantitate deſumat, ut infrà exponetur; ideòque quantitativè inextenſa & indiviſibilis fiat, ſi à quantitate ſeparetur; propterea tamen non fit punctum, quod ita inextenſum eſt & indiviſibile, ut ſit extenſionis & diviſibilitatis omninò incapax: ſubſtantia verò corporea à quantitate ſeparata, licèt ſit quantitativè inextenſa & indiviſibilis, ſemper tamen per adventum quantitatis fieri poteſt extenſa diviſibiliſque.

Inſt. iterum: ſubſtantia corporea realiter à ſua eſſentia non diſtinguitur: atqui quantitas eſt ipſa ſubſtantiæ corporeæ eſſentia: ergo &c. Maj. liquet. Prob. min. quantitas eſt extenſio in longum, latum, & profundum; ut infrà dicetur: atqui extenſio in longum, &c. eſt eſſentia ſubſtantiæ corporeæ: ergo &c. Prob. min. eſſentia rei eſt id, quod primò in ipſa concipitur, & quo à cæteris diſtinguitur: atqui extenſio in longum, &c. eſt id, quod primò in ſubſtantia corporea concipitur, & quo à cæteris, & maximè à ſubſtantia ſpirituali & incorporea, diſtinguitur: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo maj. quantitas eſt fundamentalis extenſio, &c. nego: eſt formalis extenſio, &c. concedo: & diſtinguo etiam min. atqui extenſio fundamentalis in longum, &c. eſt eſſentia ſubſtantiæ corporeæ, concedo: atqui extenſio formalis in longum, &c. eſt eſſentia &c. nego. Ad prob. min. conceſſa maj. diſtinguo pariter min. atqui fundamentalis extenſio in longum, &c. eſt id, quod primò in ſubſtantia corporea concipitur, &c. concedo: atqui formalis extenſio in longum, &c. eſt id, quod primò, &c. nego.

Itaque eſſentia ſubſtantiæ corporeæ, quæ primò in ipſa concipitur, & qua à cæteris, & præſertim à ſubſtantia ſpirituali & incorporea, diſtinguitur,

tur, consistit in natura substantiali ex materia prima, & forma substantiali, composita, prout est fundamentum seu radix quantitatis sive extensionis in longum, latum, & profundum: hæc verò extensio formaliter in se sumpta, est dumtaxat substantiæ corporeæ physica proprietas, ab essentia ejus realiter distincta.

Urgeb. substantia corporea uno vocabulo dicitur *Corpus*: atqui essentia corporis est extensio in longum, latum, & profundum: ergo &c. Prob. min. essentia rei est id, quod per ejus definitionem explicatur: atqui extensio in longum, &c. per definitionem corporis explicatur; definitur quippe corpus: *Quod est extensum in longum, latum, & profundum*: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. substantia corporea uno vocabulo dicitur *Corpus* physicum, concedo: dicitur *Corpus* mathematicum, nego: & distinguo etiam min. atqui essentia corporis mathematici est extensio in longum, &c. concedo: atqui essentia corporis physici est extensio in longum, &c. nego. Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. atqui extensio in longum, &c. per definitionem corporis mathematici explicatur, concedo: atqui extensio in longum &c. per definitionem corporis physici explicatur, nego; unde corpus mathematicum, quod nempè per se primò à Mathematicis consideratur, rectè quidem definitur: *Quod est extensum in longum, latum, & profundum*: at corpus physicum, quod videlicet *Substantia corporea, & totum substantiale physicum*, solet nuncupari, definiri debet: *Substantia completa ex materia prima & forma substantiali composita, extensionis in longum, latum, &c. radix.*

§. III.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 3. si esset necessaria quantitas realiter à substantia corporea distincta, maximè, ut oret proximum & immediatum atque expedi-um accidentium materialium subjectum: atqui d hoc necessaria non est quantitas realiter à sub-antia corporea distincta: ergo &c. Maj. apud ostræ sententiæ defensores certa est. Prob. min. uòd corporea substantia sit proximum & ex-editum accidentium materialium subjectum, t ejus proprietas: ergo convenit illi ratione i, non verò ratione quantitatis realiter ab lla distinctæ.

Respondeo concessa ma. negando mi. Ad prob. us distinguo ant. quòd corporea substantia sit roximum & expeditum accidentium materia-um subjectum, est ejus proprietas mediata, oncedo: est ejus proprietas immediata, nego at:. & conseq. eo enim ipso, quòd est proprie-s mediata dumtaxat, non debet immediatè ex bstantia corporea resultare, sed mediatè tan-m, seu mediante alia proprietate vicinior substantiæ; hæc verò proprietas substantiæ corporeæ icinior, nequit esse alia, præter quantitatem, er substantiam corpoream, & cætera acci-en-materialia constitutam, realiterque ab illis nibus distinctam; quæ extendendo substan-m corpoream, reddit ipsam ad accidentia erialia corporeaque recipienda idonea.

nst. si foret necessaria quantitas realiter à sub-tia corporea distincta, maximè ad substantiam artes extendendam: atqui ad hoc necessaria est quantitas realiter à substantia corporea incta: ergo, &c. Maj. certa est. Prob. min. tantia corporea ex se in partes extenditur, sic corpus humanum ex se extenditur in caput.

col-

collum, humeros, brachia, &c. ergo ad substantiam corpoream, in partes extendendam, non est necessaria quantitas realiter à substantia corporea distincta.

Respondeo concessa ma. negando mi. Ad prob. ejus distinguo ant. substantia corporea ex se in partes confusas extenditur, concedo: ex se in partes ordinatas extenditur, nego. Itaque duobus modis substantia corporea in partes integrales extenditur. Uno quidem modo quoad realem partium distinctionem, adeò ut partes illæ realiter distinguantur: alio modo quoad connaturalem illarum ordinationem, ita ut ordinentur juxta connaturalem exigentiam *totius*, cujus sunt partes; qua ratione in toto corpore humano, caput immediatè jungitur collo, collum humeris, &c. Quantitas igitur realiter à substantia corporea distincta, necessaria est ad ipsam in partes integrales, non primo, sed secundo modo, extendendam.

Objic. 4. nulla necessitas est admittendi accidentia realiter à substantia distincta: ergo reipsa non sunt admittenda; etenim ex communi axiomate: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*. Prob. ant. ex eo, quòd nulla potest assignari ratio, quæ necessitet intellectum ad illa accidentia intelligenda & admittenda.

Respondeo negando ant. etenim necessariò admittenda sunt accidentia prædicamentalia, realiter substantiæ prædicamentali inhærentia, proindèque realiter ab ipsa distincta; ut ex dictis liquet.

Inst. 1. Si darentur accidentia prędicamentalia à substantia realiter entitativè distincta, deberent hæc accidentia importare entitatem realiter ab entitate substantiæ distinctam; ut patet: atqui accidentia prædicamentalia non important entitatem realiter ab entitate substantiæ distinctam: ergo &c. Prob. min. accidentia prædicamentalia dicuntur communiter *Entis* (seu substantiæ) *Entia*:

ia: ergo non habent entitatem realiter ab entitate substantiæ distinctam.

Respondeo concessa maj. negando min. nam cum accidens prædicamentale dicitur *Entis Ens*, particula *Entis* sumitur non formaliter, quasi significet eandem entitatem, formaliter substantiam & accidens prædicamentale in ratione entis constituentem; sed accipitur subjectivè, adeò ut designet subjectum, cui accidens prædicamentale inhæret. Unde sensus est, accidens prædicamentale esse ens adveniens enti per se subsistenti, sive substantiæ, sicuti subjecto, cui inhæret.

Inst. 2. modus non distinguitur realiter entitativè à re, cujus est modus; siquidem distinctio realis entitativa reperitur tantummodò inter duo entia, non verò inter rem & modum, vel inter duos modos: atqui quantitas, qualitas, & cætera accidentia prædicamentalia, sunt tantùm substantiæ modi: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. etenim cùm ex communi Philosophorum doctrina, modus propriè dictus sit simpliciter aliquid incompletum, in nullo prædicamento directè ponitur, sed duntaxat reducitur ad prædicamentum rei, cujus est modus: unumquodque autem accidens prædicamentale directè in proprio prædicamento collocatur, hincque *prædicamentale* nuncupatur.

Inst. 3. si accidens prædicamentale non esset modus, sed foret ens in se completum, directè in proprio prædicamento collocatum, in se entitatem completam haberet; ut patet: atqui accidens prædicamentale in se entitatem completam non habet: ergo &c. Prob. min. cùm entitas completa propriam sibi vendicet existentiam, si accidens prædicamentale in se entitatem completam haberet, etiam in se propriam existentiam obtineret: atqui accidens prædicamentale propriam existentiam in se non obtinet: ergo &c. Prob. min.

min. quod in se propriam existentiam obtinet, in se existit: atqui accidens prædicamentale in se non existit; nam alioquin per se quoque subsistit, quod dici nequit: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. concessa iterum ma. nego min. Ad prob. ejus distinguo maj. quod in se propriam existentiam obtinet, in se existit, vel cum dependentia à subjecto inhæsionis, vel sine dependentia ab illo, concedo; semper sine dependentia ab ipso nego: & distinguo pariter min. atqui accidens prædicamentale in se non existit, sine dependentia à subjecto inhæsionis, concedo: in se non existit, cum dependentia à subjecto inhæsionis, nego; ut autem accidens prædicamentale per se subsisteret, necesse foret, ut sine dependentia à subjecto inhæsionis in se existeret.

Objic. 5 substantia materialis & corporea immediatè per seipsam sensibilis est: ergo non indiget accidentibus sensibilibus realiter à se distinctis, ut sensibilis evadat.

Respondeo distinguendo ant. substantia materialis & corporea immediatè per seipsam radicaliter sensibilis est, concedo: immediatè per seipsam formaliter sensibilis est, nego: licèt enim substantia corporea immediatè per suam naturam sit radix accidentium sensibilium, quibus fit formaliter sensibilis: attamen immediatè per se ipsam non sibi realiter identificat accidentia illa; imò potiùs, cùm ista accidentia realiter inhærcant substantiæ materiali & corporeæ, ab ipsa realiter distinguuntur; ipsaque indiget eis, ut formaliter sensibilis evadat, & in sensus valeat species sensibiles sive intentionales immittere.

Dices: si darentur accidentia realiter à substantia distincta; vel crearentur, vel educerentur; quidquid enim producitur, vel creetur, vel educatur, necesse est: atqui neque creantur, neque educuntur: ergo &c. Prob. min.

&

& primò quidem non creantur: si etenim dantur accidentia illa, ab agente creato producuntur; nullum autem agens creatum potest creare; ut suo loco patebit: è subjecto etiam non educuntur; illud quippè dumtaxat è subjecto educi potest, quod in ipso præcontinetur; calor verò ver. gr. minimè in ligno præcontinetur.

Respondeo concessa ma. negando min. quoad 2. par. si enim accidentia sint naturalia, educuntur ex naturali potentia subjecti; si autem sint supernaturalia, ex obedientiali potentia subjecti educuntur. Quamvis verò calor actu in ligno non præcontineatur, attamen in ipsius potentia passiva seu receptiva præcontinetur; adeò ut produci non possit, nisi dependenter ab ipso ligno passivè aut receptivè se habente.

Instant adversarii: quid ergo intendunt Aristoteles, & D. Thomas, dum sæpè asserunt, accidens propriè non produci?

Respondeo, Aristotelem & D. Thomam velle tantùm, accidens propriè, seu propter se, non produci; sed ipsum effici impropriè, sive propter subjectum perficiendum vel afficiendum, tamquam propter finem.

Articulus Secundus.

An, & quomodo substantia materialis integrales habeat partes?

Substantia materialis ea dicitur, quæ ex materia prima & forma substantiali constat, quæque in varias partes corporeas distribuitur, ex quibus corpus ejus integratur; ejusmodi sunt *hic homo*, *hic equus*, *hic leo*, *&c.*

Ubi advertendum est, substantiam materialem habere duo partium genera: quædam enim sunt ipsius partes essentiales physicæ; suntque materia

ria prima & substantialis forma; aliæ sunt partes integrales physicæ, quæ nimirum ad corpus physicè integrandum ordinantur: substantiam materialem independenter à quantitate habere partes essentiales physicas, certissimum est; at, utrum integrales etiam habeat partes, non mediocris est inter Philosophos controversia. Ad cujus ampliorem intelligentiam.

Advertendum est iterum, ex Joanne à S. Thoma, partes integrales posse duobus modis realiter actualiter inter se distingui. Uno quidem modo quoad entitatem præcisè, adeò ut sibi vendicent entitates realiter actualiter distinctas, confusas tamen & non ordinatas.

Alio modo quoad ordinem, ita ut non tantùm realiter actualiter entitativè differant, sed etiam juxta exigentiam *Totius*, cujus sunt partes, ordinentur: ut dum in toto corpore humano, caput immediatè jungitur collo, collum humeris, &c.

Advertendum est rursus, substantiam materialem dupliciter posse quantitatem importare, scilicet, vel radicaliter, & secundùm exigentiam, quatenus nempè ipsa materialis substantia est radix quantitatis, ipsamque connaturaliter exigit; vel formaliter, & secundùm actualem affectionem, ita ut actu ea afficiatur, & actu quanta denominetur; his præmissis

Quatuor sunt Philosophorum sententiæ. Prima absolutè affirmat, substantiam materialem habere partes integrales realiter actualiter distinctas entitativè independenter à quantitate. Hanc sententiam docent Nominales, quos sequuntur Suarez, Fonseca, Conimbricenses, Rubius, & alii recentiores communiter, extra Scholam D. Thomæ.

Secunda è contrà docet, substantiam materialem, etiam sub quantitate positam, non habere integrales partes substantiales realiter actualiter in linea substantiæ distinctas; sed

esse

esse omninò indivisibilem, & totam sub tota quantitate, ac totam sub qualibet ejus parte. Istam sententiam tuentur Complutenses, Hyacinthus à Parra; pro ipsaque citantur Soncinas Ferrariensis, Capreolus, Cajetanus, Sanchez, & alii.

Tertia sententia media graditur via, asseritque, substantiam materialem, si sua quantitate divinitùs spoliaretur, nullas habituram esse partes actuales integrales; sub quantitate tamen illas obtinere. Ita docent R. P. Mailhat, R. P. Goudin, & alii recentiores Thomistæ communiter.

Quarta sententia fatetur quidem, in substantia materiali & corporea nullas reperiri partes integrales ordinatas, nisi dependenter à quantitate actu ipsam afficiente & ordinante; asserit tamen, substantiam materialem, prout est radix quantitatis, ipsamque connotat, atque connaturaliter exigit, habere partes integrales substantiales realiter actualiter distinctas independenter à quantitate actu afficiente. Istam sententiam defendunt Cosmas de Lerma lib. 7. de prædicamentis q. 8. Joannes Martinez de Prado lib. 2. Log. q. 13. Ortisius ibidem, Dominic. Linze 2. p. Philos. Ration. lib. 3. q. 2. 2. 1. nec non in Metaph. & in lib. de Gener. R. P. Alexand. Piny lib. 4. de præd. q. 3. & plures alii Thomistæ nobiles.

§. I.

Difficultas triplici conclusione explanatur.

DIco 1. in substantia materiali & corporea, independenter à quantitate afficiente & ordinante, nullæ actu sunt partes integrales ordinatæ.

Prob. 1. si materialis substantia, independenter à quantitate, absolutè & simpliciter haberet partes ordinatas, foret absolutè ac simpliciter in eas divisibilis; etenim omne totum divisibile est in partes, ex quibus constat: atqui substantia

materialis, independenter à quantitate, non eſt abſolutè & ſimpliciter in partes ordinatas diviſibilis: ergo &c. Min. eſt expreſſa D. Thomæ doctrina; nam S. Doctor variis in locis affirmat, ſubſtantiam materialem, remota quantitate, eſſe abſolutè & ſimpliciter indiviſibilem in partes; etenim 1. p. q. 50. art. 2. ſic ait: *Materiam autem dividi in partes non convenit, niſi ſecundùm quòd intelligitur ſub quantitate; qua remota, remanet ſubſtantia indiviſibilis; ut dicitur* 1. *Phyſic.* Eodem modo loquitur 4. contra Gent. cap. 65. & quodlib. 9. q. 4. ar. 1. & alibi ſæpè.

Prob. 2. ratione, quam inſinuat Angelicus Doct. opuſc. 48. Tract. de quant. ca. 4. quod alicujus proprium eſt, nequit alteri convenire, niſi dependenter ab ipſo; alioquin proprium illius non foret: atqui habere partes ordinatas, proprium eſt quantitatis: ergo &c. Prob. min. nihil alicui rei magis proprium eſt, quàm ipſius eſſentia; ut patet; atqui habere partes ordinatas, eſt quantitatis eſſentia: ergo &c. Prob. min. eſſentia quantitatis, ut infrà patebit, conſiſtit in eo, quòd ſit quoad ſe extenſa in partes, cum aptitudine ad exiſtendum in loco, modo ordinato; adeò ut & ſint diſtinctæ partes in tota quantitate, & exigant locum occupare abſque confuſione; ea nimirum ratione, ut ſingulæ partes quantitatis petant eſſe in ſingulis partibus loci: atqui hoc eſt habere ordinatas partes, ut evidens eſt: ergo &c.

Reſpondent adverſarii cum diſtinctione: concedunt namque, habere partes ordinatas quantitativas, eſſe proprium quantitatis: at negant obtinere entitativas partes ordinatas, eſſe ullo modo quantitatis proprium. Unde fatentur quidem, ſubſtantiam materialem independenter à quantitate non ſibi vendicare ordinatas partes quantitativas, benè tamen entitativas.

Sed contra ſic argumentor; in primis enim, ſi ſubſtantia materialis, ex ſe, & independenter à quan-

à quantitate, foret in ſua entitate ordinatè extenſa, aut in ordinata ſuæ entitatis extenſione conſtituta, ad ordinandam ſubſtantiæ materialis entitatem inutilis eſſet quantitas, cum ſuis partibus quantitativis ordinatis; quandoquidem jam ex ſe ordinata ſupponeretur.

Deinde: entitativæ partes ordinatæ ſunt partes quantitativæ: atqui ſubſtantia materialis independenter à quantitate non habet partes quantitativas; ut eſt evidens, & fatentur adverſarii: ergo etiam entitativas partes ordinatas non obtinet. Prob. maj. partes quantitativæ in ſubſtantia materiali ſunt illæ, quibus ipſa materialis ſubſtantia in loco exiſtit modo quanto: atqui materialis ſubſtantia, per entitativas partes ordinatas, in loco exiſtit modo quanto: ergo &c. Ma. eſt perſpicua. Prob. min. Tunc, apud Philoſophos, materialis ſubſtantia in loco exiſtit modo extenſo & quanto, cùm tota materialis ſubſtantia coextenditur toti quantitati loci; adeò ut tota ſubſtantia materialis ſit in toto loco, & ſingulæ partes ſubſtantiæ materialis ſint in ſingulis partibus loci: atqui ſubſtantia materialis per entitativas partes ordinatas, hoc modo eſt in loco, juxta adverſariorum doctrinam: ergo &c. Min. ex eo ſuadetur, quòd entitativæ partes ſubſtantiæ materialis nequeunt dici ordinatæ, niſi quia ordinatè ac non confusè ſunt in tota materiali ſubſtantia, ſicuti & in partibus loci; adeò ut tota materialis ſubſtantia ſit in toto loco, & ſingulæ ejus partes entitativæ ordinatæ, ſint in ſingulis partibus loci.

Dico 2. ſubſtantia materialis, prout ſubeſt quantitati ipſam afficienti & ordinanti, ordinatas habet partes integrales, actu intra lineam ſubſtantiæ diſtinctas realiter.

Ita colligitur ex D. Thoma variis in locis. In primis enim in 4. diſt. 10. q. 1. ar. 3. quæſtiuncula 3. ad 2. de ſubſtantia Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento ſic ait: *Quamvis non ſit*

accipere ordinem partium Corporis Christi, secundùm comparationem ad partes hostiæ; tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in Corpore Christi, secundùm propriam quantitatem; quibus verbis docet, quod licèt substantia corporis Christi non habeat in Eucharistia ordinem localem partium, qualis est in partibus hostiæ; attamen in se obtinet ordinem partium substantialium, sive partes substantiales ordinatas, ratione propriæ quantitatis ordinantis.

Præterea S. Doctor, 1. 2. quæst. 17. ar. 4. in corpore sic loquitur: *Totum in genere* (& ita in linea) *substantiæ, compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est unum simpliciter*, id est, unum per se ac ordinatum; quibus verbis declarat, totum substantiale, seu substantiam totalem, in genere, seu linea substantiæ, habere integrales partes ordinatas, quæ unum per se constituunt. Idem repetit variis in locis.

Prob. ratione fundamentali: ut substantia materialis corporea, prout quantitati afficienti subest, ordinatas, realiterque distinctas partes intra lineam substantiæ actu obtineat, satis est, ut per quantitatem realiter actualiter in partes aut portiones substantiæ extendatur & ordinetur: atqui substantia materialis & corporea, prout subest quantitati afficienti, per ipsam quantitatem realiter actualiter in partes aut portiones substantiæ extenditur & ordinatur: ergo &c. Prob. min. nisi quantitas afficiens substantiam materialem & corpoream, ipsam realiter actualiter in partes vel portiones substantiç extenderet ac ordinaret, impropriè quantitas à Philosophis, *Accidens substantiæ materialis extensivum & ordinativum*, diceretur: quandoquidem, non substantiam materialem, sed ipsam dumtaxat extenderet ac ordinaret.

Prob. rursus: substantia materialis non est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet ejus par-

parte: ergo supereſt, ut materialis ſubſtantia ſub quantitate realiter extendatur ac dividatur in diverſas partes ſeu portiones ſubſtantiæ, quæ ordinatè ſingulis partibus quantitatis correſpõdeant. Conſeq. liquet. Prob. ant. ſi tota ſubſtantia, v. g. corporis humani, eſſet ſub una parte quantitatis ejuſdem corporis, v. g. ſub quantitate unius brachii; ſequeretur, quòd ſi brachium illud amputaretur, tota corporis humani ſubſtantia auferretur: atqui hoc apertè falſum eſt: ergo &c.

Reſpondent adverſarii, negando ant. ad cujus prob. negant ſequelam maj. dicunt enim, quòd licèt ſubſtantia materialis, v. g. corporis humanii, ſit tota ſub qualibet quantitatis parte, & actu ſub tota quantitate non dividatur; diviſibiliis tamen eſt, actuque dividitur, dum actu partes quantitatis ſeparantur.

Sed contrà ſic argumentor: vel integralis portiio ſubſtantiæ, quæ eſt in brachio, eſt realiter actualiter eadem cum ea, quæ eſt in capite, ſub quantitate nondum diviſa nec ſeparata; vel eſt realiter actualiter ab illa diſtincta: ſi hoc ſecundum dicatur; habemus intentum, videlicet quòd ſub una quantitate totali indiviſa & non ſeparata dentur plures ſubſtantiæ partes ſeu portiones realiter actualiter diſtinctæ, quæ utique per ordinatas quantitatis partes ordinantur: ſi verò dicant adverſarii, integralem ſubſtantiæ portionem in brachio exiſtentem, eſſe realiter actualiter eamdem cum ea, quæ reperitur in capite; ſequitur, quòd dum iſta portio ſubſtantiæ realiter ab illa ſeparatur, idem realiter ſeparetur à ſeipſo; quod manifeſtè abſurdum eſt.

Reſpondent adverſarii, ſubſtantiæ partem in brachio reſidentem, & eam, quæ in capite exiſtit, ſub una quantitate indiviſa, actu eſſe *idem* realiter; ſed eſſe in potentia realiter *diverſa*, quorum unum realiter ab alio, diviſibile & ſeparabile eſt.

Sed contrà ſic arguo: dicuntur actu *idem* realiter,

liter, quæ actu ſunt eadem entitas; repugnat autem, eamdem realiter entitatem realiter ſeparari à ſeipſa.

Deinde, quæ realiter ſeparantur, ita ſe habent, ut realis eorum ſeparatio non faciat, ſed ſupponat, illa eſſe realiter actualiter diſtincta; unde realis actualis aliquorum ſeparatio non dicitur *cauſa*, ſed *ſignum* realis diſtinctionis actualis, ut communiter loquuntur Philoſophi: ergo dum portio ſubſtantiæ, quæ eſt in brachio, actualiter ab ea, quæ exiſtit in capite, ſeparatur, hæc diviſio & ſeparatio ſupponit illas portiones ſub quantitate indiviſa & non ſeparata realiter actualiter diſtinctas.

Dico 3. ſubſtantia materialis, prout eſt radix quantitatis, ipſamque connotat, atque connaturaliter exigit, habet integrales partes ſubſtantiales realiter actualiter diſtinctas, independenter à quantitate actu afficiente.

Prob. 1. ſi ſubſtantia materialis ex ſe & independenter à quantitate actu afficiente non ſibi vendicaret partes integrales realiter actualiter diſtinctas, maximè quia hoc eſt proprium quantitatis: atqui proprium quantitatis non eſt, habere partes integrales realiter actualiter diſtinctas, ſed eas obtinere ordinatas: ergo &c. Maj. eſt ipſum Adverſariorum fundamentum. Prob. min. ex D. Thoma in opuſc. 48. Tract. de quant. cap. 4. ubi ſic ait: *Poſitio, uno modo dicitur, ordo partium in loco; & ſic eſt unum de prædicamentis, quod dicitur ſitus: alio modo, poſitio eſt ordo partium in toto; & ſic poſitio eſt differentia* (id eſt propria ratio) *quantitatis*. Similiter loquitur 70. q. 5. art. 3. ad 3. nec non 4. contra gent. cap. 65. & alibi ſæpè; quibus verbis docet, differentiam, ſeu propriam rationem quantitatis non eſſe diſtinctionem realem actualem partium integralium, ſed earum ordinem ſeu ordinationem.

Prob. 2. diſtinctio realis actualis numerica, verè

eſt diſtinctio realis actualis; ut patet: atqui
ter integrales unius ſubſtantiæ materialis par-
s datur diſtinctio realis actualis numerica in-
ependenter à quantitate actu afficiente: ergo
c.. Prob. min. docent communiter Diſcipuli
. Thomæ, duo concurrere ad diſtinctionem
allem actualem numericam ſubſtantiarum ma-
rialium, ſcilicet materiam primam in recto,
quantitatem de connotato; ita ut illæ ſub-
amtiæ diſtinguantur numericè, quatenus diver-
earum materiæ diverſas connotant quanti-
tees. Adduntque, neceſſe non eſſe, ut quan-
tates actu formaliter afficiant ſubſtantias ma-
riales; ſed ſatis eſſe, ut diverſæ ſubſtantiæ di-
erſas connaturaliter exigant quantitates tam-
uam ipſarum radices.

Quod quidem proportionaliter venit intelli-
emdum, adeò ut materiales ſubſtantiæ totales,
ealiter actualiter numericè differant ex eo,
uöd connaturaliter diverſas exigant quantitates
otiales, eſto actu ipſis non afficiantur: & mate-
ales ſubſtantiæ partiales, ſeu diverſæ partes ſub-
amtiales integrales, realiter actualiter numeri-
diſtinguantur, ex eo, quòd diverſas connatu-
liter petant quantitates partiales, licèt actu
lies minimè afficiantur. Hanc rationem & do-
triinam tradit præſertim Joannes à S. Thoma.

§. II.

Adverſariorum argumenta ſolvuntur.

OBjic. 1. D. Thomas in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. impugnat ſententiam quorumdam Philoſo-
horum aſſerentium, quòd quia materia prima
x: ſe omni quantitate caret, ideò ſit om-
quantitatis capax; probatque, materiam
niam, & quantitatem, debere proportionari:
rgo ſicut quantitas ex ſe ordinatas obtinet
partes, ita & materia prima.

Reſpondeo negando conſeq. nam materia prima, ex mente D. Thomæ loco citato, debet quidem quantitati proportionari; at non quia ex ſe independenter à quantitate ordinatas obtineat partes; ſed quia materia prima eam dumtaxat quantitatem ordinatas & proportionatas partes tribuentem debet recipere, quam exigit ſubſtantialis forma, qua informatur.

Inſt. S. Doctor ibidem aſſerit, animal per nutritionem ſucceſſivè plures ſubſtantiæ materialis partes acquirere; quæ quidem partes ordinatè ſe habent in animali nutrito: ergo materialis ſubſtantia independenter à quantitate ordinatas ſibi vendicat partes.

Reſpondeo negando conſeq. Verum etenim eſt quidem, animal per nutritionem ſucceſſivè plures partes ſubſtantiales comparare, quæ ordinatè ſe habent in animali nutrito; at dependenter ſolùm à quantitate ordinante. Unde dum animal nutritur, quot partes ſubſtantiæ acquirit, tot partes quantitatis cõſequitur, & per iſtas illæ ordinãtur.

Urgeb. Dum fit animalis nutritio, ipſum animal priùs partes ſubſtantiæ aſſequitur, quàm partes quantitatis conſequatur: ergo partes ſubſtantiæ nequaquam per quantitatis partes ordinantur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. dum fit animalis nutritio, ipſum animal priùs, prioritate naturæ in genere cauſæ materialis ſubjectivæ, partes ſubſtantiæ aſſequitur, quàm partes quantitatis conſequatur, concedo; namque partes ſubſtantiales, quæ in nutritione comparantur, ſunt cauſa materialis ſubjectiva, ſeu ſubjectum partium quantitatis, quæ etiã tunc acquiruntur: priùs prioritate durationis, partes ſubſtantiæ aſſequitur quàm, &c. adeò ut ſit aliqua duratio, in qua animal, quod nutritur, acquirat partem ſubſtantiæ, & partem quantitatis novam non obtineat, qua ordinetur, nego ant. & conſeq.

Objic. 2. ſubjectum quantitatis debet ex ſe ordi-

dinatas partes habere: atqui ſubſtantia materialis eſt quantitatis ſubjectum; ſicuti certum eſt: ergo &c. Prob. maj. ſubjectum accidentis ordinatas partes habentis, debet eſſe ex ſe ordinatis partibus præditum; ſubjectum quippe, & accidens, proportionentur neceſſe eſt: atqui quantitas eſt accidens ordinatas habens partes: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſubjectum quantitatis debet aptitudinaliter ex ſe ordinatas partes habere, concedo: debet actualiter ex ſe ordinatas partes habere, nego; & conceſſa min. nego conſeq. ſub diſtinctione data. Ad prob. maj. diſtinguo maj. ſubjectum accidentis ordinatas partes habentis debet aptitudinaliter eſſe ex ſe ordinatis partibus præditum, concedo: debet actualiter eſſe ex ſe ordinatis partibus præditum, nego; ſufficit enim, ut ſubjectum illud ſibi vendicet partes ordinabiles, quæ per receptionem accidentis ordinatas partes obtinentis actualiter ordinentur

Inſt. proportio & adæquatio inter quantitatem & ſubſtantiam materialem, per modum ſubjecti conſideratam, requirit, ut ordinatæ partes quantitatis in ordinatis partibus ſubſtantiæ materialis recipiantur: ergo ordinatæ partes quantitatis ordinatas in ſubſtantia materiali partes præſupponunt.

Reſpondeo diſtinguendo ant. proportio &c. requirit, ut ordinatæ partes quantitatis in aptitudinaliter ordinatis partibus ſubſtantiæ materialis, ſive in hujuſmodi partibus ut ordinabilibus recipiantur, concedo: requirit, ut ordinatæ partes quantitatis in actualiter ordinatis partibus ſubſtantiæ materialis recipiantur, nego; & diſtinguo pariter conſequens: Ergo ordinatæ partes quantitatis ordinatas aptitudinaliter, ſive ordinabiles, in ſubſtantia materiali partes præſupponunt, concedo: Ergo ordinatæ partes quantitatis actualiter ordinatas in ſubſtantia materiali partes præſupponunt, nego.

Dices: substantia Corporis Christi in Eucharistia existentis, est verè materialis ac corporea; ut patet: atqui hæc substantia ordinatas obtinet partes independenter à quantitate: ergo &c. Prob. min. & primò quidem substantia Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento existentis habet ordinatas partes; etenim in corpore illo caput immediatè jungitur collo, sicuti & collum humeris; & sic ordinatè discurrendo per singulas partes. Quòd verò substantia illa importans partes ordinatas, sit à quantitate independens, ex eo suadetur, quòd quantitas in extensione consistit; substantia autem Corporis Christi in Eucharistia est ab extensione independens, cùm ibi extensione careat, & modo inextenso, secundùm fidem, existat.

Respondeo concessa ma. negando min. licèt enim substantia Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento careat extensione in ordine ad locum, quæ est dumtaxat proprietas, aut effectus secundarius quantitatis; ideòque sit ibi modo inextenso in ordine ad locum: attamen habet extensionem in ordine ad se, secundùm quam partes Corporis Christi ordinantur inter se, juxta connaturalem ejus exigentiam. Et in hac extensione consistit essentia & effectus primarius quantitatis.

Dices rursus: in pane ad consecrationem præparato ordinatæ partes substantiæ materialis sunt à quantitate independentes: ergo idem dicendum est de partibus ordinatis cujusvis alterius substantiæ materialis. Prob. ant. partes illæ possunt ab invicem dividi, indivisa quantitate remanente: ergo sunt à quantitate independentes. Conseq. videtur evidens. Prob. ant. potest Sacerdos ex ordinatis partibus substantiæ materialis panis, unam consecrare, altera non consecrata, & quantitate panis indivisa remanente; in eo autem casu, una pars ordinata materialis substantiæ panis divideretur ab altera,

in-

indivisa quantitate panis permanente: ergo &c.

Respondeo negando ant. Ad cujus prob. distinguo ant. Partes illæ possunt supernaturaliter ab invicem dividi, indivisa quantitate remanente, esto: partes illæ possunt naturaliter ab invicem dividi, indivisa quantitate remanente, nego ant. & conseq. Itaque sicut paries est albus dependenter ab albedine, in genere causæ formalis; & tamen ipse paries albus potest supernaturaliter destrui, albedine integra divinitùs perseverante: ita, quòd materialis substantia panis sit in partes ordinatas extensa, hoc obtinet dependenter à quantitate in genere causæ formalis; & nihilominùs omnes illæ partes supernaturaliter deleri possunt, vel una dividi ac cessare potest, altera permanente, & tota quantitate integra indivisaque remanente.

Urgeb. cùm effectus formalis non distinguatur à forma, nequit forma perseverare, nisi effectus formalis permaneat: ergo si ordinatæ partes materialis substantiæ panis, sint formales effectus quantitatis indivisæ, debent omnes illæ partes permanere, quantitate indivisa perseverante.

Respondeo distinguendo ant. cum effectus formalis non distinguatur à forma communicata subjecto, nequit forma, ut subjecto communicata, perseverare, nisi effectus formalis permaneat, concedo; nequit forma, ut subjecto non communicata, perseverare, nisi effectus formalis permaneat, nego; quia licèt effectus formalis sit forma, ut subjecto communicata; distinguitur tamen ab ipsa, ut subjecto non communicata. Et distinguo pariter consequens: Ergo si ordinatæ partes &c. debent omnes illæ partes permanere, quantitate indivisa perseverante, ut communicata subjecto, concedo: debent omnes illæ partes permanere, quantitate indivisa perseverante, ut non communicata subjecto, nego: sicut autem in casu, in quo entitas substantialis parietis albi destrueretur, albedine

integra permanente per miraculum, albedo communicata subjecto ampliùs nõ maneret;quoniam ejus subjectũ, scilicèt substantialis entitas parietis,auferretur:sic etiã in ea hypothesi,in qua ordinatæ partes substantię materialis panis delerẽtur, quantitate indivisa remanẽte, divina operãte potentia; quantitas illa subjecto communicata non permaneret ampliùs, quia illius subjectũ, nempè substantialis entitas illarum partium, tolleretur.

Obji.3. si materialis substantia Oceani à quantitate ordinatas partes acciperet, indivisibilis fieret, si quantitate à Deo privaretur: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. ex eo constat, quòd substantia Oceani sic quantitate privata, nullas haberet partes, in quas posset dividi. Prob. mi. autem: si materialis substantia Oceani in eo casu indivisibilis evaderet, statim unico momento ad indivisibilis puncti situm confflueret; proindèque localis motus uno fieret momento; quod planè repugnat, ut communiter docent Philosophi.

Resp. distinguendo ma. si materialis substantia Oceani &c. indivisibilis in partes integrales ordinatas fieret,si quãtitate à Deo privaretur,cõcedo; indivisibilis in partes integrales substantiales non ordinatas & confusas realiter actualiter distinctas nego. Ex quo patet,quòd tota Oceani substantia ad unius puncti situm,in eo casu,non confflueret, motu locali; quandoquidem punctum omninò indivisibile est in quascumque tamdem partes.

Inst. si Oceani substantia in illa hypothesi indivisibilis evaderet, major una gutta non esset atqui id absurdum est: ergo, &c.

Resp. distinguendo ma.si Oceani, &c.major una gutta non esset, per privationẽ omnis quantitatis seu magnitudinis,conc.major una gutta nõ esset, per mutuam magnitudinis æqualitatem,inter totam Oceani substantiam, & unam guttam, nego.

Inst. iterum: si integra Oceani substantia quantitate privata, indivisibilis foret, posset Petrus uno haustu integram Oceani substantiam deglutire:

tire: atqui hoc ridiculum eſt: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. illud quippe dumtaxat Petrus valet deglutire, quod localiter extenſum eſt, & de ſuo loco ad os Petri deglutientis moveri poteſt: ſubſtantia autem omni quantitate privata, non eſt localiter extenſa, (cùm localis extenſio ſit, vel proprietas, vel ſecundarius quantitatis effectus) ac proinde nequit localiter moveri.

Objic. 4. & inſt. ampliùs: quod ordinatè eſt in loco, ordinatas ſibi vendicat partes; ut conſtat: atqui ſubſtantia aquæ in vaſe contenta, ſi quantitate ſpolietur, ordinatè in loco, nempè in vaſe, remanet: ergo &c. Prob. min. quando aquæ ſubſtantia in vaſe contenta, quantitate ſpoliata eſt, in alium locum non migravit: ergo ordinatè in loco permanet.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. conceſſo ant. nego conſeq. ut enim aliqua ſubſtantia corporea in aliquo loco actu ordinatè exiſtat, non ſufficit, quòd in alium locum non migraverit; ſed requiritur, ut actu locum ordinatè tangat: materialis verò ſubſtantia actu locum non tangit, niſi mediante quantitate, qua in ordine ad locum extenditur.

Inſt. omnis ſubſtantia in rerum natura exiſtens actu exiſtit in loco, & quidem determinato: atqui ſubſtantia aquæ in vaſe contenta, & propria quãtitate ſpoliata, in rerũ natura exiſtit: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. omnis ſubſtantia in rerum natura exiſtens, actu per connaturalem exigentiam exiſtit in loco, &c. concedo: actu per actualem contactum loci, ſubdiſtinguo: actu exiſtit naturaliter, concedo: actu exiſtit ſupernaturaliter, & ſecundùm potentiam abſolutam Dei, nego: quamvis enim quælibet ſubſtantia corporea in rerum natura ſubſiſtens, connaturaliter exigat determinatum tangere locum; attamen de potentia Dei abſoluta privari poteſt quantitate, qua locum tangebat. In ea verò

verò hypothesi, substantia illa erit in mundo non tamquam res actu locata, sed dumtaxat sicut pars universi vera.

Urgeb. si Deus vellet illi substantiæ quantitatem restituere, eam ipsi in vase redderet: ergo signum est, substantiam illam in vase remansisse.

Respondeo, dato antec. distinguendo consequens: ergo signum est, substantiam illam in vase, secundùm connaturalem exigentiam, remansisse, concedo; revera enim substantia illa connaturaliter exigeret, eo modo vas occupare, quo ipsum ante quantitatis spoliationem implebat: ergo signum est, substantiam illam in vase, per actualem ipsius vasis contactum, remansisse, nego.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 4. si substantia materialis ordinatas partes à quantitate obtineret, ab ea dependeret: atqui hoc dici nequit; repugnat quippe summæ perfectioni substantiæ, ut ab accidente, cujusmodi est quantitas, dependeat: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si substantia materialis &c. ab ea secundùm quid dependeret, concedo: ab ea simpliciter dependeret, nego. Et distincta similiter min. nego conseq. Itaque quamvis summæ excellentiæ substantiæ non competat, ut simpliciter & in sua entitate ab accidente pendeat; minimè tamen repugnat, substantiam, secundùm quid, & ratione effectus formalis ab accidente provenientis, ab accidente dependere: quòd autem substantia materialis ordinatas habeat partes, est formalis effectus accidentis, videlicet quantitatis, modo infrà explicando.

Inst. *prius non dependet à posteriori*; ex com-

communi axiomate: atqui substantia prior est accidente; ut docent Philosophi: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. prius, sub ea ratione, sub qua prius est, non dependet a posteriori, concedo: prius, sub ea ratione, sub qua non est prius, non dependet à posteriori, nego: quamvis autem substantia, quantùm ad entitatem suam, sit accidente prior; non tamen est prior, sed potiùs est posterior accidente, quantùm ad effectum formalem ab accidente procedentem.

Dices: mons ingens habet à sua materiali substantia, quòd sit in plures partes ordinatas extensus, quàm extensum sit unum tritici granum: ergo montis ingentis substantia materialis, ex se ordinatas obtinet partes.

Respondeo distinguendo ant. mons ingens habet radicaliter à sua materiali substantia, quòd sit &c. concedo; revera enim montis ingentis substantia est radix quantitatis majoris, qua in plures ordinatas partes extenditur, quàm extendatur unicum tritici granum: mons ingens habet formaliter &c. ita ut ex se formaliter & actualiter sibi vendicet ordinatas partes, quas monti ingenti tribuat, nego: & distinguo pariter consequens: ergo montis ingentis substantia materialis, ex se radicaliter ordinatas, &c. concedo: ex se formaliter ordinatas, &c. nego.

Objic. 6. si substantia, prout subest quantitati, integrales haberet partes actu intra lineam substantiæ distinctas, non foret tota sub qualibet ejus parte; sed tota substantia esset sub tota quantitate, & singulæ partes substantiæ essent sub singulis partibus quantitatis: atqui id dici nequit: ergo &c. Ma. liquet. Prob. min. ex D. Thom. 3. p. q. 77. a. 5. in corpore: Corpus Christi est sub specie panis, eo modo, quo substantia panis erat sub sua quantitate dimensiva: ergo sicut totum Christi Corpus sub tota specie panis, & sub qualibet ejus parte, invenitur; ita panis substan-

ſtantia erat tota ſub tota quantitate dimenſiva, & ſub ſingulis partibus ipſius tota.

Reſpondeo conceſſa maj. negando minor. Ad prob. ejus ex D. Thoma deſumptam, dico, S. Doctorem in eo artic. quærere, *Verum Corpus Chriſti ſit in Sacramento Euchariſtiæ, ſicut in loco?* Eſt enim articuli titulus. Reſpondetque negativè; & rationem reddit: quia quamvis Chriſti Corpus, ſecundùm quid, ſit ſub ſpecie panis, eo modo, quo ſubſtantia ipſius panis erat ſub ſua quantitate dimenſiva; quatenus, ſicut panis ſubſtantia ſub ſua quantitate erat velut ſub accidente per ſenſus cognoſcibili, licèt ipſa per ſenſus immediatè percipi nequaquam poſſet: ſic etiam Corpus Chriſti eſt ſub ſpecie panis, id eſt, ſub ejus quantitate, colore, &c. veluti ſub accidentibus ſenſibilibus; quamvis ejuſmodi Corpus in Euchariſtia minimè à ſenſibus valeat apprehendi: attamen ſimpliciter eodem modo Chriſti Corpus non continetur ſub ſpecie panis, quo panis ſubſtantia ſub ſua quantitate dimenſiva ſubſiſtebat: etenim ſubſtantia panis ſuberat ſuæ quantitati dimenſivæ, ſicut ſubjectum ejus, quod ipſa informabatur, & localiter extendebatur; ideòque erat ibi, ſicut in loco: at Corpus Chriſti non ineſt quantitati panis, tanquam proprium ejus ſubjectum, ſed eam reſpicit, ut ſibi alienam & extrinſecam; unde ab illa extrinſecè quidem continetur, non tamen localiter extenditur. Et idcircò rectè tamdem concludit S. Doctor, Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento non eſſe ſicut in loco.

Et quidem, quòd hæc ſolutio & interpretatio ſit menti Præceptoris Angelici conſentanea, patebit ſatis, ſi ejus verba referantur; ſunt autem ejuſmodi: *Vnde relinquitur, quòd Corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento, ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ; eo ſcilicet modo, quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus; ſuccedit enim ſubſtantia Corporis Chriſti in hoc Sacramen-*

...substantiæ panis .... non tamen substantia Corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis; & ideò substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quasi comparabatur ad illum locum mediantibus propriis dimensionibus; substantia autem Corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis .... unde nullo modo Corpus Christi est in hoc Sacramento localiter. Hæc D. Thomas.

Inst. D. Thomas 4. contra Gent. cap. 67. docet, substantiam materialem esse totam sub tota quantitate, & totam sub qualibet ejus parte: ergo substantia materialis, prout subest quantitati, in partes intra lineam substantiæ non distribuitur.

Respondeo cum distinctione, quam insinuat S. Doctor ibidem, & 3. p. qu. 67. art. 3. nec non q. de Animal. art. 10. Concedo namque, substantiam materialem esse totam totalitate essentiali sub tota quantitate, & totam sub qualibet ejus parte; totam quippe essentiam, tum metaphysicam ex genere & differentia constantem, tum physicam ex materia prima & substantiali forma compositam, sub qualibet quantitatis parte, consequitur: at nego, materialem substantiam esse totam totalitate integrali sub tota quantitate, & totam sub qualibet ipsius parte; reverà enim substantia materialis totalitatem suam integralem, id est, totam integritatem suam, non nisi sub tota quantitate sua obtinet.

Unde D. Thomas ibidem, inter materialem substantiam, & quantitatem, hoc discrimen ponit, quòd substantia materialis tripliciter spectari possit, scilicet metaphysicè, prout sibi vendicat essentiam ex genere & differentia constantem; physicè essentialiter, prout importat essentiam ex materia prima & substantiali forma compositam; & physicè integraliter, prout est totum integrale, ex partibus integrantibus coalescens:

Ita-

Itaque substantia materialis primo & secundo modo sumpta, est sub qualibet quantitatis parte tota: at tertio modo accepta, tota est sub tota quantitate, & singulæ ejus partes sunt sub singulis partibus quantitatis.

Quantitas verò duobus tantùm modis considerari potest: nimirum, vel metaphysicè, prout ex genere ac differentia constat; vel physicè integraliter, prout ex integralibus partibus coalescit: primo modo considerata, invenitur quidem tota sub qualibet parte sua; secundo autem modo usurpata, est partim in qualibet parte, & tota sub omnibus partibus simul & collectivè sumptis.

Inst. iterum: si substantia totalis corporea, prout subest quantitati, integrales haberet partes, actu intra lineam substantiæ distinctas, in una substantia darentur actu plures substantiæ; plures enim illæ partes substantiales actu distinctæ, forent plures substantiæ: atqui ex Aristotele, & D. Thoma, in una substantia non dantur actu plures substantiæ: ergo &c. Prob. min. in primis etenim Aristoteles 7. Metaph. Textu 49. hæc scribit: *Impossibile est, substantiam ex substantiis esse, quæ sic insunt, ut in actu; quæ enim duobus sic actu sunt, nunquam unum actu sunt; sed si potentia duo sunt, erunt actu unum.* Et ibidem D. Thomas Lect. 13. sic ait: *Impossibile est, aliquam substantiam esse ex pluribus, quæ sunt in ea actu; duo enim, quæ sunt in actu, nunquam sunt unum actu; sed duo, quæ sunt in potentia, sunt unum actu.* Quod repetit textu 56. Lect. 16.

Respondeo distinguendo ma. si substantia totalis corporea &c. in una substantia darentur actu plures substantiæ partiales & unitæ, concedo: darentur actu plures substantiæ totales, & actu separatæ, nego. Plures enim illæ partes substantiales actu distinctæ, sunt quidem plures substantiæ; at non totales, & actu separatæ, sed partiales, & actu unitæ; separatæ tamen

men in potentia, seu separabiles.

Ad Aristotelem & D. Thomam, dico, illos velle tantùm, repugnare, dari unam substantiam totalem, quæ ex pluribus substantiis totalibus & actu separatis componatur; hæc quippe substantia totalis, non una, sed *multiplex* foret: nullibi verò docent, repugnare substantiam totalem, quæ ex pluribus substantiis partialibus actu unitis, & in potentia separatis, sive separabilibus, coalescat.

Urgebis: D. Thomas loco ultimò citato ait, im substantia totali plures substantias inveniri eo modo, quo elementa sunt in mixto: ergo quemadmodùm elementa in ratione partium non sunt actu in mixto distincta, ita nec partiales substantiæ in substantia totali ad modum partium actualiter distinguuntur; verba D. Thomæ sunt ista: *Sicut de terra, & igne, aqua, & aere, quando sunt partes corporis mixti, sunt actu existentia, sed potentia in mixto.*

Respondeo distinguendo ant. D. Thomas ait, quantùm ad aliquid, in substantia totali plures substantias inveniri eo modo, quo elementa sunt in mixto, concedo: ait, quantùm ad omnia, nego. Itaque S. Doctor intendit tantùm, quòd sicut quandiu elementa sunt partes mixtum componentes, tandiu sunt actu *unita*, & in potentia solùm separata; si verò mixtum *dissolvatur*, resultant elementa totalia actu ab invicem separata: sic etiam quandiu substantiales partes sunt in substantia totali, tandiu unitæ subsistunt; si autem totalis substantia separetur & dividatur, consurgunt plures totales substantiæ actu ab invicem separatæ.

Objic. 7. si materialis substantia ordinatas partes intra lineam substantiæ, à quantitate obtineret, partes illæ forent formalis effectus quantitatis: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Major. videtur manifesta. Prob. min. effectus for-

partes intra lineam
possunt dici formalis effectus
mæaccidentalis minimè ingreditur lineam sub.
stantiæ; cùm enim formalis effectus formæ
non distinguantur ab ipsa, forma accidentalis,
& formalis effectus ipsius, eandem accidentis,
& non substantiæ, lineam ingrediantur neces.
se est: atqui quantitas est forma accidentalis;
ostensum enim est suprà, quantitatem esse ac.
cidens physicum, realiter à substantia distin.
ctum: ergo &c.

Respondeo distinguendo major. si materialis
substantia &c. partes illæ de formali & in obliquo
ac de connotato forent effectus formalis quan.
titatis, concedo: partes illæ de material; & in
recto, forent, &c. nego: & distincta similiter
minor. nego conseq. Ad prob. minor. distin.
guo antec. effectus formalis quantitatis non in.
greditur lineam substantiæ; si sit ejus effectus in
recto, concedo: non ingreditur lineam sub.
stantiæ; si sit illius effectus in obliquo solùm
ac de connotato, nego antec. & conseq. sub
distinctione data. Ad prob. ant. distinguo ma-
jor. formalis effectus formæ accidentalis minimè
ingreditur lineam substantiæ: si illa accidenta-
lis forma non sit lineæ substantiæ ordinativa,
concedo: si sit lineæ substantiæ ordinativa,
distinguo: minimè ingreditur lineam substantiæ,
si sit ejus effectus in recto, concedo: minimè in-
greditur, si sit illius effectus in obliquo solùm ac
de connotato, nego: quantitas autem est qui-
dem accidentalis forma, sed lineæ substantiæ or-
dinativa.

Itaque ordinatæ partes substantiæ in recto ac
de materiali, sive per modum materiæ aut subje-
cti quantitatis, sunt partes substantiales realiter
actualiter distinctæ, quas substantia materialis
importat, prout est radix quantitatis, quam con-

su
co
diti
res, e
sub d
Dice
lem affi
dit: erg
afficiens,
sam non c
Respond
paritatem.
materialis sub
ideòque ipsam
bam redderene
do substantiæ n
ejus intrinsecè a
nativa; ut ex di
trinsecè ac substan
tensam constituit

Satisfit aliis

OBjic. 8. D. Thomas
rit, substantiam mate
titate, sive independenter
ficiente, esse indivisibilem
non habet integrales

connotat, ut tribuentem suum formalem esse-
tum, per modum conditionis complentis &
rdinantis.

Inst. habere ordinatas partes, est quantitatis
entia; ut infrà constabit: atqui quantitatis
ntia est omninò extra lineam substantiæ; ut
t: ergo &c.

espondeo distinguendo maj. habere ratione
ordinatas partes, est quantitatis essentia,
do: habere ratione alterius, tanquam con-
s complentis & ordinantis, ordinatas par-
essentia quantitatis, nego ant. & conseq.
nctione data.

dum albedo actu substantiam materia-
: eam substantialiter albam non red-
variter quantitas eandem substantiam
ipsam in partes substantialiter exten-
nstituit.

concesso ant. negando conseq. &
isparitas est, quòd albedo, qua
antia afficitur, est ei extrinseca;
extrinsecè ac substantialiter al-
it: at quantitas est aliquo mo-
eriali intrinseca; est quippe
ntra lineam substantiæ ordi-
liquet: & idcircò illam in-
liter in partes ordinatas ex-

V.

mentis.

suprà citatis asse-
n remota

nuta quantitate, sive &c. esse in partes ordi-
natas indivisibilem, concedo: esse in partes in-
ordinatas atque confusas indivisibilem, nego: &
distinguo pariter consequens: ergo sic conside-
rata non habet integrales partes ordinatas sub-
stantiales, &c. concedo: ergo sic considera
non habet integrales partes inordinatas & confu-
sas substantiales, &c. nego.

Inst. D. Thomas opusc. 70. q. 9. art. 3. & alib.
sæpè docet, distinctionem numericam rerum
materialium esse à quantitate velut à prima ra-
dice (desumendam: ergo independenter à quan-
titate non sunt in substantia materiali partes in-
tegrantes numericè distinctæ.

Respondeo distinguendo ant. D. Thom. &
docet, distinctionem numericam rerum mate-
rialium esse à quantitate, vel actu afficiente, vel
connotata, velut à prima radice, desumendam,
concedo: docet, distinctionem numericam re-
rum materialium esse à quantitate necessario
actu afficiente, velut à prima radice, desumen-
dam, nego: & distinguo consequens: ergo in-
dependenter à quantitate connotata non sunt
&c. concedo: ergo independenter à quantitate
actu afficiente non sunt &c. nego.

Dices: si materialis substantia independente
à quantitate, actu afficiente, distinctas realiter
actualiter partes obtineret, etiam ordinatas par-
tes haberet: atqui hoc dici nequit; ut liquet ex
prima conclusione: ergo &c. Prob. maj. partes
illæ realiter actualiter distinctæ, forent integræ
les; ut patet: atqui integrales partes sunt ordi-
natæ; utpotè totum integrale, quod ordinatum
est, componentes: ergo &c.

Respondeo negando majorem. Ad cujus proba-
tionem, concessa majori, distinguo minorem:
atqui

ret in
quand
prietas
ergo &
Respo-
terialis &
confuso se
ret in cas,
bilis, nego;
natas, seu mo
tas est quantita
afficientis.

Dices insuper
ta quantitate, di
in cas extensa: at
&c. Ma. videtur
partes extensum,
stantia materialis,
quanta; ut patet: er
Respondeo distingu
stantia &c. esset in eas
sas, extensa, concedo:
tas, extensa, nego: esse
in partes ordinatas exten
Objic. 9. si aliqua mate
distinctas partes haberet,
materiali foret dicendum, c
tio de una, quàm de a
substantia materiali

arqui integrales partes sunt ordinatæ: si conside.
entur, prout subsunt formæ ordinanti, actu ip-
s afficienti, concedo: si præcisè secundùm se
ectentur, abstrahendo à forma ordinante,
u afficiente, quales sunt partes integrales
iter actualiter distinctæ in substantia mate-
independenter à quantitate actu afficien-
nego.

ces iterum: si substantia materialis inde-
ter à quantitate actu afficiente, diltin-
liter actualiter partes sibi vendicaret, fo-
divisibilis: atqui hoc dici non potest;
uidem divisibilitas in partes, est pro-
uantitatis actu substantiam afficientis:

leo distinguendo ma. si substantia ma-
foret in eas, modo inordinato &
abentes, divisibilis, concedo: fo-
odo ordinato se habentes, divisi-
ivisibilitas quippe in partes ordi-
ordinato se habentes, proprie.
s actu substantiam materialem

materialis substantia, remo.
citas retineret partes, esset
hoc non potest dici: ergo
picua. Prob. min. esse in
ſæ quantum: atqui sub-
tia quantitate, non est
c.

rma. si materialis sub-
n ordinatas & confu-
r in eas, ut ordina-
quantum, est esse

substantia ex se

tes: ergo &c. Prob. min. materia prima, prout formam substantialem antecedit, est quædam substantia materialis: atqui ex se distinctas realiter actualiter partes non obtinet: ergo &c. Prob. minor. si materia prima ex se actualiter distinctas partes obtineret, ipsa ex se principium actualis distinctionis haberet: atqui hoc in Schola D. Thomæ non videtur dicendum: ergo &c. Prob. minor: actualis distinctionis principium debet esse actus: atqui materia prima ex se nullum habet actum; prout Schola docet Angelica: ergo &c.

Addi potest, quòd si materia prima ex se distinctas actualiter partes integrales importaret, ex eis componeretur: atqui materia prima ex se nequaquam ex partibus integralibus componitur: ergo &c. Ma. manifesta videtur. Prob. min. in eo, quod per se componitur, unum est actus, & alterum est potentia, ut communiter docent Philosophi: atqui in materia prima ex se, aut secundùm se considerata, unum non est actus, & alterum potentia; sed ipsa tota est pura potentia; ut in Physica constabit: ergo &c.

Respondeo 1. concessa ma. negando min. Ad cujus prob. concessa iterum ma. nego min. Ad ejus prob. distinguo ma. si materia prima &c. ipsa ex se, principium actualis distinctionis materialis & numericæ haberet, concedo: ipsa ex se, principium actualis distinctionis formalis & specificæ haberet, nego: & distincta pariter min. nego conseq. sub distinctione data. Ad prob. min. distinguo ma. actualis distinctionis formalis principium debet esse actus, concedo: actualis distinctionis materialis principiū debet esse actus, nego: & concessa min. distinguendum est consequens distinctione superiùs assignata. Itaque materia prima, prout formam substantialem antecedit, habet partes realiter quidem actualiter distinctas; at non distinctione formali & specifica, sed materiali duntaxat & numerica; cujus quidem

distinctionis principium non est forma seu
s, sed est materia ipsa, prout diversas quan-
is partes connotat.
espondeo 2. distinguendo maj. si aliqua mate-
s substantia, &c. id de omni substantia ma-
ali completa & totali foret dicendum, conce-
id de omni substantia materiali incompleta
partiali foret dicendum, nego: & distinguo
iliter mi. atqui non omnis substantia materia-
ncompleta & partialis, ex se distinctas habet
es, concedo: atqui non omnis substantia
erialis completa & totalis, ex se distin-
&c. nego. Ad prob. min. distinguo maj.
teria prima, prout formam substantialem
ecedit, est quædam substantia materialis in-
npleta & partialis, *concedo: est quædam*
stantia materialis completa & totalis, ne-
& concessa min. distinguendum est conse-
ens, *distinctione data.*
Quando igitur suprà diximus, substantiam
terialem ex se & independenter à quantitate
fficiente habere partes integrales realiter a-
liter distinctas, id simpliciter venit intelli-
um de substantia materiali completa & to-
quæ sola ut quod ejusmodi obtinet partes;
antia verò materialis incompleta & partia-
qualis est materia prima, solùm *ut quo* præ-
habet partes; videlicet tamquam id, quo
omitur totalis substantia, in qua sola il-
rtes *simpliciter inveniuntur.*
id, quod additur, distinguo ma. si mate-
ma! &c. ex eis componeretur compositione
li, concedo: ex eis componeretur com-
ne essentiali, nego: & *distincta* similiter
go, conseq. sub distinctione data. Ad prob.
stingguo ma. in eo, quod per se componitur
sitione essentiali, unum est actus, & al-
est potentia, concedo: in eo, quod per se
nitur cōpositione integrali, unū est actus,
um est potentia, nego; satis enim est, ut

partes integrales sibi mutuò per se uniantur ad integrandum totum; licèt una non sit actus, & altera non sit potentia.

Dices: si substantia materialis ex se, & independenter à quantitate actu afficiente, distinctas realiter actualiter partes integrales haberet, in ea essent partes extra partes; proindèque in ipsa foret partium impenetrabilitas: atqui hoc dici nequit; quandoquidem impenetrabilitas est quantitatis proprietas: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si substantia materialis &c. in ea essent partes extra partes; in ordine ad ipsam totam substantiam materialem, concedo; in ordine ad locum, nego: ad propriè dictam verò partium impenetrationem requiritur, ut ipsæ partes sint extra se mutuò, in ordine ad locum, adeò ut diversa occupent loca partialia, & una sit extra locum alterius.

Dices tamdem: docent communiter Discipuli D. Thomæ, in substantia materiali independenter à quantitate nullas esse partes integrales: ergo nostra sententia à communi Thomistarum doctrina discedit.

Respondeo distinguendo antecedens: docent communiter Discipuli D. Thom. in substantia materiali independenter à quantitate actu afficiente, vel connotata, nullas esse partes integrales, concedo; independenter à quantitate actu afficiente; subdistinguo: docent, nullas esse partes integrales ordinatas, concedo: docent, nullas esse partes integrales inordinatas & confusas, nego. Totam hanc doctrinam insinuat Joannes à S. Thoma.

Articulus Tertius.

In quo essentia quantitatis consistat?

Dico 1. essentia quantitatis prædicamentalis in divisibilitate nequaquam consistit. Oppositam sententiam defendunt Scotus, & ejus Discipuli, pro qua etiam citantur Soncinas, Capreolus, Zanardus, & alii.

Ratio fundamentalis est: quia essentia rei, apud Philosophos, est id, quod primò in ea concipitur, estque proprietatum radix. atqui divisibilitas non est id, quod primò in quantitate prædicamentali concipitur; sed potiùs aliquid priùs in illa concipimus, *quod divisibilitatis radix est*: ergo &c. *Prob. min.* ideò prædicamentaliis quantitas apprehenditur à nobis ut in partes divisibilis, quoniam priùs à nobis percipitur ut in partes *extensa*: ergo extensio quantitatis prædicamentalis in partes priùs concipitur, quàm *illius* in partes divisibilitas, utpote ipsius causa, radixque.

Dico 2. prædicamentalis quantitatis essentia in extensione localisata non est. Hæc conclusio est contra Suarez, Didacum à Jesu, & plures alios Recentiores.

Ratio hujus conclusionis est: quia extensio localis *non est quoque id* quod primò est in quantitate prædicamentali; *prius* enim est, quòd prædicamentalis quantitas sit extensa in ordine ad se, quàm quòd in ordine ad locum extendatur; & prius posterioris radix est. *Hinc* quantitas Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento suam retinet essentiam; & tamen, juxta fidem, localiter non extenditur.

Dico 3. quantitatis prædicamentalis essentia non est in impenetrabilitate ponenda. Conclusio ista est contra Hurtadum, Ariagam, Alonsum, Carletonium, & alios Recentiores.

... e prædicamental...
... quidem impenetrabilitas in
..., quòd una quantitas localiter ex-
non possit in eodem loco simul esse cum al-
tera, & se mutuò ab eodem loco expellant; (si-
cut è contra penetratio in hoc sita est, quòd duæ
quantitates in eodem loco simul existant; ut
communiter docent omnes) & sic in quantitate
impenetrabilitas præsupponit extensionem lo-
calem, quæ proinde in quantitate prior est im-
penetrabilitate.

Dico 4. in ratione mensuræ non est constituenda quantitatis prædicamentalis essentia. Est contra B. Albertum Magnum, & alios.

Antequam probetur conclusio, advertendum est, rationem mensuræ esse id, quo quantitatem id est, magnitudinem, aut parvitatem rei, cognoscimus. Dupliciter autem quantitas dici potest mensura; nempè, vel intrinsecè, vel extrinsecè. Intrinsecè quidem, per respectum ad subjectum, cui inest; quatenus est id, quo illius magnitudinem, vel parvitatem, dignoscimus: extrinsecè verò respectu aliarum rerum corporearum, ad quas mensurandas uti solemus quantitate. Hoc prænotato:

Ratio conclusionis est; quia quòd quantitas sit mensura, sive intrinseca, sive extrinseca; non est id, quod in ea primò concipitur; etenim priùs est, quòd quantitas sit extensa, quàm quòd ea ad mensurandum uti possimus.

Dico 5. quòd quantitas prædicamentalis partes integrales realiter actualiter distinctas habeat non est ejus essentia. Est contra eos, qui asserunt, substantiam materialem ex se non obtinere partes integrales realiter actu distinctas, sed id esse essentiale quantitati.

Ratio autem conclusionis est; quoniam essentia quantitatis prædicamentalis debet illi soli

con-

convenire; ut patet: atqui habere, ex se, par-
es integrales realiter actualiter distinctas, non
ompetit soli quantitati prædicamentali; sed
l quoque convenit substantiæ materiali, ut in
ticulo præcedenti ostensum est: ergo &c.
Dico 6. essentia quantitatis prædicamentalis,
in se constituitur, & à reliquis prædicamen-
istinguitur, est extensio partium in ordine
secundùm quam in se ordinatas obtinet
integrales. Ita docet D. Thomas 4. con.
es, cap. 65. item 1. p. q. 14. a. 12. ad pri-
æc non opusc. 76. q. 5. ar. 3. ad tertium,
usc. 48. art. 4. & alibi sæpè; ubi expres-
ùod ordo partium in toto, includitur in
essentiali quantitatis, tamquam differen-
tiva ipsius. D. Thomam sequuntur
Discipuli.

quia extensio partium in ordine ad
primò in quantitate prædicamen-
& præterea est proprietatum il-
emim, quòd quantitas sit in or-
extensa, sequitur, quòd sit
sequitur etiam, quòd possit
eò ut sit tota in toto loco,
nit in singulis partibus loci:
quantitas sit impenetra-
tas totalis excludat alte-
m, & una quantitas
ab eodem loco. De-
s in ordine ad se, &
t, apta est ad men-
ensionem, id est,
tum subjecti,
, quæ per eam
titate, ex

cipitur, & primam proprietatum ipsius radicem.

Ad cujus ampliorem intelligentiam, & objectionum solutionem, advertendum est, divisibilitatem esse duplicem; videlicet unam formalem ac proximam, & alteram radicalem ac remotam. Prior est aptitudo immediata, ut res in partes dividatur; posterior verò est ejusmodi aptitudinis radix. Similiter extensio localis, alia est formalis ac proxima, qua quantitas immediatè, actu locum occupat; alia est radicalis atque remota, quæ prioris radix est, qua quantitas radicaliter, remotè, & aptitudinaliter, potest locum occupare.

Prætereà, impenetrabilitas, altera est formalis ac proxima, qua una quantitas actualiter & proximè alteram ab eodem loco expellit; altera est radicalis & remota, à qua, tanquam à prima radice, habet una quantitas, quòd possit alteram ab eodem loco expellere. Demùm ratio mensuræ, altera etiam est formalis & proxima, qua quantitas immediatè idonea est ad subjecti, in quo est, & aliarum rerum materialium magnitudinem vel parvitatem, & mensurandam & indicandam: altera est radicalis & remota, ex qua velut ex prima radice prior resultat.

Itaque essentia quantitatis in radicali divisibilitate, extensione locali, impenetrabilitate, ratione mensuræ, &c. verè consistit: at formalis divisibilitas, extensio localis, impenetrabilitas, ratio mensuræ, &c. sunt dumtaxat quantitatis proprietates, ejus essentiam jam constituram supponentes, & ex ea sic constitura emanantes.

§. UNI-

§. UNICUS.

Objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra 1. concluſ. per illud conſtituitur eſſentialiter quantitas, per quod definitur: atqui apud Ariſtotelem, quantitas per diviſibilitatem definitur; etenim ipſe Philoſophus 5. Metaph. Textu 18. ſic ait: *Quantitas eſt id, quod eſt diviſibile in ea, quæ inſunt; quorum utrumque, unumquodque unum quid aptum eſt eſſe*: ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo major. per illud conſtituitur eſſentialiter quantitas, per quod eſſentialiter definitur, concedo: per quod deſcriptivè ſolùm definitur, nego: quantitas verò apud Ariſtotelem loco citato deſcriptivè tantùm, & ſicut per proprietatem, per diviſibilitatem definitur. Reſpondeo 2. data ma. diſtinguendo min. atqui apud Ariſtotelem, quantitas per diviſibilitatem radicalem definitur, concedo: per diviſibilitatem formalem definitur, nego.

Inſtabis: D. Thomas in 1. diſt. 19. qu. 1. art. 11. ad 1. hæc ſcribit; *Æqualitas conſequitur rationem quantitatis, quæ conſiſtit in quadam diviſibilitate &c.* atqui ratio quantitatis eſt ipſius eſſentia: ergo &c.

Reſpondeo explicando & diſtinguendo allatum D. Thomæ teſtimonium: concedo quippe, rationem ſeu eſſentiam quantitatis conſiſtere in radicali diviſibilitate; ſed nego, eam conſiſtere in diviſibilitate formali.

Dices: in eo ſita eſt quantitatis eſſentia, quòd in varias quantitatis ſpecies dividitur: atqui ratio *diviſibilis* in varias quantitatis ſpecies, ſcilicet in quantitatem continuam, quantitatem diſcretam, lineam, ſuperficiem, corpus, &c. dividitur: ergo &c. Min. ex eo conſtat, quòd quantitas continua eſt ea, quæ eſt diviſibilis in partes

communi termino conjunctas; quantitas verò discreta est illa, quæ dividitur in partes nullo communi termino copulatas; linea est quantitas in longum divisibilis; superficies est quantitas divisibilis in latum; & corpus est quantitas in profundum divisibilis.

Respondeo distinguendo ma. in eo sita est &c. quod in varias quantitatis species dividitur divisione essentiali, concedo: quod in varias quantitatis species dividitur divisione accidentali, nego: ratio autem *divisibilis* in varias quidem quantitatis species distribuitur; at non per divisionem essentialem, sed dumtaxat accidentalem; adeò ut illa divisio, non secundùm diversas differentias essentiales, sed secundùm distinctas differentias accidentales tantummodò, fiat. Unde dum dicitur, quantitatem continuam esse in partes communi termino conjunctas divisibilem, quantitatem discretam esse divisibilem in partes nullo communi termino copulatas, lineam esse quantitatem in longum divisibilem, &c. differentiæ accidentales ejusmodi specierum dumtaxat assignantur.

Juxta hanc doctrinam exponendus est Aristoteles, dum 5. Metaph. Textu 18. suprà citato dividit quantitatem in magnitudinem, (id est, in quantitatem continuam) & multitudinem, (seu quantitatem discretam) asseritque, magnitudinem in hoc à multitudine discrepare, quòd magnitudo divisibilis est in *continua*, id est, in partes continuatas, seu communi termino conjunctas; multitudo autem est divisibilis in *non continua*, id est, in partes non continuatas, sive nullo communi termino copulatas. Intelligendus quippe est Aristoteles de divisione & discrepantia accidentali tantùm.

Objic. 2. contra 2. concluſ. essentia rei est id, quod primò in illa occurrit: atqui in quantitate extensio localis est id, quod primò occurrit: ergo &c.

Res-

Respondeo distinguendo m
id, quod primò in illa occu
proprietatum inquirenti, c
quod primò in illa occurrit
cèt autem localis extensio pr
occurrat sensui, attamen pr
menti radicem proprietatum
renti.

Instabis: essentia quantitat
ejus radix: atqui extensio loc
prietatis quantitatis; v. g. est
radix: ergo &c. Prob. min. in
co consistit, c òd una quant
dem loco exp...at: atqui ra
tensio localis; ex eo quippe,
tas localiter extenditur, sicu
sequitur, quòd alteram ab e
dat: ergo &c.

Respondeo distinguendo m
tatis est prima proprietatis e
do: est proxima proprietatis
quamvis autem extensio local
dix impenetrabilitatis, quæ est
titatis; prima tamen radix ill
ordine ad se; ex eo etenim,
tas sit in ordine ad se exten
cut ex prima radice, quòd in
extendatur, adeò ut alteram
pellat quantitatem.

Dices: saltem radicalis & a
sio localis est ipsa quantitatis
id, quod primò in quantitat
que prima proprietatum ejus

Respondeo, radicalem & a
tensionem localem, esse in qu
tensionem partium in ordine a
quòd quantitas sit in partes in c
sa, radix est extensionis loca
ad locum occupandum.

Objic. 3. contra 3. conclus

u...ntica is inqui-

s est proprietatis
lis est radix pro-
penetrabilitatis
penetrabilitas in
is alteram ab eo-
ix hujus, est ex-
quòd una quanti-
ex radice, rectè
dem loco exclu-

essentia quanti-
is radix, conce-
jus radix, nego;
s sit proxima ra-
proprietas quan-
us est extensio in
quòd una quanti-
ta, sequitur, si-
ordine ad locum
a b eodem loco ex-

titudinalis exten-
sientia; est enim
concipitur, est-
radix.
titudinalem ex-
nitate ipsam ex-
sse: nam ex eo,
dine ad se exten-
sis, aptaque est

impenetrabilitas
s con-

convenit omni quantitati; & nulli alteri, nisi dependenter à quantitate, competit: ergo in impenetrabilitate sita est quantitatis essentia.

Respondeo concesso antec. negando conseq. nam proprium quarto modo, omni, & soli subjecto convenit; & non nisi dependenter ab ipso, aliis competere potest; & tamen non est subjecti essentia. Unde argumentum illud suadet quidem, impenetrabilitatem esse quarto modo propriam quantitati; minimè tamen probat, esse ipsius essentiam.

Instabis: per illud essentialiter quantitas constituitur, per quod ab aliis distinguitur; *Idem enim est distinctivum & constitutivum rei*: atqui quantitas per impenetrabilitatem ab aliis omnibus distinguitur; quandoquidem impenetrabilitas soli competit quantitati: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. per illud essentialiter quantitas constituitur, per quod essentialiter ab aliis distinguitur, concedo: per quod accidentaliter solùm ab aliis distinguitur, nego: quantitas verò per impenetrabilitatem, sicuti per accidens proprium, ab aliis omnibus accidentaliter tantùm distinguitur.

Dices: impenetrabilitas est aptitudo unius quantitatis ad locum occupandum, cum exclusione alterius: atqui in hac aptitudine consistit quantitatis essentia: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. etenim essentia quantitatis posita est in radicali aptitudine ad locum absolutè occupandum; quòd autem loci occupatio fiat cum exclusione alterius quantitatis ab eodem loco, est ipsius quantitatis proprietas dumtaxat.

Objic. 4. contra 4. concluf. Aristoteles in hoc cap. probat, orationem esse quantitatem, quoniam syllaba brevi, vel longa, mensuratur: ergo censet, essentiam quantitatis in ratione mensuræ consistere.

Res-

Respondeo negando conseq. non enim Aristoteles ibi probat, orationem esse quantitatem, per rationem à priori, quæ est essentia quantitatis; sed dumtaxat per rationem à posteriori, seu per quantitatis proprietatem: quæ cùm essentiam ejus consequatur, ipsa posterior est posterioritate naturæ.

Inst. Aristoteles 5. Metaph. textu 18. dividit quantitatem in diversas species, juxta diversam mensuræ rationem: ergo, ex mente Philosophi, essentia quantitatis in ratione mensuræ consistit.

Respondeo distinguendo ant. Aristoteles &c. divisione accidentali, dividit quantitatem in diversas species, juxta diversam mensuræ rationem; juxta, videlicet, diversam differentiam accidentalem, concedo: Aristoteles divisione essentiali, dividit quantitatem in diversas species, juxta diversam mensuræ rationem; juxta, scilicet, diversam differentiam essentialem, nego ant. & conseq.

Inst. iterum: D. Thomas opusc. 52. sic ait: *Propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati, quatenus quantitas est, ratio est mensuræ*: atqui propria quantitatis ratio, est ipsius essentia: ergo &c.

Respondeo 1. ex D. Antonino 3. p. Hist. titulo 18. cap. 10. ex Antonio Senensi in Bibliot. Præd. ex Sixto Senensi lib. 4. Bibliot. verbo, *Thomas Aquinas*, & ex editione B. Pii V. Romæ facta anno 1571. nec non ex Theologis Doctoribus communiter, opusculum illud non fuisse à Divo Thoma conscriptum.

Respondeo 2. propriam quantitatis rationem, seu essentiam, esse radicalem mensuræ rationem; formalem verò rationem mensuræ esse dumtaxat illius proprietatem.

Inst. rursus: S. Doctor 1. p. q. 28. art. 2. & alibi sæpè, per hoc definit quantitatem, quòd sit ipsa substantiæ mensura: ergo ratio mensuræ

BIBLIOTECA C. F. MONTEFUSCO

…guendo ant. S. Doctor per
…definitione accidentali & descripti-
…, quantitatem, quòd sit &c. concedo: S. Do-
…ctor per hoc definit, definitione essentiali, &c.
nego ant. & conseq.

Respondeo 2. distinguendo iterum ant. S. Do-
ctor per hoc definit quantitatem, quòd sit ipsa
substantiæ mensura radicalis, concedo: per hoc
definit quantitatem, quòd sit ipsa substantiæ
mensura formalis, nego: & eodem modo di-
stinguendum est consequens.

Objic. 2. contra 5. concluf. in eo sita est quan-
titatis essentia, quod primò in ea concipitur:
atqui primò in quantitate concipitur, quòd
partes integrales realiter actualiter distinctas
obtineat: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. in eo sita est
quantitatis essentia, quod primò in ea concipi-
tur, tamquam ratio distinctiva quantitatis ab
aliis, concedo: quod primò in ea concipitur,
tamquam ratio conveniens aliis à quantitate di-
stinctis, nego; etenim essentia quantitatis de-
bet eam constituere, ipsamque ab aliis omnibus
distinguere, adeò ut nulli alteri à quantitate di-
stincto conveniat: esto autem primò in quantita-
te concipiatur, quòd partes integrales realitera-
ctualiter distinctas obtineat; id tamen quanti-
tatem ab omnibus aliis non distinguit, sed
potiùs substantiæ materiali convenit; ut ex di-
ctis liquet.

Objic. 6. contra 6. concluf. essentia rei est id,
quod primò in illa apprehenditur: atqui exten-
sio partium non est id, quod primò in quanti-
tate apprehenditur: ergo &c. Prob. min. exten-
sio partium est ipsarum multitudo: atqui partium
multitudo non est id, quod intellectus primò in
quantitate apprehendit: ergo &c. Prob. min. ex
D. Thoma, qu. 9. de potent. art. 7. ad 15. ubi
sic

…ju…
…ip…
…do…
…actu…
…distin…
…liter…
…conced…
…bilium…
Itaque
paratæ, o
Proinde se
prior est ear
liter separabi
actualem, un
do omni divisi
quòd quantitas
extensa est, ra
adeò ut extensio
radix, ante omn
actualem. Ambo
sunt de multitudi
paratarum intellige
Dices: si quanti
consisteret, debuiss
extensionem definire
bi per extensionem d
go &c.
Respondeo concessa
cèt enim Aristoteles qua
tatem definiat, per divi
non intelligit aliqui

sic ait: *Divisio est causa multitudinis; & sic est prior secundùm intellectum, quàm multitudo.* Quibus verbis docet, divisionem partium, secundùm intellectum apprehendentem quantitatem, esse priorem earum multitudine. Quod pressiùs asserit Quod lib. 9. quæst. 4. ar. 1. ubi sic scribit: *Diversitas partium non potest intelligi nisi intellecta divisione.*

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. extensio partium est prior ut radicaliter separabilium multitudo: est ipsarum ut formaliter seu actualiter separatarum multitudo, nego: & concedo: est ipsarum ut actualiter separatarum multitudo, nego: & similiter min. atqui partium ut actualiter separatarum multitudo non est id, &c. atqui partium ut radicaliter separatarum multitudo non est &c. nego.

Ut partes quantitatis fiant actualiter separatæ debet earum divisio præsupponi, quæ secundùm intellectus apprehensionem multitudine; sunt autem radicaliter ante omnem divisionem illarum earum ita sumptarum multitudo actuali prior est; eo enim ipso, quòd ordine ad se, in multas partes radicaliter est in eas separabilis, sunt hujusmodi separabilitatis illarum partium divisionem

eem D. Thomæ testimonia

Partium ut actualiter se-

essentia in extensione

ristoteles illam per

ui Aristoteles nulli-

ite quantitatem: er-

negando min.

ctum; sed loquitur de divisibilitate radicali, quæ est ipsa partium extensio, prout divisibilitatis formalis est radix; hinc in hoc prædicamento exponens, quid sit quantitas, quam per divisibilitatem definit; dicit esse *id quod habet partes*; illamque dividit *in hoc, quod copulatas habet partes*, & *in id, quod copulatas partes non obtinet*; sive in quantitatem continuam, & in quantitatem discretam; habere autem partes, & esse in partes extensum, idem omninò est.

Dices tamdem: quòd quantitas partes ordinatas obtineat, in hoc consistit, quòd singulæ ejus partes, singulas loci partes ordinatè & absque confusione impleant: atqui in hoc non est sita quantitatis essentia; quoniam id ad extensionem localem, quæ est extra quantitatis essentiam, pertinet: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quòd quantitas partes per respectum ad locum ordinatas obtineat, in hoc consistit, quòd singulæ ejus partes singulas loci partes ordinatè & absque confusione impleant, concedo: quòd quantitas partes per respectum ad se ordinatas obtineat, in hoc consistit, &c. nego: ut enim quantitas partes per respectum ad se ordinatas habeat, satis est, ut apta sit, vel etiam exigat, occupare locum ordinatè; unde radicalis aptitudo ad ordinatè occupandum locum est quidem de quantitatis essentia, non tamen actualis impletio ordinata loci, quæ ad extensionem localem spectat.

ARTICULUS QUARTUS.

Quotuplex sit quantitas?

§. I.

Quædam præmittuntur.

QUantitas ab Aristotele, initio hujus capitis, in continuam & discretam dividitur. Quantitatem continuam esse ait; *Cujus partes communi termino copulantur*. Cujus definitionis sensus est, quantitatem continuam esse eam, cujus partes communi vinculo utramque partem hinc inde afficiente conjunguntur: ejusmodi est linea, cujus partes communibus punctis uniuntur. *Discreta* verò quantitas est ea, cujus partes sunt *disjunctæ*, nec ullo communi nexu junguntur. Hujusmodi est numerus constans unitatibus, inter quas nullus est nexus.

Quantitas continua dividitur in permanentem, & successivam: permanens est, cujus partes simul existunt; talis est linea: successiva verò est, cujus partes non existunt simul, sed una alteri succedit; ut est tempus. Quantitas continua permanens subdividitur in lineam, superficiem, & corpus. Linea definiri potest: *Quantitas in longum extensa, cujus partes punctis communibus continuantur*; vel ex Euclide: *Longitudo latitudinis & profunditatis expers*. Superficies definitur: *Quantitas in longum, & latum extensa, cujus partes lineis connectuntur*; vel ex Euclide: *Magnitudo longitudinem & latitudinem habens, sine profunditate*. Denique corpus definitur: *Quantitas in longum, latum, & profundum continua, cujus partes superficiebus conjunguntur*; vel ex Euclide: *Magnitudo longitudinem, latitudinem, & profunditatem habens*. Additur locus,

cus, id est, superficies concava corporis alterum ambientis; ex qua doctrina.

Inferes cum Aristotele 5. Metaph. c. 3. lineam esse unius dimensionis, seu extensionis, nempè in longum; superficiem verè esse duarum dimensionum, videlicet in longum, & latum; & tandem corpus obtinere trinam dimensionem, scilicet in longum, latum, atque profundum. Inferes quoque, tria esse indivisibilia permanentia; nimirum, punctum, lineam, & superficiem. Punctum est omninò indivisibile. Linea est indivisibilis in latum. Superficies tamdem in profundum indivisibilis est.

Advertendum est etiam, corpus posse tripliciter accipi. Primò quidem physicè, pro composito substantiali physico, ex materia prima, & forma substantiali constituto. Secundò metaphysicè, vel logicè, pro gradu generico subalterno sub supremo substantiæ genere collocato, qui de omnibus substantiis corporeis quidditativè prædicatur. Tertiò tamdem mathematicè, pro eo, quod trinam obtinet dimensionem, modo suprà explicato; & de isto solo hic erit sermo.

Quantitas continua successiva subdividitur in motum, & tempus. Motus est successivus mobilis à termino *à quo* ad terminum *ad quem* transitus; habens partes priores & posteriores, quarum una alteri per indivisibile, quod dicitur *mutatum esse*, continuatur. Tempus est duratio motus, cujus pars, altera est præterita, & altera futura; quæ partes per instans præsens copulantur.

Quantitas discreta ab Aristotele in numerum & orationem dividitur. Numerus est quantitas per varias unitates nullo communi vinculo conjunctas extensa. Sive: *Est quantitas per unitatem mensurabilis*: omnes quippe numeri per unitatem, aliquoties repetitam, & formantur, & mensurantur. Oratio autem, prout hic usurpatur, est sonus ex quibusdam morulis, longio-

gioribus, vel brevioribus, sibi succedentibus, & nullo unitis termino communi, compositus, qui quidem, inquit Aristoteles, syllaba longa, vel brevis, mensuratur: his omnibus positis. Quæritur, utrum omnes allatæ quantitates sint veræ, ac propriè dictæ quantitatis species?

§. II.

Quinque conclusionibus difficultas explanatur.

DIco 1. Divisio quantitatis in continuam & discretam est adæquata, immediata, essentialis, & generis in species. Hanc conclusionem satis expressè Aristoteles in hoc capite tradit, dum post enumeratas quantitates, tam continuas, quàm discretas, hæc subdit: *Propriæ autem quantitates hæ sunt, quas diximus, aliæ verò omnia secundùm accidens sunt.* Idem docet D. Thomas 1. p. qu. 30. art. 3. item quodlib. 10. art. 1. & q. 9. de potent. art. 7. atque alibi sæpè, & Themistæ communiter.

Quòd in primis divisio illa sit adæquata, ex eo constat, quòd omnes quantitates adæquatè comprehendit: etenim omnis quantitas, vel habet partes communi termino conjunctas, & sic est continua; vel disjunctas, & nullo junctas termino, obtinet partes, & ita est discreta. Quòd etiam eadē divisio sit immediata, ex eo suadetur, quòd inter quantitatem in communi, & quantitatem continuam, atque discretam, nulla alia quantitas mediat. Quòd autem hujusmodi divisio sit essentialis, ex eo declaratur, quòd divisio essentialis ea dicitur, in qua membra dividentia participant essentiam totius divisi, & insuper essentialiter differunt: atqui talis est divisio quantitatis in continuam, & discretam: ergo &c. Min. patebit ex infrà dicendis; ostenderur enim, membra

illa

illa dividentia esse veras quantitatis species: species verò sunt essentiæ totius divisi, nempè generis, participes; & præterea à specificè ac essentialiter ab invicem distinguuntur.

Quòd tandem quantitas in communi dividatur in continuam, & discretam, sicut genus in species; ex eo prob. quòd species sunt illæ, quæ univocè naturam generis participant, & essentialiter à se mutuò differunt: atqui quantitas continua, & quantitas discreta, univocè naturam quantitatis in communi participant, & à se mutuò essentialiter differunt: ergo &c. Prob. min. quoad 1. p. natura quantitatis in communi sita est in extensione partium; ut ex dictis supra liquet: quantitas autem continua, & quantitas discreta, univocè, seu æqualiter, extensionem partium participant; etenim quantitas discreta in partes disjunctas, & quantitas continua in partes conjunctas, sive continuatas, æquè extenduntur. Suadetur quoque eadem min. quoad 2. p. quantitas continua essentialiter petit partes communi termino conjunctas; quantitas verò discreta essentialiter partes disjunctas, & nullo termino copulatas, exigit: ergo quantitas continua, & quantitas discreta, essentialiter ab invicem distinguuntur. Hæc conclusio amplius constabit ex inferiùs dicendis; ostendemus enim infrà, numerum, qui est quantitas discreta, esse veram ac propriè dictam quantitatis speciem.

Dico 2. linea, superficies, & corpus, sunt veræ ac propriè dictæ quantitatis continuæ partes subjectivæ, seu species. Est contra Hurtadum, Caberum, & aliquos alios: est tamen expressa doctrina Aristotelis in hoc c. & 5. Metaph. c. 13. D. Thomæ ibidem lect. 15. & alibi sæpè, atque Philosophorum communiter.

Prob. & explic. quantitas continua est ea, cujus partes communi termino copulantur; ut ex dictis liquet: tot ergo erunt quantitatis continuæ spe-

ſpecies, quot erunt quantitates, quarum partes communi termino copulantur: atqui tres ſunt ejjuſmodi quantitates, nimirum linea, ſuperficies, & corpus: ergo &c. Min. ex eo declaratur, quòd partes lineæ communi puncto copulentur: partes ſuperficiei, linea communi connectantur: & partes corporis, communi ſuperficie conjungantur.

Deinde: linea, ſuperficies, & corpus, univocè ſeu æqualiter naturam quantitatis continuę participant; nempè hoc, quod eſt habere partes communi termino cõntinuatas. Et præterea eſſentialiter à ſe mutuò differunt, per hoc, quòd linea in longum, ſuperficies in latum, & corpus in profundum, eſſentialiter continuentur.

Dico 3. locus non eſt quantitatis ſpecies eſſentialiter à ſuperficie diſtincta. Ita docent expreſsè Ariſtoteles 5. Metaph. & D. Thomas ibidem *lect. 15.* quos Philoſophi communiter ſequuntur.

Ratio eſt: quia quantitas eſſentialiter in extenſione partium conſiſtit, ut ex dictis liquet; quantitatis igitur ſpecies eſſentialiter ab aliis diſtincta, debet ſpecialem & diſtinctam partium extenſionem importare: atqui locus ſpecialem non importat partium extenſionem diſtinctam ab ea, quæ in ſuperficie invenitur: ergo &c. Min. ex eo ſuadetur, quòd locus nihil aliud eſt, quàm *ſuperficies concava* corporis alterum ambientis; unde locus obtinet tantùm extenſionem partium in latum, quæ eſt ipſa ſuperficiei extenſio; & addit duntaxat continentiam corporis locati, quod ambit; quæ quidem continentia non eſt ſpecifica differentia locum à ſuperficie eſſentialiter diſtinguens, ſed eſt tantummodò accidentalis loci à ſuperficie differentia, accidentaliter ſuperveniens. Hinc eadem ſuperficies concava dolii, ad dolium ipſum comparata, dicitur abſolutè *ſuperficies*; relata verò ad vinum, quod continet, dicitur *locus*.

Di-

Dico 4. motus non est vera & propriè dicta quantitatis species. Hanc conclusionem tradit Philosophus, qui hìc, & 5. Metaph. species quantitatis enumerando, mentionem motus non facit. Aristotelem sequuntur communiter Peripatetici; contra Fonsecam, Conimbricenses, & alios.

Ratio est in primis: quia species vera & propriè dicta quantitatis, per se ac directè in praedicamento quantitatis ponitur, ut patet: atqui motus per se ac directè in nullo prædicamento reponitur; sed ab Aristotele ad post prædicamenta relegatur: ergo &c.

Deinde, species vera & propriè dicta, directè in aliquo prædicamento collocata, debet esse ens completum, prout asserit communis Philosophorum doctrina: atqui motus non est ens completum, sed potiùs est aliquid incompletum ergo &c. Prob. min. via & tendentia ad terminum, & complementum, non est aliquid completum, sed potiùs est quid incompletum; ut patet satis: atqui motus nihil est aliud, quàm via & tendentia ad terminum, & complementum; ut suo loco patebit: ergo &c.

Dico 5. tempus non est propriè dicta quantitatis species. Ita docent Joannes à S. Thoma, & plures alii Thomistæ nobiles; contra Complutenses, Masium, Toletum, & alios. Hæc autem conclusio traditur ab Aristotele, & D. Thoma 5. Metaph. cap. 13. ubi veras ac propriè dictas quantitatis species, naturam aut essentiam illius participantes, recensendo, *motum* & *tempus* prætermittunt.

Prob. 1. ratione, quam insinuant Philosophus & Angelicus Doctor ibidem. Species vera proprièque dicta quantitatis, debet per se ac ratione sui esse quanta; ut patet satis: atqui tempus per se & ratione sui non est quantum: ergo &c. Prob. min. esse quantum est esse in partes extensum: quantitas quippe in partium extensione consistit;

ut

ut ex dictis liquet: atqui tempus per se aut ratione sui non est in partes extensum; sed tale est duntaxat ratione motus: ergo &c. Prob. min. Cùm duratio rei sit ipsius in esse permanentia, est extensa in partes, prout res permanens in esse, est in partes extensa; & ideò duratio est in partes extensa duntaxat ratione rei durantis ac in esse permanentis: atqui tempus est duratio motus; ut communiter omnes fatentur: ergo &c.

Sicut autem tempus, non ratione sui, sed duntaxat ratione motus, est extensum; sic etiam motus, non ratione sui, sed tantummodò ratione medii aut distantiæ inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, existentis, extenditur, aut quantus redditur; quapropter non est etiam vera & propriè dicta quantitatis species.

Deinde, vera atque propriè dicta species directè in quantitatis prædicamento collocata, debet esse ens completum; ut dictum est suprà: atqui tempus nequaquam est ens completum: ergo &c. *Prob. min.* motus est ens incompletum; ut superiùs probatum est: ergo & tempus. Prob. conseq. tempus nihil aliud est, quàm duratio motus; & ita est solùm quædam ejus affectio, & quidam modus; ac proinde tempus non est motu perfectius, imò imperfectius est: ergo si motus est aliquid incompletum, tempus à fortiori sit aliquid incompletum necesse est.

Ex dictis colliges, esse tres tantùm veras & propriè ac simpliciter dictas quantitatis continuæ species; videlicet, lineam, superficiem, & corpus. Cùm enim motus & tempus sint entia solùm incompleta; incompletè tantùm, impropriè, ac secundùm quid naturam quantitatis continuæ participant. Hinc divisio quantitatis continuæ in lineam, superficiem, corpus, motum, & tempus; non generis in species, sed analogi in analogata, est distributio; quandoquidem motus & tempus analogicè duntaxat, impropriè, ac secundùm quid, naturam quantitatis continuæ obtinent.

§. III.

§. III.

Adversariorum objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra 1. concluſ. tunc ſolùm fit divisio generis in ſpecies, quando totum divisum eſt genus, & membra dividentia ſunt ſpecies: atqui totum divisum in illa divisione, nempè quantitas prædicamentalis in communi, non eſt genus; & membra dividentia, ſcilicet quantitas continua, & quantitas diſcreta, non ſunt ſpecies: ergo &c. Min. ex eo ſuadetur, quòd multi celebres Philoſophi cenſent, quantitatem diſcretam, ſeu numerum, non eſſe propriè dictam quantitatis ſpeciem.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. inf. enim patebit ex celebrioribus Philoſophis, & ex ratione demonſtrativa, numerum eſſe veram & propriè ac ſimpliciter dictam ſpeciem quantitatis.

Objic. 2. contra 2. concluſ. cùm ſpecies per differentias oppoſitas conſtituantur, nequit una ſpecies in alia contineri: atqui linea in ſuperficie continetur, ſicuti ſuperficies in corpore: ergo &c. Prob. min. linea eſt longitudo, & ſuperficies eſt latitudo: atqui longitudo includitur in ſuperficie, & latitudo in corpore; ut enim ex dictis liquet, ſuperficies duplicem habet dimenſionem, videlicet in longum & latum; corpus verò trinam obtinet dimenſionem, ſcilicet in longum, latum atque profundum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. cùm ſpecies &c. nequit una ſpecies, ſub ea ratione, ſub qua eſt ſpecies, in alia contineri, concedo: nequit una ſpecies, ſub ea ratione, ſub qua non eſt ſpecies, in alia contineri, nego: & diſtinguo pariter min. atqui linea &c. ſi linea & ſuperficies conſiderentur ſub ea ratione, ſub qua non ſunt ſpecies, concedo:

credo: si spectentur sub ea ratione, sub qua sunt species, nego.

Itaque linea & superficies dupliciter accipi possunt. Primò quidem, prout partes communi termino copulatas obtinent; linea nempè in longum, & superficies in latum. *Secundò*, prout linea indivisibilis est in latum, & superficies est indivisibilis in profundum. Primo *modo* sumptæ, sunt veræ ac propriè dictæ quantitatis continuæ species; & sic acceptæ, ita se habent, ut linea non includatur in superficie, nec superficies in corpore. Secundo autem modo non sunt species quantitatis continuæ, sed lineæ sunt *indivisibilia* partium superficiei copulativa, & superficies sunt *indivisibilia* partium corporis continuativa; ac proinde secundùm istam considerationem, linea in superficie, & superficies in corpore, continentur.

Inst. 1. dum linea & superficies sumuntur ut extensæ, non accipiuntur, prout sunt quædam *indivisibilia*; quod enim est indivisibile, extensum non est, sed inextensum: atqui linea, prout extensa, reperitur in superficie; & superficies, ut extensa, in corpore invenitur: ergo &c. Prob. min. Tunc linea & superficies considerantur ut extensæ, quando spectantur, prout dimensionem obtinent; dimensio quippe est quædam extensio: atqui linea, prout habet dimensionem, scilicet in longum, reperitur in superficie; & superficies, prout dimensionem importat, videlicet in latum, in corpore invenitur: quandoquidem superficies est duarum dimensionum, nempè in longum & latum; & corpus trinam obtinet dimensionem, nimirum in longum, latum, & profundum; ut ex dictis patet: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui *præsuppositivè* linea &c. concedo; revera enim formalis ratio superficiei, scilicet *latitudo*, præsupponit extensionem lineæ, scilicet longitudinem; sicuti formalis ratio corporis, videlicet

pro-

profunditas, supponit superficiei extensionem, videlicet latitudinem: atqui *formaliter* lineæ &c. nego; licèt enim extensio lineæ reperiatur in superficie, non pertinet tamen ad formalem superficiei constitutionem: similiter quamvis extensio superficiei inveniatur in corpore, attamen ad constitutionem formalem corporis non spectat. Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. Atqui linea, prout habet dimensionem &c. reperitur præsuppositivè in superficie, & superficies prout dimensionem &c. in corpore præsuppositivè invenitur, concedo: atqui linea, prout habet dimensionem &c. reperitur formaliter in superficie, & superficies, prout dimensionem &c. in corpore formaliter invenitur, nego. Ut: superficies est quidem duarum dimensionum nempè in longum & latum; & corpus trinam: tinet dimensionem, nimirum &c. non tamen: dem modo sed superficies dimensionem in lat: formaliter, & dimensionem in longum præsuppositivè solùm importat: similiter corpus: in profundum dimensionem formaliter, dimensiones verò in latum & longum, præsuppositi: tantùm obtinet.

Inst. 2. punctum non est propriè dicta quantitatis species: ergo neque linea vel superfic: Ant. est certum. Prob. verò conseq. Idcò punctum non est propriè dicta quantitatis species quia est quoddam *indivisibile*, ad copulandas partes ordinatum: ergo cùm etiam linea & superficies sint duo *indivisibilia*; quorum primum: connectendas partes superficiei, & alterum: partes corporis continuandas, destinatur, nequeunt dici propriæ quantitatis species.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd punctum est adæquatè *visibile*, ad lineæ partes copulandas ordinatum; unde simpliciter ac propriè est aliquid incompletum, indirectè atque reductivè ad lineam pertinens, sicut nexus partium ipsius: at licèt linea &

su-

perficies secundariò sint quædam *indivisibilia*, odo suprà explicato; attamen linea primariò t quantitas completa & totalis in longum con- nua; similiter superficies primariò quantitatis ompletæ & totalis in latum continuæ ratio- em sibi vendicat: & idcircò linea & superficies unt species verè ac propriè dictæ, directè in enere quantitatis continuæ collocatæ.

Objic. 3. species verè & propriè dictæ debent per differentias positivas constitui; alioquin non essent positivæ, ac proinde nec propriè dictæ: atqui linea & superficies per differentias po- sitivas non constituuntur: ergo &c. Prob. min. cùm idem sit constitutivum rei, ac distinctivum ejus, per eas differentias linea & superficies con- stituuntur, per quas distinguuntur: atqui linea & superficies, non per differentias positivas, sed per negativas differentias, seu per negationes, distinguuntur: ergo &c. Prob. min. linea distin- guitur à superficie per hoc, quòd linea non sit la- ta, sicut est superficies; differt verò superficies à corpore, ex eo, quòd superficies non est pro- funda, sicut profundum est corpus: ubi linea & superficies per negationes latitudinis & pro- funditatis distinguuntur.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad ob- jjus prob. concessa iterum ma. nego mi. licet enim in obliquo & de connotato linea distinguatur a superficie, per hoc, quòd linea non sit lata, sicut est superficies; differat verò superficies à corpore, ex eo, quòd superficies non sit pro- funda, sicut profundum est corpus: attamen linea in recto distinguitur à superficie per lon- gitudinem, ut connotat negationem latitudi- nis, & superficies in recto differt à corpore per latitudinem, prout profunditatis negatio- nem connotat; longitudo autem connotans ne- gationem latitudinis, & latitudo connotans profunditatis negationem, sunt positivæ differ- entiæ, in recto saltem.

Objic. 4. veræ & propriè dictæ species quantitatis debent omnes ejus proprietates participare sicuti & essentiam quantitatis, cum qua proprietates illæ necessariò connectuntur: atqui linea & superficies nequaquam omnes quantitatis proprietates, & præsertim impenetrabilitatem, participant: ergo &c. Min. ex eo suadetur, quòd linea cum superficie penetratur, sicut & superficies cum corpore: nam tunc duo aliqua penetrantur quando unum tangit alterum secundùm se totum; linea verò copulans partes superficiei, eas tangit secundùm se totam; & similiter superficies connectens corporis partes, secundùm se totas ipsas tangit; eo proportionali modo, quo dum partes lineæ à puncto continuantur, ita à puncto secundùm se toto tanguntur.

Respondeo concessa maj. negando min. etenim linea, superficies, & corpus, verè sunt impenetrabilia; neque linea copulans partes superficiei, aut superficies connectens corporis partes, cum partibus copulatis aut connexis propriè penetrantur: nam ut duo propriè penetrentur, requiritur, ut tangant se secundùm se tota modo extenso, hoc est in partes extendantur, & partes unius ingrediantur partes alterius, intra eundem locum: lineam verò, prout per modum *indivisibilis*, partes superficiei copulat, se habet modo inextenso; quod enim est indivisibile, est quoque inextensum: sicut oppositio, quod est divisibile, sit quoque extensum necesse est: & idem dicendum est de superficie, prout per modum *indivisibilis*, partes corporis connectit. Idem etiam est dicendum de puncto lineæ partes continuante, quod omninò indivisibile est atque inextensum.

Urgeb. quæ sunt in eodem loco, penetrantur: atqui linea per modum *indivisibilis* copulans partes superficiei, est simul cum illis in eodem loco: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quæ directè & ratione sui, sunt in eodem loco, penetrantur, concedo:

cedo: quæ sunt in eodem loco, tali modo ut unum directè ac ratione sui locum occupet, & aliud solùm indirectè ac ratione alterius in loco existat, penetrantur, nego; & distinguo etiam min. atqui linea per modum *indivisibilis* copulans partes superficiei, est simul cum illis in eodem loco: indirectè & ratione illarum, concedo: directè & ratione sui, nego.

Itaque ad propriè dictam duorum penetrationem requiritur, ut ambo directè ac ratione sui sint in eodem loco; tali modo, ut partes unius sint intra partes alterius per respectum ad eumdem locum: *indivisibile* verò duas partes rei locatæ copulans, directè ac ratione sui non est in loco (sicut enim locus est extensus ac divisibilis, ita quod directè & ratione sui est in loco, sit extensum ac divisibile necesse est) sed indirectè tantùm, & ratione illarum partium, adeò ut ad ipsarum locum reducatur.

Dices: si duæ superficies duorum corporum perfectè planorum ad invicem conjungantur, se tangent secundùm se totas: ergo penetrabuntur.

Respondeo distinguendo ant. si duæ &c. se tangent secundùm se totas: si considerentur, prout sunt indivisibiles in profundum, concedo: si spectentur, prout sunt divisibiles in latum, nego; sic enim spectatæ tangent se secundùm partes, ita ut pars unius correspondeat parti alterius, & una sit extra alteram. Unde nego conseq. etenim non penetrabuntur ut indivisibiles; quæ enim propriè penetrantur, debent esse divisibilia & in partes extensa; ut ex modò dictis liquet: non se penetrabunt etiam ut divisibiles; quoniam quæ penetrantur, tangant se necesse est secundùm se tota; adeò ut unum totum sit intra totùm alterum, & singulæ partes unius sint in singulis partibus alterius.

§. IV.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 5. contra 3. concluſ. Ariſtoteles in hoc cap. inter quantitatis ſpecies enumerat locum.

Reſpondeo 1. Ariſtotelem inter ſpecies quantitatis enumerare locum, non tamquam eſſentialiter ab aliis differentem, ſed ſicuti accidentaliter ſolùm à ſuperficie diſtinctum.

Reſpondeo 2. ex D. Thoma 5. Metaph. ca. 13. Lect. 15. Ariſtotelem in hoc cap. non enumerare quantitatis ſpecies ſecundùm eſſentiales & ſpecificas earum differentias, ratione quarum ſpeciales exigunt & important partium extenſiones; ſed duntaxat ſecundùm diverſas differentias accidentales, id eſt, ſecundùm diverſas menſuræ rationes. Unde quia locus ſupra ſuperficiem addit ſpecialem menſuræ rationem, qua corpus locatum menſuratur; idcircò locus ab Ariſtotele in iſto cap. inter quantitatis ſpecies recenſetur.

Quia verò Philoſophus 5. Metap. c. 13. dinumerat ſpecies quantitatis ſecundùm eſſentiales & ſpecificas ipſarum differentias, eas tantùm ſpecies adducit, quæ ſpeciales important partium extenſiones; unde quia locus ſpecialem non habet partium extenſionem, diſtinctam ab ea, quam ſuperficies obtinet, ibi nullam loci mentionem facit.

Inſt. ubi eſt ſpecialis ratio menſuræ, ibi ſit ſpecialis extenſio neceſſe eſt; cùm ratio menſuræ, ſit extenſionis proprietas: atqui in loco eſt ſpecialis ratio menſuræ; ut ex dictis liquet: ergo &c.

Reſpondeo diſtingüendo ma. ubi eſt ſpecialis ratio menſuræ, proveniens ex ipſa extenſionis eſſentia, ibi ſit &c. concedo; hæc enim ratio

men-

mensuræ est extensionis proprietas: ubi est specialis ratio mensuræ, procedens ex accidentali dispositione extensionis aut quantitatis, ibi sit &c. nego. Licèt autem in loco specialis mensuræ ratio inveniatur, non tamen proveniens ex essentia extensionis aut quantitatis in latum, quæ *superficies* nuncupatur; sed dumtaxat procedens ex accidentali ejus dispositione, secundùm quam se habet modo concavo, & corpus *locatum* ambit.

Dices: non omnis superficies est locus: ergo superficies & locus distinguuntur.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo superficies & locus accidentaliter distinguuntur; quatenus nempè locus supra superficiem *addit accientalem corporis locati* continentiam, concedo: ergo *superficies & locus* essentialiter & specificè distinguuntur, nego.

Objic. 6. contra duas ultimas conclusiones: ubi est specialis partium extensio, ibi est nova & propriè dicta quantitatis species: atqui in motu & tempore est specialis partium extensio: ergo &c. Maj. videtur perspicua. Prob. min. successio partium est specialis partium extensio, utpote distincta à permanenti partium extensione: atqui in motu & in tempore, sicuti in entibus successivis, est partium successio: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ubi est specialis partium extensio completa, ibi est nova &c. concedo: ubi est specialis partium extensio incompleta, ibi &c. nego: & distinguo similiter min. atqui in motu & tempore est specialis partium extensio incompleta, concedo: atqui in motu & tempore est specialis partium extensio completa, nego. Ad prob. min. distinguo ma. successio partium est specialis partium extensio incompleta, concedo: successio partium est specialis partium extensio completa, nego min. & conseq. sub distinctione data.

Inst. quod habet partes speciali modo conti-

nuatas, eſt peculiaris ſpecies quantitatis continuæ: atqui motus & tempus partes ſpeciali modo continuatas obtinent: ergo &c. Maj. videtur manifeſta. Prob. min. in eo partes ſpeciali modo continuatæ inveniuntur, in quo reperiuntur ſpecialia *indiviſibilia* partes continuantia: atqui in motu, & in tempore, ſpecialia *indiviſibilia* partes continuantia reperiuntur; nempè in motu *mutata eſſe*, & inſtantia in tempore: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quod, tanquam extenſio completa, habet partes ſpeciali modo continuatas, &c. concedo: quod, tamquam extenſio incompleta, habet partes ſpeciali modo continuatas, eſt &c. nego: licèt autem in motu, & in tempore, ſint partes modo ſpeciali, & per ſpecialia *indiviſibilia* continuatæ; attamen motus eſt extenſio incompleta, ſicut & tempus; ut ex dictis liquet.

Dices: Ariſtoteles in hoc cap. inter ſpecies quantitatis enumerat tempus: ergo tempus eſt vera & propriè dicta quantitatis ſpecies.

Reſpondeo negando conſeq. etenim Ariſtotele (ut exponit D. Thomas loco ſuprà citato) non recenſet hic ſpecies quantitatis ſecundùm eſſentiales ac ſpecificas earum differentias, ſed dumtaxat ſecundùm differentias accidentales, ſivè ſecundùm diverſas menſuræ rationes; unde quia tempus importat ſpecialem menſuræ rationem, juxta quam eſt menſura motus, idcircò à Philoſopho in hoc cap. dinumeratur tempus inter quantitatis ſpecies. Quoniam verò Ariſtoteles 5. Metaph. ſuperiùs citato percenſet propriè dictas ſpecies quantitatis, diſtinctas & conſtitutas per eſſentiales & ſpecificas differentias, ideò ibi mentionem temporis non facit.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum numerus sit vera & propriè dicta quantitatis species?

§. I.

Quædam prænotantur.

NOtandum est 1. unitatem rectè sic posse definiri: *Unitas est res in se indivisa, & à qualibet aliarè divisa.* Unde ut aliquid sit unum duo necessariò requiruntur: opus enim est, ut sit in se indivisum; nam si in se dividatur, non erit unum, sed erunt multa: divisio namque multitudinem parit. Præterea, quod unum est, debet ab aliis esse divisum aut separatum; si enim aliis continuetur, ipsisque uniatur, unum quid peculiare non erit, sed unum cum illis constituet, quibus erit continuatum atque unitum.

Notandum est 2. unitatem aliam esse transcendentalem, & aliam quantitativam aut prædicamentalem. Unitas transcendentalis est quævis unitas; sive infinita, sive finita; sive substantialis, sive accidentalis; sive spiritualis, sive corporea; prout in se indivisa est, & à qualibet alia est divisa. Unitas verò prædicamentalis, quæ & *quantitativa* nuncupatur, est unaquæque quantitas continua ut in se indivisa, & ab alia qualibet discreta. Hinc ternarius linearum in se indivisarum, & ab invicem discretarum, numerus, est prædicamentalis aut quantitativus.

Notandum est 3. numerum latissimè sumptum posse hoc modo definiri: *Numerus est plurium unitatum collectio seu multitudo.* Vel juxta Aristotelem: *Numerus est multitudo per unum mensurata.* Reipsa enim numerus per ultimam unitatem mensuratur: tantò quippè numerus major est,

aut minor, quantò ultima unitas ejus, magis vel minùs, à prima recedit; hinc quaternarius numerus ternario major eſt, quia quarta unitas longiùs à prima abſcedit, quàm tertia, quæ in ternario numero ultima eſt. Alio modo D. Thomas opuſculo 48. illam numeri definitionem exponit, dicendo, quòd ſicut ulna ſæpiùs replicata, panum menſurat, & quantus ſit, declarat; ita etiam ſæpe unitatem replicando, multitudinem aut numerum menſuramus.

Notandum eſt 4. numerum eſſe in tranſcendentalem, & in quantitativum, aut prædicamentalem, dividendum. Numerus tranſcendentalis *eſt tranſcendentalium unitatum collectio*; ejuſmodi eſt ternarius Divinarum Perſonarum numerus, vel ingens numerus Angelorum, aut hujuſmodi. Numerus verò quantitativus vel prædicamentalis *eſt unitatum quantitativarum vel prædicamentalium multitudo*; tales ſunt binarius linearum numerus, ternarius ſuperficierum; & quaternarius ſuperficierum, atque quaternaria corporum collectio. Quando ergo quæritur, utrum numerus ſit vera & propriè dicta quantitatis ſpecies? non eſt ſermo de tranſcendentali numero; iſte enim numerus ad prædicamentum quantitatis non contrahitur, ſed omnia tranſcendit prædicamenta, imò & ad Divinarum Perſonarum Trinitatem aſſurgit. Tota igitur eſt de numero prædicamentali & quantitativo controverſia.

Notandum eſt 5. numerum prædicamentalem in numerum *numerantem*, & in numerum *numeratum*, eſſe diſtribuendum. Numerus numerans eſt ratio illa, qua uti ſolemus ad res numerandas; ut ſunt *binitas*, *ternitas*, *quaternitas*, &c. Quoniam verò hæ & ſimiles numerandi rationes ſunt abſtractæ, terminiſque abſtractis exprimuntur; idcircò numerus

nu-

numerans sæpè *abstractus* appellatur. Numerus autem numeratus, sunt res illæ, quæ per numerum numerantem recensentur; ut binæ lineæ, tres superficies, quatuor corpora &c. Quoniam verò res numeratæ nominibus concretis significantur, ideò numerus numeratus nonnumquam *numerus concretus* etiam nominatur.

His prænotatis, non est hìc sermo de numero numerante, prout designat actum intellectus numerantis. Non loquimur etiam de numero numerato prædicamentali materialiter sumpto; accipiendo nempè ipsum materialiter & entitativè, prout est plurium quantitatum continuarum totalium & completarum aggregatio: evidens enim est, ipsum ita spectatum esse unum per accidens, & per aggregationem tantùm; vera autem, & propriè dicta alicujus generis species, sit aliquid unum per se necesse est.

De solo igitur numero numerato prædicamentali formaliter considerato tota difficultas & controversia manet; utrum nimirum numerus numeratus prædicamentalis formaliter, prout ex unitatibus prædicamentalibus componitur, sit ens per se unum, & vera atque propriè dicta species quantitatis?

Negant Okam & Nominales cum illo; negant pariter Durandus, Gregorius, Suarez, Vasquez, Conimbricenses, Fonseca, & alii plures recentiores.

Affirmant tamen omnes Discipuli D. Thomæ; quibus consentiunt Scotus & Scotistæ, nec non Toletus, & alii multi: eamdem sententiam affirmativam docent Euclides in sua Arithmetica, & omnes Mathematici.

§. II.

Concluſio affirmans ſtabilitur.

DIco: numerus prædicamentalis eſt vera & propriè dicta quantitatis ſpecies. Hanc concluſionem docent Philoſophus in hoc c. & 5. Metaph. c. 13. & D. Thomas ibidem.

Prob. ratione fundamentali: ſpecies verè ac propriè dictæ ſunt illæ, quæ naturam genericam verè proprièque participant: atqui prædicamentalis numerus genericam quantitatis naturam verè ac propriè participat: ergo &c. Ma. perſpicua eſt. Prob. min. generica quantitatis natura in extenſione partium ſita eſt; ut ex dictis liquet: atqui numerus prædicamentalis verè & propriè extenſionem partium obtinet: ergo &c. Prob. mi. quantitas diſcreta verè atque propriè habet extẽſionem partium; ſicut enim quantitas continua eſt in partes communi termino copulatas extẽſa; ita quantitas diſcreta in partes diſcretas, ſeu communi nexu non conjunctas, extenditur: atqui numerus prædicamentalis aut quantitativus eſt ipſa quantitas diſcreta; ut fatentur omnes: ergo &c.

Addi poteſt, numerum prædicamentalem verè proprièque eſſe in partes diſcretas diviſibilem; ſicque prædicamentalis numerus verè ac propriè particeps eſt diviſibilitatis in partes; quæ eſt proprietas naturæ quantitatis, quam proinde verè & propriè participat.

Reſpondent adverſarii, ſpecies verè dictas debere naturam genericam ſimpliciter participare: numerus autem prædicamentalis naturam genericam quantitatis, ſcilicet extenſionem in partes (apud ipſos) ſimpliciter non obtinet; quoniam componitur ex quantitatibus continuis, quæ non ſunt ſimpliciter partes, ſed ſunt entitates completæ ac totales.

Sed contrà ex eo inſtatur, quòd plures quanti-

tæ-

ntitates continuæ, dupliciter considerari possunt: ſic: licet, vel ut sunt quantitates continuæ, vel prout sunt unitates prædicamentales discretè se habentes. Primo modo acceptæ sunt revera entitates completæ & totales; at secundo modo spectatę sunt simpliciter entitates incompletę & partiales, ac proinde partes. Etenim quantitas continua ut totalis & completa divisibilis est in partes; nam omne totum in partes dividitur: ac proinde sub ea ratione non est propriè & simpliciter completa ac totalis, sed potiùs incompleta est & partialis, sub qua indivisibilis est in partes quantitas verò continua, prout est prædicamentalis unitas, est in partes, seu in unitates indivisibilis: tum quia unitas est id, quod in se omninò indivisum est aut indivisibile: tum etiam, quia si unitas foret in alias unitates divisibilis, non esset ampliùs unitas, sed numerus diceretur; numerus autem prædicamentalis componitur ex pluribus quantitatibus continuis, non ut sunt quantitates continuæ, sed prout sunt unitates prædicamentales; hinc que *numerus prædicamentalis* nuncupatur.

Prob. ampliùs: species verè ac propriè dicta quantitatis, ea est, quæ specialem quantitatis rationem verè & propriè importat: atqui ejusmodi est numerus prædicamentalis: ergo &c. Patet *maj.* prob. min. cùm quantitas in extensione partium consistat, illud specialem quantitatis rationem habet, quod specialem extensionem partium obtinet: atqui talis est prædicamentalis numerus, seu quantitas discreta, quæ in partes discretas, seu nullo communi vinculo copulatas, extensa est; qui extensionis modus specialis est, utpote distinctus ab eo, quo quantitas continua in partes communi termino conjunctas extenditur: ergo &c.

Addi posset, quòd cùm in quantitate ratio mensuræ sit ejus proprietas ex ipsius natura emanans; ibi est specialis ratio quantitatis, ubi

ſpecialis ratio menſuræ invenitur: atqui in numero prædicamentali ſpecialis ratio menſuræ reperitur: hinc in ulna, quæ eſt quantitas continua, qua panum menſuramus; & in numero, quo pecuniæ ſumma menſuratur, ſpeciales & diverſæ rationes menſuræ inveniuntur: ergo &c. Huic argumento

Reſpondent adverſarii, quòd quamvis numerus prædicamentalis ſpecialem extenſionis & menſuræ rationem importare videatur, non tamen propterea eſt verè ac propriè dicta quãtitatis ſpecies; quoniam non eſt aliquid unũ per ſe, ſed per accidens tantùm; ita ut ſit ſolùm aggregatio unitatũ, ſicut Populus eſt duntaxat hominũ congregatio.

Sed contrà ſic argumentor: unum per ſe dicitur illud, quod reſultat ex extremis per ſe ad conſtituendum unum ordinatis; ut patet: atqui numerus prædicamentalis eſt ejuſmodi; etenim per ſe, ſeu ex ſe, ordinantur tres unitates prædicamentales ad conſtituendum unum numerum ternarium prædicamentalem; quatuor unitates ad componendum unum numerum quaternarium prædicamentalem, &c. ergo &c. Deinde, partes ſimpliciter tales, per ſe ad componendum unum totum ordinantur, ut evidens eſt; unitates autem prædicamentales ſunt ſimpliciter partes, ut oſtenſum eſt ſuprà;

Eandem doctrinam tradit Angelicus Doctor 7. Metaph. Textu 60. lect. ultima, ubi reddens rationem diſtinguendi inter compoſitionem ex multis, quæ unum ſimpliciter, ſeu per ſe, facit; & eam, quæ unum ſecundùm quid ſolùm, ſive per accidens, efficit, ſic ait: *Hujus diverſitatis ratio eſt, quia compoſitum quandoque ſortitur ſpeciem ab aliquo uno quod eſt forma, ut patet in corpore mixto; vel compoſitio, ut patet in domo; vel ordo, ut patet in ſyllaba, & numero; & tunc oportet, quòd totum compoſitum ſit unum ſimpliciter. Quandoque verò compoſitum ſpeciem ſortitur ex ipſa multitudine partium collectarum, ut patet in*

acervo, & populo, & aliis hujusmodi: & in talibus totum compositum non est unum simpliciter, sed secundum quid.

Præterea 7. Metaph. Lect. 13. hæc habet: *Dualitas non est duæ unitates, sed aliquid ex duabus unitatibus compositum: aliter numerus non esset ens per se, & verè; sed per accidens, sicut quæ coacervantur.*

Insuper 8. Metaph. Lect. 3. sic loquitur: *Est unum per se numerus, inquantùm ultima unitas dat numero speciem & unitatem; sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma, per formam est aliquid unum; & unitatem & speciem sortitur.* Ex quibus omnibus liquet, D. Thomam sentire, numerum esse ens per se unum, & veram speciem, scilicet quantitatis. Quam doctrinam tradit rursus aliis in locis. Hinc

Ex doctrina D. Thomæ sic argui potest: Compositum, quod per se & simpliciter unum est, in hoc discrepat à composito, quod est unum per accidens & secundùm quid duntaxat, quòd primum obtinet unitatem ab eo, quod simpliciter unum est; ut patet in homine, qui ab anima rationali simpliciter una unitatem specificam desumit: secundum verò reipsa à multitudine suam accipit unitatem, ut liquet in acervo lapidum, qui à multis lapidibus aggregatis unus est: atqui numerus prædicamentalis suam sortitur unitatem ab aliquo simpliciter uno: ergo &c. Minor ex eo suadetur, quòd unusquisque prædicamentalis numerus ab ultima unitate unus est; etenim unum idem est ac indivisum in se, & divisum ab omne alio; quilibet verò numerus prædicamentalis per ultimam unitatẽ, priores unitates claudentem & colligentem, fit in se indivisus; & præterea per ipsam ab omni alio numero dividitur seu distinguitur: etenim distinguuntur, numerus ternarius per tertiam unitatem à numero quaternario, quaternarius numerus per quartam unitatem à numero quinario, &c. uni-

tas

tas verò ultima est aliquid simpliciter unum, utpotè simpliciter in se indivisum, & ab omni alio divisum atque discretum.

Addi potest ex eadem D. Thomæ doctrina, quòd licèt numerus prædicamentalis componatur ex multis (videlicet ex multibus unitatibus) non tamen ex multis disparatis, & confusè se habentibus: sed potiùs ex pluribus ordinatis; adeò ut prima unitas componens ordinetur ad secundam, & omnes unitates simul ex se ordinentur ad componendum totum numerum: sicque nihil impedit, ne prædicamentalis numerus sit aliquid per se & simpliciter unum.

Explicatur ampliùs: formale objectum scientiæ debet esse unum per se: atqui numerus est formale objectum unius scientiæ, nimirum Arithmeticæ; ut fatentur omnes: ergo &c. Major communis Philosophorum doctrina, post Aristotelem; & meritò, nam formale objectum unius scientiæ sit simpliciter unum, habeatque unam essentiam, ex qua emanent proprietates in scientia illa demonstrabiles, necesse est: solum autem ens per se unum unam essentiam obtinet; sic homo unam habet essentiam, ex qua variæ resultant proprietates, quæ rectè possunt de ipso demonstrari: in ente autem per accidens uno, non est una essentia, sed multæ essentiæ confusim sumptæ inveniuntur; in acervo lapidum patet.

Respondent Adversarii, numerum prædicamentalem esse quidem in mente nostra per se unum, non tamen à parte rei.

Sed contra sic argumentor: numerus prædicamentalis, ex Adversariis, est à parte rei ens per accidens unum: ergo & in mente nostra; neque enim mens nostra præstare potest, ut quod à parte rei est dumtaxat unum per accidens, intra ipsam fiat unum per se; sic lapidum acervus non solùm à parte rei, sed etiam intra mentem nostram, unus est per accidens tantùm.

Dein-

Deinde, Arithmetica, apud Scholasticos,
ſt ſcientia, tum entitativè, tum objectivè,
alis; & ideò objectum ejus formale debet esse
ale, aut à parte rei reperiri; ac proinde nu-
erus, prout est formale objectum Arithme-
, ſicque prout est ens per ſe unum, ſit realis
à parte rei neceſſe eſt.

Demùm, *illud* eſt unum per ſe *à parte rei*,
od *à parte* rei conſtat ex partibus ſimpliciter
tis, per ſe ad ipſum componendum ordinatis;
patet: atqui prædicamentalis numerus eſt
ſmodi: ergo &c. Min. ex eo liquet, quòd nu-
rus prædicamentalis à parte rei conſtat ex uni-
bus prædicamentalibus, quæ ſunt ſimplici-
partes, per ſe, aut ex ſe, ad componen-
n prædicamentalem numerum ordinatæ; ut
dictis perſpicuum eſt.

§. III.

Objectiones ſolvuntur.

ji. 1. Ariſtoteles 3. Phyſ. cap. 3. aſſerit, nu-
nærum eſſe plures unitates: ergo non eſt a-
ſimpliciter & per ſe unum; proindèque
rè ac propriè dicta ſpecies quantitatis.
ondeo negando conſeq. verum enim eſt
, numerum eſſe plures unitates; at non
as, ſed per ſe, aut ex ſe, ad compo-
unum ordinatas.
modo exponendus eſt Philoſophus,
3. Phyſ. citato, text. 68. & 10. Metaph.
it, numerum eſſe *plura quanta conjun-*
„plures quantitates continuas conjun-
im non loquitur de quantitatibus con-
ut ſunt quantitates completæ, inter
si ſed prout ſunt unitates incomple-
ad componendum unum numerum
modo ſuperiùs explicato.
toteles 8. Metaph. cap. 3. dicit, *nu-*

me-

merum non esse unum, sed sicut cumulum: ergo cùm cumulus sit dumtaxat aliquid per accidens unum, idem de numero dicendum est.

Respondeo, Adversarios minùs sincerè verba Philosophi referre; non enim ait absolutè: *Numerus non est unus, sed sicut cumulus*; sed sic loquitur: *Et numerum oportet aliquid esse, qui unus, si unus est: aut enim non est, sed quasi congeries: aut si est, dicendum est, quidnam illud sit, quod eum ex multis facit.*

Quibus verbis absolutè non ait, numerum esse sicut congeriem, aut cumulum; sed quòd si numerus unus est, aut erit quasi congregies, aut explicandum erit, quid sit illud, quod ipsum simpliciter unum constituat; idque (inquit D. Thomas ibidem Lect. 3.) statim exponit ipse Philosophus dicens, unam numeri partem se habere ut formam, quæ quidem pars est ultima unitas. Forma verò tribuendo unitatem specificam composito, ipsum constituit per se ac simpliciter unum.

Addi potest, Aristotelem non dicere, numerum esse cumulum aut congeriem, sed esse quasi congeriem; id est, habere cum congerie aliquam similitudinem: sicut enim in congerie multa sunt ita in numero plura inveniuntur, nempè plures unitates; cum hoc tamen discrimine, quòd congeries sortitur unitatem à multitudine, id est à multis entibus completis per accidens aggregatis; unde est aliquid per accidens dumtaxat unum: at numerus accipit unitatem ab aliquo simpliciter uno, ut ex dictis liquet.

Inst. iterum: quod constat ex pluribus entibus in actu, & completis, non est per se unum, sed per accidens tantùm; ut sæpè docet Aristoteles: atqui numerus prædicamentalis constat ex pluribus entibus in actu, & completis, videlicet ex pluribus quantitatibus continuis; ut ex dictis perspicuum est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod constat ex pluribus entibus formaliter in actu, & completis,

non

non est &c. concedo: quod constat ex pluribus entibus materialiter in actu, & completis, non est &c. nego: licèt autem plures quantitates continuæ numerum prædicamentalem componentes, materialiter aut entitativè sint entia completa & totalia; attamen formaliter, prout sunt unitates prædicamentales, sunt entia propriè & simpliciter incompleta & partialia; ut suprà explanatum est.

Inst. amplius: ratio quantitatis continuæ, & ratio unitatis prædicamentalis, in linea, v. g. realiter non distinguuntur: ergo si, ut quantitas continua est ens completum, etiam ut est unitas prædicamentalis, sit ens completum, necesse est.

Respondent Complutenses hìc disp. 13. qu. 6. negando ant. putant enim, unitatem prædicamentalem addere quantitati continuæ aliquid reale ac positivum incompletum, reductivè ad hoc prædicamentum pertinens, per quod quantitas continua constituitur in ratione partis numeri prædicamentalis; in quo unitas prædicamentalis differt ab unitate transcendentali, quæ convertitur cum ente, quæque positivè nihil addit enti, sed est ipsummet ens, ut indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor variis in locis; sed præcipuè 1. p. q. 11. art. 1. ad 1. & q. 30. sequenti art. 3.

Respondeo 2. dato, & non concesso ant. negando conseq. nam in Petro specifica natura, & differentia specifica, aliique gradus metaphysici, realiter identificantur, & virtualiter solùm distinguuntur; ut alibi ostensum est: & tamen specifica natura in Petro est gradus completus atque totalis; differentia verò specifica est gradus duntaxat incompletus ac partialis: ut ergo linea sit ens completum, prout est quantitas continua; & sit ens incompletum, prout est prædicamentalis unitas; satis est planè, ut ratio quantitatis continuæ, & ratio unitatis prædicamentalis, virtualiter in linea differant.

Inst.

eretæ sunt & disjunctæ ; ut ex dictis liquet : ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ea tantùm unum per se efficiunt, quæ inter se uniuntur ; vel unione continuitatis, vel unione ordinis, concedo: quæ inter se uniuntur semper unione continuitatis, nego: quamvis verò unitates prædicamentales in numero non uniantur unione continuitatis, quoniam discretè, non autem continuè se habent; attamen unione ordinis, erè unium per se ordinatur.

Dices: plura, ut plura, unum per se non efficiunt ; ut patet : atqui unitates prædicamentales in numero sunt plures, ut plures; utpotè discretæ ab invicem atque disjunctæ: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. plura, ut plura disparata, unum per se non faciunt, concedo: plura, ut plura ordinata, unum per se non faciunt, nego: licèt verò unitates prædicamentales in numero sint plures ; non tamen disparatæ, sed ordinatæ, adeò ut una ad alteram, modo dicto, ordinetur. Unde numerus prædicamentalis rectè constitutus, non debet ex linea v. g. & superficie, quæ disparatè se habent ; sed ex lineis, vel ex superficiebus, &c. ordinatis, constare.

Urgeb. ea solùm uniuntur unione ordinis, inter quæ ordo reperitur: atqui inter unitates prædicamentales ordo non invenitur : ergo &c. Prob. min. inter paria nullus est ordo; sed duntaxat inter inæqualia, quorum unum est prius, & aliud posterius: atqui omnes unitates numerum prædicamentalem componentes, sunt pri-

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cu-

jus

s prob. distinguo ma. inter paria formaliter ut
ia, nullus est ordo, concedo: inter paria ma.
aliter talia, nullus est ordo, nego: licèt au-
omnes unitates numerum prædicamenta-
componentes, sint materialiter, seu quo-
ntitatem, pares; attamen formaliter, seu
d situationem, secundùm quam una est
, & altera posterior, vel ultima, sunt
s.

s: in exercitu reperitur unio ordinis,
s in illo multi milites sub uno Duce or-
; & tamen exercitus non est aliquid
um, sed per accidens tantùm: ergo a-
licèt in numero prædicamentali unio
eniatur, non tamen propterea aliquid
m dici potest.

eo distinguendo antec. in exercitu,
n exercitus non est physicè aliquid
&c. concedo: & tamen exercitus
è aliquid per se unum, nego; &
r; consequens: ergo similiter, li.
&c. non tamen propterea ali.
physicè dici potest, concedo:
rea aliquid per se unum ma-
antitativè, dici potest, ne-
n ergo exercitus est politicè
ex eo, quòd multi milites
ee politicè ordinantur: hic
is numerus centenarius est
athematicè aut quantita-
ures unitates mathema-
d unam unitatem ulti-
t.

§. IV.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 2. numerus transcendentalis, v. g. Angelorum, nec est ens per se unum, nec vera ac propriè dicta species quantitatis: ergo neque quantitativus linearum numerus.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem. Disparitas est

Primò, quòd numerus, qui per modum unius per se, & veræ ac propriè dictæ speciei, *in prædicamento* quantitatis collocatur, debet exunitatibus quantitativis componi; hoc autem competit quidem quantitativo numero, non tamen numero transcendentali.

Secundò, disparitas est in eo, quòd unitates transcendentales numerum transcendentalem componentes, sunt res disparatæ; quæ non ex se, seu ab intrinseco, sed ab extrinseco tantùm, videlicet ab intellectu numerante & aggregante, ad constituendum unum numerum ordinantur: at quælibet quantitas continua, v. g. quælibet linea, ab intrinseco, sub una consideratione est divisibilis, v. g. in longum; & sub alia acceptione est quantitativa unitas indivisibilis, v. g. in latum, ad componendum unum numerum quantitativum idonea.

Inst. si prædicamentalis numerus foret aliquid per se unum, & vera atque propriè dicta species quantitatis; maximè, quia speciem sortitur ab ultima unitate sicut à forma; & ita ab eo, quod simpliciter unum est: atqui hoc falsum est: ergo &c. Ma. ex dictis liquet. Prob. min. cùm materia & forma sint diversæ rationis, ea non se habent ut materia & forma, tribuens speciem, quæ ejusdem rationis planè sunt: atqui omnes unitates numerum prædicamentalem constituentes, sunt omninò ejusdem rationis: ergo &c.

Res-

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. concessa ma. distinguo min. atqui omnes unitates &c. materialiter sunt omninò ejusdem rationis, concedo: formaliter sunt omninò ejusdem rationis, nego; tametsi enim unitates in numero prædicamentali existentes, materialiter aut entitativè consideratæ, eandem sibi vendicent rationem; attamen si spectentur formaliter, prout una est prior ac determinabilis, & altera est postrema atque determinans, sunt diversæ rationis; ratio quippe *determinabilis*, & ratio *determinans*, sunt prorsus diversæ: idcòque priores unitates determinabiles, se habent ut materia; postrema verò *determinans*, est forma, quæ speciem toti numero tribuit; forma enim ex proprio munere determinat materiam, & specificat totum.

Inst. iterum: forma debet in materia recipi; ut communiter docent Philosophi: atqui ultima *unitas numeri* in aliis non recipitur; ut patet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. forma *physica* debet in materia recipi, concedo: forma quantitativa, & præcisè determinans, debet in materia recipi: subdistinguo: debet in materia recipi quantitativè & determinativè, concedo: debet in materia physicè recipi, nego: & distinguo pariter *min.* atqui ultima unitas numeri in aliis physicè non recipitur, concedo: in aliis quantitativè & determinativè non recipitur, nego.

Itaque forma eo modo debet in materia recipii, quo est forma. Unde si est forma physica, & physicè informans (qualis est forma ligni) recipiatur in subjecto, & ipsum informet physicè, necesse est: si verò sit forma duntaxat quantitativa & determinans, adeò ut tantùm dicatur *forma*, inquantùm determinat compositum, in quo est, ad certam speciem quantitatis, (proprium enim formæ est ad speciem determinare) satis est, ut quantitativè & determinativè

in

in materia recipiatur, id est, sufficit, ut ei adveniat, tanquam determinans totum compositum ad certam quantitatis speciem: quamvis autem ultima numeri unitas physicè in aliis non recipiatur; recipitur tamen in eis quantitativè & determinativè, ita ut illas, & totum numerum, ad certam quantitatis speciem determinet: sic tertia unitas præcedentes ad speciem numeri ternarii, quæ est certa quantitatis discretæ species, determinat; & sic de cæteris.

Inst. insuper: necesse est, ut materia & forma uniantur, videlicet ad totum componendum: atqui unitates in numero non uniuntur, sed disjunguntur: ergo &c.

Respondeo ex doctrina superiùs tradita, distinguendo maj. necesse est, ut materia & forma uniantur: vel unione continuitatis, *vel unione* ordinis, concedo: semper unione continuitatis nego: & distinguo pariter min. atqui unitates in numero non uniuntur unione continuitatis, concedo: non uniuntur unione ordinis, nego.

Urgeb. cùm forma debeat materiam determinare, debet ipsa esse à parte rei determinata: atqui ultima numeri unitas non est à parte rei determinata, sed ab intellectu designatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. cùm forma &c. debet ipsa esse à parte rei formaliter determinata: concedo: debet ipsa esse à parte rei *materialiter* determinata, nego: & distinguo pariter min. atqui ultima numeri unitas non est materialiter à parte rei determinata, sed ab &c. concedo: non est formaliter à parte rei determinata, sed &c. nego: itaque, quòd in numero ternario, v. g. hæc unitas materialiter aut entitativè, potiùs quàm illa, sit ultima, id non est à parte rei, aut ex natura rei; sed opus designantis intellectus: attamen, quòd ea, quæ ab intellectu designata est, ut sit tertia, formaliter inquantùm tertia, sit in numero ternario ultima, id à parte rei est, & ex natura rei; tertia enim unitas, ex natura

ter-

tertiæ unitatis habet, quòd numerum ternarium ultimò claudat, adeò ut à parte rei numerus ternarius ultra tertiam unitatem non extendatur. Unde nihil impedit, ne ultima unitas formaliter sumpta, speciem & unitatem det numero; qui proinde sit, & aliquid per se unum, & vera ac propriè dicta quantitatis species.

Hinc intelliges, quomodò explicandus sit Aristoteles, *dum* 5. Metaph. ait, numerum non esse sine intellectu numerante. Sensus enim est, *numerum* non esse sine intellectu ultimam unitatem materialiter designante. Eodem modo exponendus venit D. Thomas, quando 1. p. q. 30. art. 1. ad 4. dicit, numerum non esse nisi in intellectu: loquitur quippe de numero quoad designationem *materialem ultimæ unitatis*, non autem quoad *munus istius unitatis* formaliter sumptæ, vel quoad *specificam* numeri prædicamentalis *naturam*.

Quemadmodùm verò in numero ternario, *quòd hæc unitas* materialiter sit ultima, est opus designantis *intellectus*, licèt formale munus ejus sit à parte rei; (ut ex dictis liquet:) ita, quòd in eodem numero materialiter, hæc unitas sit prima, & ista secunda, ab eodem intellectu designante procedit; quamvis prima unitas formaliter ut prima, primum à parte rei in illo numero locum obtineat; & secunda formaliter ut secunda, secundum sibi vendicet locum. Unde ordo vel unio ordinis inter tres unitates illas formaliter sumptas realis est, seu à parte rei reperitur. *Idem* dicendum est de unitatibus aliorum *numerorum*.

Inst. præterea: accidens per se *unum* petit unum subjectum, cui inhæreat: atqui numerus prædicamentalis non est talis: ergo &c. Min. suadetur exemplo numeri plurium corporum à se mutuò longè distantium; subjectum quippe ejusmodi numeri, sunt illorum corporum entitates, quæ cùm ab invicem longè distent, unum subjectum constituere nequaquam possunt.

Ref-

Respondeo distinguendo maj. accidens per se unum unione continuitatis, petit unum subjectum, concedo: accidens per se unum unione ordinis, petit unum subjectum, subdistinguo: petit unum subjectum, quod sit unum unione ordinis, concedo: quod sit unum unione continuitatis, nego; licèt autem entitates corporum à se mutuò longè distantium, quæ ad unum numerum componendum ordinantur, non uniantur unione continuitatis, uniuntur tamen unione ordinis; & ideò subjectum unum unione ordinis rectè possunt constituere, cui inhæreat unus prædicamentalis numerus, qui unione ordinis duntaxat unus est.

Dices: si idem numero accidens foret in entitatibus plurium corporum à se mutuò distantium, idem distaret & divideretur à se ipso: atqui hoc absurdum est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si idem numero accidens foret &c. idem adæquatè sumptum, & secundùm se totum, distaret &c. nego: idem inadæquatè acceptum, & secundùm diversas partes, distaret &c. subdistinguo: distaret & divideretur distantia & divisione opposita unioni continuitatis, concedo: distantia & divisione opposita unioni ordinis, nego.

Itaque in numero plurium corporum à se mutuò distantium, partes, scilicet unitates, à se quidem distant, & dividuntur ab invicem, distantia & divisione unioni continuitatis opposita; revera namque unitates illæ inter se non continuantur: attamen unitates prædictæ ab invicem non distant, nec dividuntur distantia & divisione, quæ unionem ordinis excludat; quin potiùs ad componendum unum prædicamentalem numerum per se ordinantur.

§. V.

§. V.

Verùm Oratio sit vera & propriè dicta quantitatis species?

NOtandum est 1. plures esse orationis acceptiones. Primò enim oratio apud Theologos significat religionis actum, quo mentem in Deum erigimus, & aliquid ab ipso petimus. Secundò à Dialecticis definitur: *Vox significativa ad placitum, cujus partes separatæ significant, juxta totius significationem*: quæ definitio alibi explanata est. Tertiò apud Rethores significat instrumentum quoddam ad persuadendum idoneum. Quartò tandem apud Philosophos usurpatur, prout est realis multitudo prolationum plurium syllabarum discretarum, ordine quodam sibi invicem succedentium. Et de oratione hoc ultimo modo sumpta nunc est sermo.

Notandum est 2. ex communi Peripateticorum doctrina, sonum esse qualitatem in aere ex collisione duorum corporum productam. Vox verò propriè sumpta non est quicumque sonus, sed ille dumtaxat, qui ex collisione quarumdam partium corporis animalis, nempè gutturis, palati, linguæ, dentium, & labiorum, resultat. Hinc *unica vox est, quæ ex unica collusione provenit*. Id autem contingit, quando una vocalis litera cum aliqua consonante, vel cum aliquibus consonantibus, pronuntiatur. Unde una vox est una syllaba, & plures voces sunt plures syllabæ: Oratio verò, prout hìc usurpatur, est hujusmodi vocum, sive syllabarum collectio. Hinc dictio illa *Dominus*, est oratio; quoniam fit tribus percussionibus collisionũ, juxta tres ejus syllabas, quarum una succedit alteri. Quia verò inter unam & alteram collisionem intercedit aliqua temporis morula; idcircò syllabæ illæ, seu earum pronuntiationes, sunt successivæ & discre-

tæ aut diſcontinuæ, ſicut & tota oratio ſucceſſiva eſt atque diſcreta.

Notandum eſt 3. in ſucceſſiva orationis pronuntiatione plura reperiri. Primò igitur invenitur aer verberatus ipſa in partium corporis animalis colluſione: evidens autem eſt, aerem illum eſſe ſubſtantiam extra prædicamentum quantitatis conſtitutam. Præterea occurrit ſonus ex illa colliſione proveniens, qui in prædicamento qualitatis collocatur. Inſuper eſt actio, qua una pars corporis animalis percutit alteram, quæ in prædicamento actionis ponitur. Demùm reperitur extenſio ſeu duratio cujuslibet ſyllabæ, ratione cujus *longa* vel *brevis* apud Grammaticos dicitur. Et de oratione, prout eſt multitudo ejuſmodi durationum ſecundùm quamdam conſonantiam, difficultas eſt, utrum ſit vera & propriè dicta quantitatis ſpecies?

Dico: oratio non eſt vera & propriè dicta quantitatis ſpecies, ab aliis diſtincta. Eſt contra Complutenſes citantes B. Albertum Magnum, Soncin, Aranxo, Soto, Maſium, Toletum, Rubium, & alios. Noſtra tamen concluſio eſt doctrina Cajetani, Joannis à S. Thoma, & aliorum Thomiſtarum communiter; imò & Ariſtotelis ac D. Thomæ 5. Metaph. Lect. 1. ibi namque propriè dictas quantitatis ſpecies recenſendo, orationem omittunt.

Prob. etiam ratione: Oratio, prout hic accipitur, eſt multitudo vel collectio durationum ſyllabarum ſecundùm conſonantiam, ratione cujus, alia eſt longa, & alia brevis; ſive eſt adæquata omnium ſyllabarum duratio; ut ex dictis conſtat: atqui ejuſmodi duratio non eſt vera & propriè dicta ſpecies quantitatis: ergo &c. Min. colligitur ex his, quæ dicta ſunt ſuprà art. 4. §. 1. ibi enim oſtenſum eſt, tempus non eſſe veram & propriè dictam quantitatis ſpeciem; intrinſecam tem ſyllabarum duratio eſt intrinſecum earum tempus; ut etiam ipſi Adverſarii fatentur.

Dein-

Deinde, vera & propriè dicta quantitatis spe-
cies debet esse per se aut ratione sui quanta seu
extensa; duratio autem syllabarum per se vel ra-
tione sui quanta sive extensa non est, sed dum-
taxat per accidens, aut ratione alterius, vi-
delicet ratione motus linguæ, *dentium* & labio-
rum; ita ut duratio illa sit magis *vel minùs* ex-
tensa, secundùm quòd modus ille magis *vel mi-*
nùs extenditur.

Demùm duratio syllabarum reipsa nihil aliud
est, quàm duratio motus linguæ, dentium, &
labiorum, hominis loquentis: unde sicut ejus-
modi motus est aliquid incompletum, ita dura-
tio illa sit quoque aliquid incompletum neces-
sitio est: species verò propriè dicta debet esse
aliquid completum, ex genere & *differentia* spe-
cifica constitutum.

Objic. 1. Aristoteles in Logica, & D. Tho-
mas opusc. 48. *enumerant* orationem inter spe-
cies quantitatis.

Respondeo, Aristotelem, & D. Thomam
locis citatis enumerare quantitatis species latè
sumptas, accipiendo quantitatis speciem latè,
pro speciali ratione mensuræ; oratio quippe
specialis est syllabarum duratio atque mensu-
ra: at quia in Metaph. exactè strictèque pon-
derant ac discutiunt species quantitatis, idcir-
coò *orationem* omittunt.

Objic. 2. D. Thomas pluribus in locis ora-
tionem absolutè & sine restrictione *speciem quan-*
titatis discretæ appellat.

Respondeo, D. Thomam illis in *locis*, *nempè* in
4. dist. 3. q. 1. a. 2. q. 4. ad 1. item *lib.* 2. *de anim.*
Lect. 18. & opusc. 48. loqui de oratione in ratione
mensuræ, non autem in ratione extensionis.
Quamvis enim oratio absolutè, & absque restri-
ctione, syllabas mensuret modo discreto; attamen
absolutè & sine restrictione extensionem non sor-
titur: tum quia ratione sui non extenditur, sed
duntaxat ratione motus, modo explicato; tum et-

iam quia extensionem habet solùm incompletam.

Inst. quod est unum per se, est vera species, in aliquo prædicamento collocata, etiam directè; prout docent communiter Peripatetici: atqui oratio est aliquid per se unum: ergo &c. Mi. colligitur ex D. Thoma 7. Metaph. Lect. ultima, ibi namque ait, orationem ex syllabis compositam, eo modo esse unam, quo numerus est unus; adeò ut oratio sit simpliciter una ordine syllabarum, sicuti numerus ordine unitatum simpliciter unus est.

Respondeo distinguendo ma. quod est unum per se completum, est vera species, &c. concedo: quod est unum per se incompletum, est vera species &c. nego: & distinguo pariter min. atqui oratio est aliquid per se unum incompletum, esto: completum, nego. Ad prob. min. ex D. Thoma desumptam: dico, S. Doctorem velle tantùm, quòd sicut numerus ordine unitatum est unus, ita oratio ordine syllabarum una est: non tamen eodem modo; nam numerus est unus modo completo, ut ex dictis constat; oratio verò, prout hic usurpatur, cùm sit mera duratio motus, qui in prolatione syllabarum reperitur; fit, ut quia motus est aliquid incompletum, etiam oratio sit aliquid incompletum.

Objic. 3. oratio verè quanta est aut extensa, & quidem modo discreto: ergo est vera quantitatis discretæ species. Ant. ex eo suadetur, quòd oratio, prout hic usurpatur, est syllabarum successivè prolatarum duratio, quæ utique extensa est, utpotè successiva; est quoque discreta, cùm syllabæ discretè proferantur.

Respondeo distinguendo ant. oratio, modo incompleto, verè quanta est aut extensa, &c. concedo: modo completo verè quanta est aut extensa &c. nego ant. & conse.

Inst.

Inſt. oratio ſpecialem habet menſuræ diſcretæ rationem: ergo eſt peculiaris ſpecies quantitatis diſcretæ. Conſeq. ex eo liquet, quòd ratio menſuræ diſcretæ conſequitur naturam quantitatis diſcretæ, tamquam ipſius proprietas. Prob. antem ant. oratio menſurat ſyllabas ſecundùm quandam conſonantiam; quod nulli alteri ſpeciei quantitatis diſcretæ convenit: ergo oratio ſpecialem rationem menſuræ diſcretæ obtinet.

Reſpondeo diſtinguendo ant. oratio ſpecialem habet menſuræ diſcretæ (videlicet ſecundùm conſonantiam) rationem, in extenſione incompleta fundatam, concedo: oratio ſpecialem habet menſuræ diſcretæ rationem, in completa extenſione fundatam, nego ant. & conſeq. peculiaris enim ſpecies quantitatis vera & propriè dicta debet habere ſpecialem extenſionem completam, in qua ſpecialis ratio menſuræ fundetur.

Quod diximus de oratione, *dicendum quoque eſt de omnibus* carminibus: ut de *exametro*, *pentametro*, *ſaphico*, *adonico*, &c. Item de omnibus carminum pedibus, ut de *ſpondæo*, *pyrrichio*, *moloſſo*, *trybracho*, &c. Et tamdem de omnibus rationibus ac modis muſicis, cujjuſmodi ſunt *diapente*, *diapaſaron*, &c. hæc enim omnia non ſunt propriè dictæ & rigoroſæ quantitatis diſcretæ ſpecies; habent tamen cum quantitate diſcreta aliquam ſimilitudinem, eo quòd in partes, diſcretè ſe habentes, extenduntur. Unde dici poſſunt indirectè ad quantitatem diſcretam pertinere, ſive ad ipſam reduci.

Articulus Sextus.

Proprietates & coordinatio quantitatis explicantur.

EXtensio localis, impenetrabilitas, divisibilitas, & ratio mensuræ, inter proprietates quantitatis communiter recensentur. Etenim rei proprietas est id, quod ex ejus essentia resultat; essentia verò quantitatis (ut ex dictis constat) in eo sita est, quòd in ordine ad se extendatur in partes. Hinc autem resultat primò, quòd quantitas secundùm partes in ordine ad locum etiam extensionem obtineat, adeò ut diversæ partes quantitatis diversas loci partes impleant. Sequitur præterea, quòd quantitas sit in partes divisibilis, tum in ordine ad se, tum in ordine ad locum. Insuper ex eo, quòd una quantitas tota totum obtineat locum, & singulæ partes quantitatis singulas loci partes impleant, rectè infertur, unam quantitatem expellere aliam ab eodem loco; in quo consistit impenetrabilitas. Demùm ex eo, quòd quantitas in ordine ad se, & in ordine ad locum, extensa est, ipsam esse idoneam ad magnitudinem vel parvitatem rerum mensurandam, sequitur. De his quatuor proprietatibus quantitatis nulla est controversia.

Aristoteles in hoc cap. tres alias enumerat quantitatis proprietates. Prima est, quòd quantitas non habeat contrarium. In primis enim, *contraria* dicuntur ea, quæ ab eodem subjecto se mutuò expellunt; adeò ut possint quidem esse in eodem subjecto successivè, non tamen simul: duæ autem quantitates nequeunt, etiam successive, esse in eodem subjecto; cùm enim distinctio & multiplicitas numerica subjectorum ex distinctione & multiplicitate quãtitatis petatur, ut suo loco ostendetur; duæ quantitates distinctæ, duo subje-

subjecta distincta constituunt, quibus dumtaxat inesse possunt.

Deinde nulla assignari potest forma, quæ sit quantitati propriè contraria.

Denique, si aliquæ quantitates forent propriè contrariæ, maximè quantitas magna, & quantitas parva; item quantitas superior, & quantitas Inferior, quæ ab invicem maximè distant: atqui illæ quantitates propriè non sunt contrariæ: ergo &c. Ma. est manifesta. Mi. verò ex eo suadetur, quòd duo propriè contraria, v.g. calor & frigus, nequeunt uni & eidem subjecto, sub diverso respectu, simul convenire; eadem autem quantitas Gigantis supra verticem montis constituti, simul magna atque superior est respectu quantitatis Pygmæi in valle positi, & parva atque inferior est respectu quantitatis totius Cœli empyrei, à qua maximè distat. Hæc proprietas convenit quidem omni quantitati, sed non soli; ut enim alibi dictum est, substantiæ etiam competit.

Secunda quantitatis proprietas ab Aristotele enumerata, est, quòd non suscipiat *magis* & *minùs*. Hinc una linea non est magis linea quàm alia, licèt possit esse major illa. Unde aliud est planè, quantitatem suscipere *majus* & *minus*; & aliud, ipsam suscipere *magis* & *minùs*; ad primum quippe sufficit, ut novas extensionis partes in diversis partibus subjecti, vel acquirat, vel deperdat; quod utique fieri potest: ad secundum autem esset necesse, ut eadem quantitas intra eamdem partem subjecti, modò magis, & modò minùs, extenderetur; quod fieri nequit. Ista verò proprietas communis est quantitati, substantiæ, & aliis prædicamentis à qualitate distinctis; ut enim suo loco patebit, inter omnia prædicamenta, sola qualitas potest propriè intendi, & remitti; quod propriè est suscipere *magis*, & *minùs*.

Tertia proprietas quantitatis est, ut res secun-

dùm illam, vel æquales, vel inæquales, dicantur. Vel enim duæ res quantæ aut extensæ in extensione adæquantur, vel non? si primum, res sunt secundùm quantitatem æquales: si verò secundum dicatur, res sint in extensione inæquales necesse est.

Dupliciter autem una res potest esse alteri vel æqualis, vel inæqualis: nempè, aut in quantitate molis, aut in quantitate virtutis, seu in perfectione. Res primo modo, propriè æqualis est vel inæqualis: secundo autem modo, impropriè tantùm; quoniam sola quantitas molis propriè quantitatis naturam obtinet; quantitas verò virtutis impropriè solùm, & secundùm aliquam similitudinem dumtaxat, quantitas est. Quòd secundùm quantitatem molis res sint æquales, vel inæquales, *maximè proprium* est quantitati, inquit Aristoteles: id est, proprium est ipsi quarto modo, juxta communem interpretum expositionem: adeò ut id conveniat omni quantitati, soli, & semper.

Objic. 1. quantitas magna, & quantitas parva, contrariantur inter se: ergo non habere contrarium, non est proprietas quantitatis. Prob. ant. termini motuum contrariorum debent inter se contrariari; ut patet: atqui quantitas magna, & quantitas parva, sunt motuum contrariorum, nempè augmentationis & diminutionis, termini: ergo &c.

Respondeo, Aristotelem sibi hoc argumentum opponere: solvitque ipsum, negando ant. licèt enim quantitas magna, & quantitas parva, ad invicem referantur; propriè tamen sibi mutuò non contrariantur; ut ex dictis constat. Unde augmentationis & diminutionis motus sunt impropriè solùm contrarii; quatenus eorum termini sunt relativè oppositi, & eidem, respectu ejusdem, simul convenire nequeunt. Sicut autem *magnum* & *parvum*, ita *multum* & *paucum*, non contrariè, sed relativè dumtaxat,

oppo-

opponuntur; prout loco citato ait Philosophus.

Instab. quantitas suprema Cœli Empyrei, & quantitas infima Pygmæi in terra positi, sunt verè contrariæ: ergo iterum falsum est, quantitati nihil esse contrarium. Ant. suadetur ex definitione contrariorum, in qua dicitur, contraria esse *ea, quæ inter se maximè distant*; supremam verò Cœli Empyrei quantitatem, & infimam Pygmæi in terra constituti quantitatem, inter se maximè distare, evidens est.

Respondeo negando ant. *supremum* quippè, & *infimum*, verè aut propriè non opponuntur contrariè, sed relativè tantùm. Dum autem dicitur, contraria esse *ea, quæ inter se maximè distant*; non est sermo de distantia locali, sed de distantia repugnantiæ, ratione cujus ita repugnant inter se, ut eidem subjecto, etiam sub diverso respectu, nequeant simul convenire; eadem verò quantitas Gigantis supra verticem montis collocati, simul suprema est respectu Pygmæi in valle existentis, & est infima respectu totius Cœli Empyrei: unde quantitas suprema Cœli Empyrei, & quantitas infima Pygmæi in terra positi, priori quidem modo distant, non tamen posteriori modo.

Objic. 2. eadem quantitas augeri potest & minui: ergo *magis* & *minùs* suscipere potest.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd ut una quantitas augeatur, vel minuatur, satis est, ut novas extensionis partes in diversis partibus subjecti vel acquirat, vel amittat; ad hoc autem ut quantitas *magis* & *minùs* susciperet, necesse foret, ut eadem quantitas in eadem parte subjecti, modò magis, & modò minùs, extenderetur. Primum possibile est, non autem secundum. Unde si eadē quantitas augeatur, vel minuatur, est quidē magis vel minùs talis *extensivè* & impropriè, non tamen *intensivè* & propriè. Dupliciter autem

...quas partes entitativè distin-
...quirat, aut deperdat. Secundo verò
...guo, si eædem entitativè partes quantitatis
magis vel minùs explicentur, sive dilatentur; &
tunc quantitas dicitur *rarefieri*, vel *condensari*.
Inst. ea forma suscipit magis & minùs, quæ
intenditur & remittitur: atqui ex D. Thoma 1.
2. q. 52. a. 2. ad 1. quantitas interdum intenditur
& remittitur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ea forma suscipit
&c. quæ propriè intenditur &c. concedo: quæ
impropriè intenditur &c. nego: dum autem D.
Thomas loco citato ait, quantitatem interdum
intendi, & remitti; loquitur de intensione & re-
missione impropriè sumptis, idest, de rarefactio-
ne, & condensatione, quæ cum intensione, &
remissione, aliquam obtinent similitudinem:
sicut enim in intensione, & remissione, nova
qualitas non acquiritur aut deperditur, sed dun-
taxat novus perfectionis modus, ut suo loco di-
cetur; ita similiter in rarefactione, & condensa-
tione, nova quantitas non comparatur, vel amit-
titur; sed tantummodò novus quantitatis sta-
tus, in quo ipsa quantitas magis vel minùs,
quàm anteà, explicatur aut dilatatur.

Objic. 3. duæ qualitates, v. g. duæ albedines,
ejusdem gradus, sunt æquales; si verò sint di-
versi gradus, inæquales sunt: ergo, quòd se-
cundùm quantitatem res sint æquales, vel in-
æquales, non est quarto modo proprium quan-
titati; proprium quippe quarto modo, debet
illi soli convenire.

Respondeo distinguendo ant. duæ qualitates,
v. g. duæ albedines, ejusdem gradus, sunt æqua-
les; si verò &c. impropriè & secundùm aliquam
similitudinem cum æqualitate & inæqualitate,
quæ in quantitate fundatur, concedo: propriè,
nego: quando autem diximus, proprium esse

quan-

quantitati quarto modo, ut secundùm illã res sint
æquales aut inæquales, id intelligendum venit
de æqualitate & inæqualitate propriè dictis.

Inst. æqualitas, & inæqualitas, sunt duæ re-
ationes, quibus *æquale & inæquale*, ad se mu-
uò referuntur: ergo non debent dici proprieta-
s prædicamenti quantitatis, quod à prædica-
ento relationis diversum est.

Respondeo distinguendo ant. æqualitas, & in-
alitas, formaliter sumptæ, sunt duæ relatio-
&c. concedo: æqualitas, & inæqualitas, fun-
traliter acceptæ, sunt duæ relationes &c.
non sunt quippe relationes, sed relatio-
ndamenta: licèt autem æqualitas, &
itas, formaliter sumptæ, ad prædica-
relationis pertineant: attamen illa-
adeò ut proprietas ejus sit, quòd pos-
smodi relationum fundamentum pro-
ma nihilominùs quantitas æqualita-
ualitatem non fundat, nisi ad alte-
les æqualitatis & inæqualitatis re-
i inter duas quantitates, realiter
um una adæquat, vel superat al-
tur.

andum est quantitatis prędica-
gitur ponendum est genus su-
ci potest, *quantitas prædica-*
Hoc supremum genus divi-
continuam, & in quantita-
merum; seu in quantita-
ntitatem multitudinis.
dividitur in lineam, super-
mt species infimæ. Un-
via; superficies quadra-
corpus rotundum,
differunt essen-

Numerus par in binarium, quaternarium, &c. distribuendus est. Numerus verò impar in ternarium, quinarium, &c. dividi potest. Quilibet autem numerus in sua specie infimus est.

QUÆSTIO QUARTA.

De prædicamento Relationis.

RELATIO, ut nomen ipsum præsefert, nihil est aliud, nisi forma quædam, qua unum ad aliud refertur; seu ordo, quo unum ad aliud ordinatur; aut respectus, quo unum aliud respicit; vel denique habitudo, secundùm quam unum se habet, sive comparatur ad aliud. Hinc Aristoteles relativa vocat *ad aliquid*; & apud ipsum huic prædicamento titulus est, *de ad aliquid*.

Relationes verò notitia summè necessaria est, non modò Philosophis, sed & Theologis; cùm nulla ferè sit Philosophiæ ac Theologiæ pars, in qua de aliquo ente relativo non disseratur. Amplior igitur atque operosior de relatione, quàm de reliquis prædicamentis, erit tractatio. Circa relationem autem quatuor quærenda occurrunt; nimirum, an sit, quid, & quotuplex sit, & quas proprietates obtineat?

Articulus Primus.

An, quid, & quotuplex sit relatio?

Relatio alia est realis, & alia rationis. Hæc à sola ratione, seu à solo intellectu, excogitatur; illa à parte rei invenitur.

Relatio realis alia iterum est transcendentalis & alia prædicamentalis. Prima sic nominatur, quoniam omnia transcendit, adeò ut nulla sit res, quantumvis absoluta, quæ aliquid extrinsecum non connotet; relatio autem transcendentalis in ejusmodi connotatione consistit. Relatio verò *prædicamentalis* sic nuncupatur, quoniam speciale hoc prædicamentum constituit. Quæritur ergo, quid sit prædicamentalis relatio?

Ex Aristotelis doctrina circa finem hujus cap. sic ista relatio solet definiri: *Relatio prædicamentalis est accidens reale, cujus totum esse est ad aliud se habere.* Id est, accidens reale, cujus tota essentia in puro respectu ad aliud, seu ad terminum, sita est. Dicitur accidens, ut relationes divinæ (nempè Paternitas, Filiatio, & activa, ac passiva spiratio) quibus personæ divinæ ad se mutuò referuntur, excludantur; etenim relationes illæ non sunt accidentia (cùm enim accidens essentialiter à subjecto dependeat, dependẽtiam à subjecto, & ita imperfectionem Deo repugnantem, essentialiter importat) sed realiter cum essentia aut substantia Dei identificantur. Unde sicuti substantia divina minimè in prædicamento substantiæ collocatur, ut alibi probatum est: ita ob similes rationes, relationes divinæ in hoc prædicamento non ponuntur.

Additur, relationem prædicamentalem esse accidens reale; quia sola entia realia in prædicamentis à Philosophis recensentur. Denique asseritur, totum esse relationis prædicamentalis,

talis, seu totam ejus essentiam, in eo consistere, ut ad terminum se habeat, id est, ut sit purus ad terminum respectus; in quo differt à relatione transcendentali, quæ purus respectus ad terminum non est, sed potiùs est entitas absoluta connotans aliquid extrinsecum.

Dari relationes reales, negarunt Avicenna, Averroes, Simplicius, Ammonius, aliique multi; prout D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. testatur. Alii admiserunt quidem reales relationes transcendentales, per multa prædicamenta vagantes; attamen relationes reales prædicamentales, sive ad speciale prædicamentum pertinentes, negavere. Sic tenuerunt Zeno, & Stoici.

Alii in relatione prædicamentali distinguunt rationem *in*, quæ convenit ei, prout est accidens inhærens subjecto; & rationem *ad*, quæ ipsi competit reduplicativè, prout refert subjectum ad terminum. Asserunt igitur, relationem prædicamentalem esse quidem realem, quantùm ad rationem *in*, non tamen quantùm ad rationem *ad*. Communis verò, tum Theologorum, tum Philosophorum, doctrina affirmat, dari relationem prædicamentalem, secundùm utramque rationem, realem.

Quam quidem doctrinam tradit in primis Philosophus; tum hìc in Logica; tum 5. Metaph. c. 7. tum etiam 1. Topic. cap. 7. & alibi; nam iis in locis, & præsertim 6. Metaph. cap. 2. admittit relationem extra animam, id est, realem, quæ peculiare constituat prædicamentum. Eamdem veritatem suadet ratio; nam Paternitas, & Filiatio, v. g. sunt relationes prædicamentales reales: etenim cùm pater realiter generet filium, & filius realiter à patre generetur, realiter ad se mutuò referuntur. Præterea Paternitas, & Filiatio, sunt puri respectus reales, quibus pater, & filius, se se invicem respiciunt: nomine autem relationis realis prædicamentalis nihil aliud intel-

intelligunt Philosophi, nisi purum & realem unius creaturæ ad alteram respectum.

Eadem veritas probari potest exemplo duorum parietum alborum, & duarum columnarum palmarium: duo enim parietes illi sunt realiter inmiles, sicut & illæ duæ columnæ realiter æquales; proindèque ibi sunt duæ similitudinis, aut æqualitatis, relationes reales, quæ sunt puri & reales respectus mutui ejusmodi parietum, & columnarum; ac proinde relationes reales prædicamentales.

Nec valet, si respondeant aliqui, relationes illas, esse quidem reales quantùm ad rationem *in*, non tamen secundùm rationem *ad*. Non valet, inquam. Etenim, tunc Paternitas, v. g. accipitur secundùm rationem *ad*, dum refert patrem ad filium; sub hoc autem munere, realis est, cùm pater ad filium realiter referatur.

Dices 1. si prædicamentalis relatio secundùm rationem *ad* realis foret, realiter existeret; ut patet: atqui relatio prædicamentalis secundùm rationem *ad* realiter non existit: ergo &c. Prob. min. vel realiter existeret in subjecto, vel independenter à subjecto, & per se? atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò quidem prædicamentalis relatio secundùm rationem *ad* realiter non existit in subjecto; quandoquidem sub illa ratione, non subjectum, sed terminum, respicit. Per se quoque & independenter à subjecto non existit, quoniam hoc substantiæ proprium est.

Respondeo concessa ma. negando min. relatio quippe prædicamentalis secundùm rationem *ad* existit in subjecto; non quidem modo communi omnibus accidentibus, qui modus existendi competit relationi prædicamentali acceptæ quantùm ad rationem *in*; sed modo speciali, nimirum ad modum puri respectus ad terminum, adeò ut existendo in subjecto, ipsum per se primò ad terminum referat. Unde relatio prædicamentalis

talis ſecundùm rationem *ad* reſpicit terminum per ſeu aut ratione ſui, & ſubjectum ratione termini, ad quem illud refert.

Dices 2. ratio *ad*, etiam in relationibus rationis reperitur: ergo neceſſe non eſt, ut relatio prædicamentalis ſecundùm rationem *ad*, realis ſit.

Reſpondeo negando conſeq. etenim ratio *ad* diverſo planè modo in relatione rationis, & in relatione prædicamentali reperitur. Siquidem ratio *ad*, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm, & cum addito, in relatione rationis invenitur; non enim relatio rationis ſimpliciter refert ſubjectum ad terminum, ſed ſecundùm quid dumtaxat, & cum addito, nempè ſecundùm fictionem intellectus: At ratio *ad* ſimpliciter in prædicamentali relatione invenitur, ita ut relatio illa ſimpliciter realiterque ſubjectum ad terminum referat.

Dices 3. relatio identitatis inter Petrum & Paulum, eſt prædicamentalis; ut infrà patebit; & tamen eſt relatio rationis: ergo prædicamentalis relatio realis non eſt, ſed rationis ſolùm. Ant. quoad primam partem certum eſt. Prob. autem quoad ſecundam: Illa relatio eſt rationis tantùm, cujus fundamentum eſt rationis tantummodò: atqui fundamentum relationis identitatis inter Petrum & Paulum, eſt rationis ſolùm: ergo &c. Maj. eſt evidens. Prob. min. fundamentum illius relationis eſt unitas ſpecifica, quæ inter Petrum & Paulum invenitur; ut ſuo loco conſtabit: atqui hæc unitas eſt rationis opus; quandoquidem natura ſpecifica ſolo rationis miniſterio una in multis evadit, ut ſuo loco dictum eſt: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. quoad 2. part. ad cujus prob. conceſſa maj. nego min. ad prob. ejus diſtinguo maj. fundamentum illius relatio-

tionis est fundamentalis unitas specifica, quæ &c. concedo : est formalis unitas specifica, quæ &c. nego : quamvis igitur unitas formalis specifica naturæ, verb. grat. humanæ, à solo intellectu efficiatur ; attamen ejus fundamentum, nempè convenientia Petri, Pauli, & aliorum individuorum humanorum in iisdem prædicatis specificis, est à parte rei.

Dices 4. D. Thomas 1. part. quæst. 28. art. 1. dicit, *quòd solùm in his quæ sunt ad aliquid* (id est, in relativis) *inveniuntur aliqua, quæ sunt secundùm rationem tantùm* : ergo ex D. Thoma, relatio est aliquid rationis tantùm.

Respondeo ex Ferrariensi, 4. contra gentes cap. 14. S. Doctorem ibi hoc solum discrimen ponere inter hoc prædicamentum, & cætera prædicamenta, quòd proprium hujus prædicamenti constitutivum importet rationem puri respectus ad terminum, quæ verè convenit relationi rationis, quæ utique est purus ad terminum respectus, verè ac propriè loquendo ; hinc genus formaliter ut genus purè respicit species : at proprium constitutivum prædicamenti substantiæ, nimirum ratio entis per se subsistentis, nulli enti rationis verè & propriè competit, sed duntaxat impropriè & secundùm aliquam similitudinem imperfectam ; & idem dicendum est de constitutivo cujusliber alterius prædicamenti, à prædicamento relationis distincti. Nec tamen relatio rationis dici potest relatio prædicamentalis : quoniam deest ipsi ratio entis simpliciter dicti (quod est solum ens reale) in decem prædicamenta divisi.

§. UNI-

§. UNICUS.

Quotuplex sit relatio prædicamentalis?

PRima relationis divisio generalis est in relationem realem, & relationem rationis. Realis est, qua unum à parte rei ad aliud refertur; cujusmodi est relatio patris ad filium. Relatio rationis est, quæ à ratione, seu ab intellectu, efficitur, quæque à parte rei formaliter non reperitur; ejusmodi est relatio *universalis* ad inferiora. Relatio realis subdividitur in transcendentalem, & in prædicamentalem; de quibus suprà disseruimus.

Tertiò cum Aristotele in hoc cap. dividitur relatio in relationem *secundùm esse*, & in relationem *secundùm dici*. Prior est illa, cujus totum esse est se habere ad terminum. Posterior verò est res absoluta, quæ per ordinem ad aliud dicitur, intelligitur, & significatur. Hanc explicationem insinuat D. Thomas 1. part. quæst. 13. art. 7. ad 1.

Hoc autem discrimen inter relationem *secundùm dici*, & *relationem transcendentalem*, constitui potest, quòd ea tantùm relativa *secundùm dici* possunt appellari, strictè loquendo, quæ absque respectu ad aliud intelligi aut explicari nequeunt; hujusmodi est scientia, quæ sine respectu ad objectum scibile concipi nequit. Quo exemplo utitur ipse Philosophus. Ea autem relativa relatione transcendentali vocantur, quæ simpliciter sine ordine ad aliud possunt intelligi; ut hæc domus: non tamen secundùm quid, & cum aliqua reduplicatione; sic domus ista reduplicativè ut *dextra*, sine respectu ad latus dextrum Petri nequit intelligi & explicari.

Relatio secundùm esse generalissimè sumpta eas omnes relationes complectitur, quæ sunt puri ad terminos respectus; quorum proinde totum esse

esse est ad terminos se habere. Strictiùs verò accepta, solas relationes prædicamentales comprehendit; ut satis indicat Philosophus cap. citato in secunda definitione.

Quarta relationis divisio est in mutuam, & non mutuam. Prior est, quando in ambobus extremis reperitur relatio, qua se vicissim respiciunt; sic inter Patrem & Filium mutua est relatio. Posterior autem est, quando in uno solùm extremo invenitur ad alterum relatio; hoc modo creaturæ ad Deum Creatorem referuntur; Deus quippe Creator ad Creaturas prædicamentaliter non correfertur; ut docent communiter Theologi & Philosophi.

Quinta divisio est in relata *æquiparantiæ*, & in relata *disquiparantiæ*. Priora sunt ejusdem denominationis, sive ejusdem nominis; hujusmodi sunt *simile*, & *simile*; *æquale*, & *æquale*. Posteriora verò sunt, quæ diversas habent denominationes, seu quæ diversis nominibus exprimuntur; ut *Pater*, & *Filius*, *Dominus*, & *Servus*, &c.

Hæc subdividuntur in relata *majoris comparationis* (seu *præcedentiæ* & *superimpositionis*) & in relata *minoris comparationis*. Illa sunt, quæ majorem habent dignitatem respectu correlatorum; ut sunt Pater respectu Filii, & Dominus respectu Servi: etenim Pater comparatus Filio, ei superimponitur, ipsumque dignitate præcedit: & idem de Domino respectu Servi dicendum est.

Alia verò sunt, quæ respectu correlatorum minorem dignitatem obtinent: ut Filius respectu Patris, & Servus respectu Domini.

Præterea relationem dividit Scotus, in *intrinsecùs advenientem*, & in *advenientem extrinsecùs*. Prima, ex mente Scoti, est, quæ statim, positis fundamento, ratione fundandi, & termino, necessariò consurgit, absque aliqua actione propria ad ipsam terminata; sic v. g. positis patre, actione generativa, & filio, statim & necessariò resul-

tat

tat *paternitas*, sine actione propria, quæ ad paternitatem immediatè terminetur. Diciturque *intrinsecùs adveniens*, quoniam, inquit Scotus, ab intrinseco consequitur ex termino, fundamento, & ratione fundandi; ipsaque hoc tertium prædicamentum constituit. Relatio autem extrinsecùs adveniens est, quæ positis extremis, non statim resultat, sed opus est novo influxu novaque actione: ejusmodi est unio materiæ cum forma; etenim, apud Scotistas, positis materia, & forma, non consurgit inter eas unio, nisi novus adveniat influxus, quo inter se conjungantur.

Dicitur verò *extrinsecùs adveniens*; quoniam (inquiunt Scotistæ) cùm non sequatur intimè ex fundamento & termino, necesse est, ut aliundè sive extrinsecùs adveniat. Hac tamen relationis divisione, præter Scotistas, alii Philosophi non utuntur. Et meritò; nam relatio *intrinsecùs adveniens*, & relatio *adveniens extrinsecùs*, ab adductis & explicatis relationibus diversæ non sunt; sed relatio *intrinsecùs adveniens*, ad relationem prædicamentalem pertinet; ut patet exemplo *paternitatis*, quæ ex Scotistarum doctrina, est relatio *intrinsecùs adveniens*. Relatio verò *adveniens extrinsecùs*, non est purus ad terminum respectus; ut liquet exemplo unionis materiæ & formæ, quæ non tanquam puri termini, sed sicut causa materialis, & causa formalis, se mutuò respiciunt; supereſt ergo, ut relatio illa sit entitas absoluta, connotans aliquid extrinsecum; cujusmodi sunt entitates materiæ, & formæ, supposita actione unitiva generantis, se se mutuò connotantes; proindèque illa relatio transcendentalis est; ut ex dictis constat.

Quæres, quid sint *relativum*, *subjectum*, *fundamentum*, *terminus*, *correlativum*, & *extrema*?

Respondeo, *Relativum*, esse concretum relationis, sicuti *album* est concretum albedinis. Re-

lati-

lativum autem idem significat, ac habens relationem, seu habens se ad aliud, nempè *ut quod*; adeò ut sit id, quod se habet aut refertur ad terminum: & in hoc sensu intelligenda est relativorum definitio ab Aristotele tradita, qua dicitur, relativa esse *ea, quorum totum esse est ad aliud se habere.*

Subjectum relationis est id, cui relatio inest. Differt verò à relativo sicut paries ab albo: etenim quemadmodùm paries designat subjectum, cui albedo inhæret, album autem aggregatum ex utroque importat; ita in proposito, *subjectum* relationis est id, quod ipsi substernitur; *relativum* verò compositum ex ambobus significat. Duplex autem esse potest relationis subjectum, unum quidem proximum, & immediatum, cui proximè & immediatè relatio inest; & aliud remotum atque mediatum, cui relatio remotè tantùm ac mediante alio inhæret: sic relatio similitudinis unius parietis albi ad alium parietem album, proximè ac immediatè inest albedini; remotè verò atque mediatè, seu mediante albedine, quantitati vel etiam substantiæ parietis inhæret.

Fundamentum relationis est causa, seu ratio, ob quam subjectum ad terminum refertur. Distingui autem potest duplex fundamentum, videlicet unum *ut quod*, & alterum *ut quo*. Primum est *id*, quod *fundat* relationem ad terminum. Secundum est *ratio illa*, qua relatio fundatur. Sic, v.g. duplex albedo in duobus parietibus existens est fundamentum *quod* relationis mutuæ similitudinis inter illos parietes albos: ejusmodi autem parietum convenientia in albedine est fundamentum *quo* ejusdem relationis.

Omnes autem fundandi rationes ad tria capita apud Aristotelem 5. Metaph. cap. 15. reducuntur; nimirum ad *unitatem*, & *numerum*; *actionem*, & *passionem*; nec non *mensuram*, & *mensurabile*. *Unitas* hic, & *numerus*, significant convenientiam & disconvenientiam. Possunt autem aliqua con-

convenire, vel disconvenire, in primis in substantia, seu in natura substantiali; & tunc consurgit relatio *identitatis*, vel *diversitatis*: sic, v. gr. quia Petrus, & Paulus, in natura substantiali specifica conveniunt, idcircò inter eos resultat relatio identitatis in ejusmodi natura: quoniam verò in natura individuali disconveniunt, hinc emanat inter illos relatio diversitatis in tali natura. Secundò, aliqua convenire, aut disconvenire possunt in quantitate, seu extensione; hincque relatio *æqualitatis* aut *inæqualitatis* oritur: sic inter duas columnas bipedales est æqualitatis relatio, quoniam in extensione conveniunt & adæquantur; columna autem bipedalis, & columna pedalis, referuntur ad se mutuò relatione inæqualitatis, quia in extensione nec conveniunt, nec adæquantur. Tertiò tandem aliqua conveniunt, vel disconveniunt in qualitate; & hinc *similitudinis*, vel *dissimilitudinis* relatio exurgit: sic inter duos parietes albos similitudinis relatio reperitur, eo quòd in qualitate, nimirum in albedine, conveniant; inter parietem autem album, & parietem nigrum, relatio dissimilitudinis occurrit; quandoquidem in qualitate minimè conveniunt; quin potiùs enim in qualitate, nimirum in albedine & nigredine, contrariè opponuntur. Hinc commune est axioma: *Unum in substantia facit idem, unum in quantitate facit æquale, & in qualitate facit simile*.

Actio verò, & passio, fundant relationem agentis ad passum vel effectum, & vicissim passi vel effectus ad ipsum agens: sic, v. g. activa generatio in homine generante fundare dicitur relationem paternitatis ad filium, & reciprocè generatio passiva in filio genito fundat filiationis relationē ad patrem; idcò enim pater ad filium refertur, quia ipsum activè genuit; & econverso, idcircò filius ad patrem refertur, quoniam passivè ab ipso genitus est. Et licèt actio, & passio, formaliter in se ipsis transeant; permanent tamen virtualiter

in

in activa vel passiva potentia ad exercitium reducta; & ita nihil prohibet, ne hoc secundo modo acceptæ permanentem relationem fundare possint.

Demùm ratio *mensurabilis* fundat in re, quæ mensuratur, relationem ad propriam mensuram. Ubi advertendum est, duplicem esse mensuram. Alia enim est mensura quantitatis molis, & alia est mensura perfectionis. Prior est, qua quantitatem molis, id est, extensionem, sive magnitudinem aut parvitatem corporis dignoscimus; & de hac non est sermo. Posterior verò est, qua cognoscimus, quanta sit perfectio rei; & de ipsa hic loquimur. Quia ergo formale objectum cujuslibet potentiæ, habitus, & actus, est mensura perfectionis ejus, adeò ut tantò sit perfectior potentia, vel habitus, vel actus, quantò præstantius est ejus objectum formale; idcircò omnis potentia, vel habitus, vel actus, ad suum formale objectum, importat relationem prædicamentalem *mensurabilis* ad mensuram, si aliunde adsint omnes conditiones ad relationem prædicamentalem requisitæ.

Hinc apud Philosophos distinguuntur tria relationum genera. Primum complectitur relationes in unitate fundatas; sicut & illas, quæ in numero fundantur. Secundum genus comprehendit relationes, quarum fundamenta sunt actio & passio. Tertium tandem genus eas relationes capit, quibus mensurabilia ad mensuras referuntur.

Relationes primi & secundi generis, sunt mutuæ; adeò ut earum extrema ad se mutuò referantur, quando sunt ejusdem ordinis; v.g. Petrus & Paulus in natura specifica convenientes, duæ columnæ bipedales, duo parietes albi, nec non pater & filius, ad se reciprocè referuntur. Relatio autem tertii generis, nempè *mensurabilis* ad mensuram, non est mutua aut reciproca, quoniam mensurabile per mensuram quidem men-

menſuratur, ſive in ſua perfectione regulatur, ſed non viciſſim; hinc habitus ſcientificus relatione reali prædicamentali ad objectum quidem ſcibile refertur, non tamen reciprocè objectum ſcibile ad ſcientiam refertur.

Terminus relationis eſt id, ad quod relatio formaliter terminatur: hoc modo filius eſt terminus relationis patris. *Correlativum* dicitur ipſe terminus viciſſim relatus ad id, cujus ordinem terminat; talis eſt filius reſpectu patris. Demùm relationis *extrema* ſunt id, quod refertur, & id quod relationem terminat; his enim duobus, velut extremis, clauditur relatio, adeò ut ultrà ſe non extendat.

Quæres rurſus, quæ ſint conditiones ad relationem prædicamentalem requiſitæ?

Reſpondet D. Thomas Opuſc. 48. quatuor requiri conditiones. Primò enim opus eſt ſubjecto reali; accidens etenim reale (qualis eſt relatio prædicamentalis, ut ex dictis liquet) reale ſubjectum, cui inhæreat, petit. Secundò neceſſe eſt, ut fundamentum ſit reale; nam eo ipſo, quòd prædicamentalis relatio realis eſt, realem exigit cauſam; cauſa verò, ex qua immediatè reſultat relatio prædicamentalis, eſt ipſius fundamentum. Tertiò, terminus debet eſſe realis realiterque exiſtens; ſiquidem cùm totum eſſe relationis prædicamentalis ſit ad terminum ſe habere, ſi tollatur terminus, & realiter ampliùs non exiſtat, pereat relatio prædicamentalis neceſſe eſt.

Quarta tandem conditio eſt, ut fundamentum relationis prædicamentalis realiter à termino diſtinguatur, adeò ut fundamentum, & terminus, nunquam ſint idem realiter; alioquin idem fundaret relationem realem prædicamentalem ad ſe ipſum; quod manifeſtè repugnat. Addi poſſet quinta conditio, nempè, quòd ſubjectum, & terminus relationis realis prædicamentalis, realiter diſtinguantur. Ratio eſt; quia ſubjectum, *ut quod*, realiter relertum ad terminum,

num, ipsique relativè realiter opponitur: nequit autem idem realiter, ut *quod*, referri ad se ipsum, sibique realiter opponi relativè.

Articulus Secundus.

Quomodo relatio à fundamento distinguatur?

SUppono, fundamentum relationis prædicamentalis esse duplex. Aliud quippe est formale & proximum, & alterum materiale & remotum. Primum est illud, in quo prædicamentalis relatio proximè aut immediatè fundatur. Secundum est subjectum, in quo est formale & proximum fundamentum: sic, v. g. fundamentum *formale ac* proximum relationis similitudinis unius parietis albi ad alium parietem album, est albedo, ex qua relatio illa immediatè resultat; materiale verò atque remotum ejusdem relationis fundamentum, est parietis substantia, in qua albedo existit. De materiali ac remoto relationis prædicamentalis fundamento hic non est sermo, sed de solo fundamento formali & proximo tota controversia est.

§. I.

Sententiæ referuntur.

PRima sententia tenet, relationem prædicamentalem sola ratione ratiocinata esse à proximo fundamento distinctam. Ita Durandus, Ocham, Major, Marsilius, aliique Nominales; eamque defendunt Suarez, Coninch, Hurtado, Pereyra, Gregorius Arimin. aliique non pauci. Pro qua sententia citantur ex Thomistis, Herveus, Silvester, Soncinas, Javellus, Zumel, & alii; eamque ut probabilem defendit Dominic. Linze 2. p. Phil. ration. lib. 3. q. 4. a. 4.

Secunda sententia docet, omnem relationem

communiter Tho-
non eodem modo se explicent. Ali-
Qui enim existimant, fundamentum, & relatio-
nem prædicamentalem, distingui à parte rei, si-
cuti rem & modum; ita Bannez, Aravius, So-
to, & alii. Attamen Capreolus, Cajetanus,
Ferrarienſis, Sanchez, Complutenſes, & fre-
quentiùs Thomistæ asserunt, proximum funda-
mentum, & relationem prædicamentalem, di-
stingui realiter entitativè, adeò ut sint duæ
res, diversas habentes essentias aut entitates
completas, quibus diversæ existentiæ correſ-
pondent. Scotus verò ibi distinctionem for-
malem ex natura rei ponit.

Dico 1. relatio prædicamentalis realiter à fun-
damento proximo distinguitur.

Prob. 1. ex D. Thom. in primis. Doctor Sanct.
in 1. sent. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 3. sic ait: *Relatio-
nes* (scilicet divinæ) *non differunt ab essentia
realiter, sed tantùm ratione, ut dictum est; &
ideò non sequitur ibi compositio: quod in aliis esse
nõ potest: quia nulla relatio est substantia secundum
rem in creaturis, &c.* Unde cùm particula, *nul-
la*, sit universalis, loquitur S. Doctor univer-
saliter de omni relatione creata.

Per quod excluditur responsio quorumdam di-
centium, D. Thomam non loqui generaliter de
omni relatione creata, sed dumtaxat de rela-
tione in accidente fundata.

Censet igitur Angelicus Doctor, omnem rela-
tionem creatam distingui secundùm rem, seu
realiter, à substantia. Unde cùm substantia crea-
ta sit interdum relationis prædicamentalis proxi-
mum fundamentum; ut ex dictis constat, & am-
plius constabit ex infrà dicendis: sequitur, relatio-
nem prædicamentalem, aliquando saltem, realiter
à fundamento proximo distingui. Eodem modo
loquitur D. Tho. ibidem dist. 33. q. 1. a 1. nec non
qu. 8. de pot. art. 2. ad 1. Rursus similia habet

ver-

verba in 1. sent. dist. 21. q. 1. a. 2. circa medium.

Denique 1. p. q. 28. a. 2. ad 1. sic ait: *In rebus creatis, in illo quod dicitur relativè, non solùm est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum; ita & in Deo: sed tamen aliter, & aliter; nam id, quod invenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res.*

Quibus verbis insinuat Angelicus Doctor, relativum, seu quod ad aliud refertur, duo importare in creatura; videlicet respectum ad terminum, & aliquid absolutum, ex quo, tamquam ex fundamento, respectus ille resultat; itque, hujusmodi respectum (qui est ipsa ratio prædicamentalis) esse aliam rem, seu ter distingui ab illo absoluto.

Respondebis, D. Thomam velle tantùm, relationem distingui realiter à subjecto, non tamen à fundamento. Sed contrà sic argumentor: accidens inhærens distinguitur realiter ab eo, cui idem enim sibi inhærere nequit: atqui D. Thoma, relatio prædicamentalis inhæret fundamento: ergo &c. Min. colligitur ex D. Thomæ, tenim S. Doctor q. 19. de potent. ad 7. arguit, *respicit fundamentum tamquam tamquam id, in quo inhæret.* Et argum. sed contrà, & in corp. ait, *esse accidens inhærens.*

Phys. Lect. 1. *Relatio æqualitatis habet esse à quantitate* (quæ est proximum fundamentum) *tamquam ex radice*, videlicet realiter resultat, & à qua ter distinguitur.

Fundamentum proximum relationis sæpè est proximum ejus subjectum prædicamentalis relatio realiter à fundamentum, realiter quoque à fundamento, nunc distinguatur necesse est. relationis identitatis, vel di-

id, cui proximè effectum suum formalem præbet; relatio autem identitatis aut diversitatis præbet effectum suum formalem proximo fundamento: nam natura specifica Petri, v. g. quæ est proximum fundamentum relationis identitatis ipsius ad Paulum, est specificè *eadem* cum specifica Pauli natura; item individualis natura ejusdem Petri, quæ relationem diversitatis ejus ad Paulum immediatè fundat, individualiter ab individua Pauli natura *diversa* est. Proximum etiam relationis æqualitatis aut inæqualitatis fundamentum est *æquale*, aut *inæquale*, & proximum fundamentum relationis similitudinis, vel dissimilitudinis, est *simile*, vel *dissimile*.

Denique licèt proximum relationis prædicamentalis fundamentum non sit semper subjectum *quod* illam recipit, semper tamen est ejus subjectum *quo*, sive id, quo in subjecto recipitur; id autem, quo forma recipitur in subjecto, realiter à forma ipsa distinguitur; ut consideranti patebit.

Prob. 2. exemplo relationis identitatis mutuæ, qua Petrus & Paulus, prout in eadem natura specifica conveniunt, ad invicem prædicamentaliter referuntur. Etenim substantia & accidens realiter differunt; siquidem cùm idem nequeat inhærere sibi ipsi; quod inhæret, realiter distinguitur ab eo, cui inhæret; accidens verò inhæret substantiæ, ut docent omnes: atqui proximum illius relationis fundamentum est substantia; est quippe humana natura specifica, in qua Petrus & Paulus identitatem aut convenientiam specificam obtinent: prædicamentalis autem relatio identitatis est accidens, cùm pertineat ad hoc prædicamentum, quod accidentale est, seu accidens, utpote à prædicamento substantiæ diversum: ergo &c.

Respondent adversarii, concedendo, accidens physicum, quod inhæret, distingui quidem realiter à substantia; non tamen accidens logicum;

quod

quod dicitur id omne, quod non est de essentia aut quidditate rei; quidquid tandem illud sit. Relatio verò prædicamentalis, est accidens logicum duntaxat.

Sed contrà in primis arguitur ex D. Thoma: nam S. Doctor in 1. Sent. dist. 33. qu. 1. art. 1. loquens de relationibus creatis & prædicamentalibus, prout à divinis discrepant, sic ait: *In aliis autem realibus relationibus in creaturis existentibus, est aliud esse relationis, & substantiæ, quæ refertur; & ideò dicuntur inesse: & secundùm quod insunt, compositionem faciunt accidentis ad subjectum: quod non convenit divinis relationibus; ut dictum est.*

Quibus verbis expressè asserit, reales relationes prædicamentales; in creaturis existentes, esse accidentia, quæ insunt, seu inhærent subjecto; quæ proinde sunt physica.

Et qu. 3. de potent. art. 3. ad 3. loquens de prædicamentali relatione creaturæ ad creatorem, hæc scribit: *Illa relatio accidens est; & secundùm esse suum considerata, prout inhæret subjecto, posterior est, quàm res creata, sicut accidens subjecto &c.* Idem habet qu. 9. de potent. art. 9. ad 7. & quolib. 7. art. 10. ad 4. & alibi sæpè.

Deinde: Accidens physicum est accidens inhærens subjecto; ut ex dictis liquet: atqui relatio prædicamentalis est accidens inhærens: ergo &c. Prob. min. ex doctrina apud Peripateticos communi; ens reale dividitur in ens per se subsistens, & in ens inhærens: primum constituit substantiæ prædicamentum; alterum autem in alia novem prædicamenta, nempè in prædicamenta quantitatis, relationis, qualitatis, &c. subdividitur: ergo quantitas, relatio prædicamentalis, qualitas, &c. sunt accidentia inhærentia.

§. II.

Eadem conclusio aliis rationibus suadetur.

PRob. 3. ea realiter distinguuntur, quorum unum realiter non est aliud; ut patet: atqui proximum relationis prædicamentalis fundamentum non est realiter ipsa relatio prædicamentalis: ergo &c. Prob. min. quod realiter est absolutum, non est realiter prædicamentalis relatio; *absolutum* enim, & *relatio*, valdè diversa sunt: atqui proximum fundamentum relationis prædicamentalis est realiter absolutum: ergo &c. Prob. min. etenim fundamentum proximum mutuæ relationis æqualitatis inter duas columnas palmares consistit in quantitatibus illarum columnarum, prout inter se conveniunt, & se se mutuò adæquant; ut ex dictis liquet: quantitas verò realiter, imò & essentialiter est aliquid absolutum, utpote essentialiter positum in prædicamento absoluto, seu à prædicamento relationis diverso. Huic argumento duplicem adhibent solutionem adversarii.

Respondent 1. Mendosa, Arriaga, & Oviedo, quantitates duarum columnarum palmarium divisim sumptas esse quidem absolutas; asserunt tamen, illas conjunctim acceptas, esse mutuam inter illas duas columnas relationem æqualitatis, adeò ut ista relatio ex illis duabus quantitatibus conjunctim sumptis ex æquo & formaliter componatur.

Sed contrà in primis sic argumentor: quæ sunt essentialiter talia, & in tali prædicamento posita, sunt semper talia, & in tali prædicamento semper collocata: sic, v.g. quia duo homines sunt essentialiter & substantiales, & in prædicamento substantiæ constituti, quovis modo sumantur, sive divisim, sive conjunctim, semper sunt substantiales, & in prædicamento sub-

ſubſtantiæ remanentes : ſi ergo duarum columnarum palmarium quantitates eſſentialiter ſunt abſolutæ, & in abſoluto quantitatis prædicamento collocatæ; ſemper ſunt abſolutæ, & in abſoluto prædicamento quantitatis poſitæ; ſive diviſim, ſive conjunctim accipiantur; neque umquam dici poſſunt formaliter prædicamentalis relatio, directè in prædicamento relationis conſtituta.

Deinde, quantitates duarum columnarum palmarium non minùs ſunt completæ, quàm earum ſubſtantiæ: ſicut ergo iſtæ ſubſtantiæ, quoniam ſunt completæ, nequeunt conjunctim ſumptæ unum per ſe conſtituere : ita etiam quantitates illæ conjunctim acceptæ, unum per ſe (cujuſmodi eſt prædicamentalis relatio) non poſſunt componere.

Reſpondent 2. Ægidius, Suarez, & alii, mutuam æqualitatis relationem inter duas columnas palmares eſſe ambas earum quantitates, ut ſe ſe mutuò connotantes; adeò ut relatio unius columnæ ad alteram importet in recto quantitatem columnæ, quæ refertur; & in obliquo ac de connotato quantitatem alterius columnæ, ad quam refertur; abſque ulla entitate reali adveniente columnæ, quæ ab ejus quantitate realiter diſtinguatur.

Sed contra ex eo arguitur, quòd juxta hanc doctrinam & reſponſionem, prædicamentalis relatio æqualitatis nihil eſt aliud, quàm una quantitas, ut connotans alteram quantitatem extrinſecam ipſi adæquatam; & generaliter loquendo, omnis relatio prædicamentalis adæquatè conſiſtit in entitate abſoluta aliquid extrinſecum connotante: ſicque prædicamentalis relatio non differt à relatione tranſcendentali, quę eſt entitas abſoluta, ut connotans aliquid extrinſecum; ſicuti ex dictis liquet: relationem verò prædicamentalem, & relationem tranſcendentalẽ, ab invicem diſcrepare, apud Peripateticos certum eſt.

Præterea, relatio prædicamentalis ab omni-

bus definitur: *Id cujus totum esse est ad aliud se habere:* id est, purus ad terminum respectus, propriè & simpliciter loquendo: una autem entitas absoluta, sive conjunctim sumatur cum altera, sive accipiatur, prout alteram connotat, non est purus ad terminum respectus propriè ac simpliciter, sed impropriè tantùm ac secundùm quid; propriè verò atque simpliciter est entitas in se absoluta.

Prob. 4. ea realiter distinguuntur, quorum unum potest realiter ab alio separari; idem etenim realiter à se ipso separari nequit: atqui proximum relationis prædicamentalis fundamentum potest realiter ab ipsa separari: ergo &c. Prob. min. tunc unum realiter ab alio separatur, quando realiter sine illo permanet; ut patet: atqui proximum fundamentum relationis prædicamentalis sine illa realiter permanere potest: ergo &c. Prob. min. exemplo duorum parietum alborum, qui mutua relatione similitudinis ad invicem referuntur; si enim unus ex eis esse albus desinat, & fiat niger, in isto pariete cessat relatio similitudinis ad parietem album, & succedit dissimilitudinis relatio; & in altero pariete albo, utpote dissimili nigro parieti, vicissim desinit relatio similitudinis ad parietem nigrum; & tamen in pariete albo permanet totum fundamentum proximum relationis similitudinis, quod anteà erat, nempè tota albedo.

Respondent 1. aliqui, distinguendo maj. concedunt namque, ea realiter distingui, quorum unum potest realiter ab alio reciprocè separari, adeò ut unum sine altero realiter manere possit, & vicissim istud sine alio: negant verò, ea distingui realiter, quorum unum potest realiter ab alio separari, non tamen reciprocè, ita ut unum quidem permanere possit sine altero, non tamen istud sine illo; licèt autem proximum relationis prædicamentalis fundamẽtum possit realiter esse sine ipsa, attamen prædicamentalis relatio, ob

im-

imperfectionem ſuam, abſque ſuo fundamento proximo eſſe nequaquam poteſt.

Sed contrà in primis ex eo arguitur, quòd Deus, & creatura, realiter diſtinguuntur, ut evidens eſt: & tamen nequeunt reciprocè ſeparari; licèt enim Deus ſine creatura realiter manere poſſit, non tamen reciprocè creatura abſque Deo.

Deinde in creatis, cauſa efficiens libera, & effectus, quem realiter producit, realiter differunt; & tamen quantùm ad ſui poſitionem in rerum natura, non ſunt reciprocè ſeparabiles; eo enim ipſo, quòd cauſa illa realiter in effectum influit, realiter ab ipſo diſtinguitur: ut patet: quamvis verò cauſa efficiens libera ſine effectu poni poſſit in rerum natura, attamen effectus liber in rerum natura abſque cauſa efficienti libera, aut ſine ejus influxu, poni reciprocè nequit; ac proinde quoad ſui poſitionem in rerum natura non ſunt reciprocè ſeparabiles.

Reſpondent 2. alii, alio modo diſtinguendo ma. & concedunt, ea realiter diſtingui, quorum unum poteſt realiter ab alio intrinſecè ſeparari, adeò ut unum poſſit ſine alio intrinſecè ſumpto permanere; id autem negant, ſi unum poſſit realiter ab alio extrinſecè ſolùm ſeparari: proximum verò relationis prædicamentalis fundamentalis poteſt quidem extrinſecè ab ipſa realiter ſeparari, quatenus poteſt extrinſecum ejus terminum realiter non connotare; attamen realiter ab ea intrinſecè ſeparari nequit, quaſi poſſit ſine intrinſeca illius entitate realiter permanere.

Sed contrà ex eo arguitur, quòd hæc reſponſio ſupponat doctrinam ſuperiùs impugnatam, qua aſſeritur, relationem prædicamentalem nihil aliud eſſe, quàm proximum ejus fundamentum, de ſe abſolutum, prout extrinſecum connotat terminum: id quippe ſuprà impugnatum eſt.

Dico 2. proximum relationis prædicamentalis fundamentum, & ipſa prædicamentalis

relatio, propriè loquendo, non distinguuntur, sicut res, & modus; sed sicut duæ res completæ diversas habentes essentias, quibus diversæ existentiæ correspondent.

Ratio est, quia si proximum fundamentum relationis prædicamentalis, & ipsa relatio, differrent, sicut res, & modus, propriè loquendo; relatio prædicamentalis propriè esset modus: ut patet: hoc verò dici nequit; etenim quælibet relatio prædicamentalis directè in hoc prædicamento ponitur; ut evidens est: modus verò propriè dictus, cùm sit aliquid valdè incompletum, apud Peripateticos, directè in nullo ponitur prædicamento.

Itaque, si propriè loqui velimus, fundamentum proximum relationis prædicamentalis, & ejusmodi relatio, sicuti res & modus nequaquam distinguuntur; sed, quia sunt res directè prædicamentales, idcircò sunt propriè & simpliciter res aut entitates completæ, proprias essentias, propriasque existentias habentes; & ut ejusmodi distinguuntur.

Cæterùm, quoniam relatio prædicamentalis est purus ad terminum respectus; ideò si comparetur cum absoluta, vel substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, entitate, in qua proximè fundatur, videtur ens debilissimum; ut ait D. Thom. Opusc. 48. Tract. de relat. unde prædicamentalis relatio sic spectata, non immeritò dici potest *modus*, licèt impropriè & secundùm quid. Hinc S. Doctor Opusc. citato Tract. 5. cap. 2. asserit, relationem similitudinis unius extremi albi ad aliud extremum album, non esse aliam rem ab albedine, quæ est proximum ejus fundamentum. In eodem sensu exponendi sunt aliqui Thomistæ, dicentes, fundamentum proximum relationis prædicamentalis, & relationem ipsam, distingui sicut rem, & modum.

§. III.

§. III.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. Si prædicamentalis relatio foret res ante omnem intellectus operationem à fundamento proximo distincta, ipsa per se posset motum seu actionem productivam terminare: atqui hoc dici nequit; hoc quippe est contra Aristotelem 5. Phys. cap. 2. textu 10. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si prædicamentalis relatio foret res primaria ante omnem &c. cō-cedo: si foret res solùm secundaria, nego: eo enim ipso, quòd relatio prædicamentalis est res secundaria duntaxat, nequit actionem productivam terminare, nisi secundariò & per accidens, seu ratione alterius, quod per se, seu ratione sui, atque primariò, actionem illam terminet; nimirum ratione fundamenti, ex quo resultat.

Objic. 2. D. Thomas Opusc. 48. tract. 5. ca. 2. hæc scribit: *Cùm dico, quòd similitudo Sortis habet albedinem ejus ut fundamentum; non est intelligendum, quòd similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte, alia ab ipsa albedine; sed solùm est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum*: ubi expressè affirmat Angelicus Doctor, relationem similitudinis, quæ est in Sorte albo, ad Platonem album, non esse rem distinctam ab albedine, in qua proximè fundatur.

Respondeo 1. opusculum illud esse dubium; ut demonstrant satis minutiores characteres in editione Romana. Imò D. Antoninus absolutè asserit, ejusmodi opusc. non fuisse à D. Thoma conscriptum.

Respondeo 2. relationem similitudinis non esse rem absolutam, benè tamen rem relativam.

Respondeo 3. similitudinis relationem non esse rem comparativè ad albedinem (ad quam compa-

ratur, ut modus) benè tamen in ſe aut in ſua entitate completa; ſicuti ſuprà expoſitum eſt.

Inſt. D. Thomas Opuſc. citato ſic iterum ait: *Relatio differt à ſuo fundamento, quia præter illud dicit oppoſitum terminum, quem non dicit fundamentum*. Quibus verbis apertiſſimè docet, relationem nihil aliud eſſe, quàm fundamentum, ut connotat terminum.

Reſpondeo 1. ex dictis, Opuſculum illud eſſe dubiæ authoritatis. Reſpondeo 2. D. Thomam ibi non loqui de prædicamentali relatione formaliter in ſe ſumpta; ſed de ipſa fundamentaliter accepta, ſive de fundamento relationis prædicamentalis, reduplicativè, prout ipſam fundat; ita enim ſumptum, præter entitatem ſuam, dicit, ſeu importat terminum de connotato; adeò ut non fundet relationem prædicamentalem, niſi prout connotat terminum, quem ex ſua entitate, aut ex ſua natura entitativa, non importat.

Inſt. rurſus: D. Thomas quæſt. 7. de pot. art. 8. hæc habet: *Relatio non facit compoſitionem cum ſubjecto, eo quòd relatio fit ſine mutatione; quod non eſſet, ſi relatio ſignificaret aliquid in ſubjecto manens*. Ex quibus verbis dupliciter argui poteſt.

Primò ſic: ſi relatio diſtingueretur realiter à ſubjecto, in quo fundatur; ipſi adveniendo, compoſitionem cum illo faceret, ut patet: atqui hoc eſt contra D. Thom. citatum: ergo &c.

Reſpondeo ad 1. argumentum ex D. Thoma deſumptum, diſtinguendo ma. ſi relatio &c. compoſitionem modo relativo cum illo faceret, concedo: modo abſoluto compoſitionem cum illo faceret, nego; & diſtincta ſimiliter min. nego conſeq. Itaque D. Thomas loco citato vult tãtùm, quòd relatio prædicamentalis cum ſubjecto non efficiat compoſitionem, ad modum formæ in ipſo manentis, id eſt, ad modum formæ abſolutæ, ipſum in ſe afficientis; licèt cum

eò realem faciat compositionem ad modum formæ accidentalis ipsum ad terminum referentis: neque hoc umquam negavit D. Thomas.

Secundò ex iisdem D. Thomæ verbis hoc modo argui potest: si relatio à subjecto, quod est proximum ejus fundamentum, realiter distingueretur; sequeretur, subjectum illud mutari; dum relatio illi advenit; etenim dum forma realiter à subjecto distincta, ei advenit, ipsum subjectum realiter mutetur, per ejusmodi formæ adventum, necesse est; adeò ut tunc necessariò in *secundo* modo se habeat, quàm anteà: atqui subjectum non mutatur, cùm relatio ipsi advenit; ut docet D. Thomas loco citato, post Aristotelem 5. Phys. cap. 2. textu 10. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si relatio &c. sequeretur, subjectum illud mutari relativè, dum relatio &c. concedo: sequeretur, subjectum illud mutari absolutè, nego. Quando autem Arist. & D. Thomas dicunt, relationem advenire subjecto, absque ipsius mutatione; hoc intelligendum venit de mutatione absoluta, non verò de mutatione relativa; etenim subjectum tunc absolutè quidem, & ad se, non mutatur; mutatur tamen reipsa relativè ad terminum, ita ut per respectum ad terminum realiter alio modo se habeat in se, quàm anteà.

Eodem modo exponendus est Angelicus i Doctor, cùm Opusc. superiùs citato ait, similitudinem, seu relationem similitudinis supra albedinem, in qua fundatur, non addere aliquam rem; & posse aliquem fieri similem alteri, absque sui mutatione. Dicendum enim est, similitudinem, aut similitudinis relationem, supra albedinem non addere aliquam rem absolutam, benè tamen aliquam rem relativam, qua una albedo ad aliam albedinem formaliter refertur. Aliquis etiam fieri potest formaliter alteri similis absque mutatione absoluta, non tamen sine mutatione relativa.

Inst.

Inst. D. Thomas 5. Physic. text. 1. Lect. 3. sic ait: *Nihil advenit mihi de novo per hoc, quòd incipio esse alteri æqualis, per ejus mutationem.* Quod repetit alibi sæpè.

Respondeo 1. cum distinctione ista: nihil advenit mihi de novo per actionem propriè dictam, directè ad relationem æqualitatis terminatam, concedo: nihil advenit per resultantiam relationis ex fundamento, nego.

Respondeo 2. cum alia distinctione: nihil advenit absolutum, concedo: nihil advenit relativum, nego.

Respondeo 3. rursus distinguendo: nihil advenit mihi de novo, per hoc, quòd incipio esse alteri æqualis terminativè, id est, per hoc, quòd incipio esse terminus æqualitatis alterius, concedo: nihil advenit mihi de novo, per hoc, quòd incipio esse alteri æqualis subjectivè, id est, per hoc, quòd incipio esse subjectum novæ relationis æqualitatis, nego.

Inst. rursus: S. Doctor 3. p. q. 16. art. 6. ad 2. hæc scribit: *Ea, quæ relativè dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo, absque ejus mutatione; sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione, per motum illius, qui fit ei sinister.*

Respondeo D. Thomam ibi non loqui de relatione *secundùm esse*, & prædicamentali; sed de relatione *secundùm dici*, & transcendentali dumtaxat: etenim dum Petrus fit dexter Paulo, per solum Pauli motum localem, quo fit Petro sinister, non exurgit in ipso Petro nova relatio *secundùm esse*, & prædicamentalis ad Paulum; sed tantùm simplex connotatio, qua nempè connotat Paulum ut sinistrum; simplex autem connotatio est tantummodò relatio *secundùm dici*, & transcendentalis; ut alibi explicatum est.

Ex eo verò, quòd aliquid possit relativè de alio prædicari de novo absque ejus mutatione, per solam mutationem alterius; infert ibi S. Doctor, posse de novo prædicari de Deo, *ipsum esse hominem*,

nem, absque ejus mutatione, per solam humanæ naturæ mutationem: quia *esse hominem*, convenit Deo ratione unionis hypostaticæ, quæ est relatio quædam; evidens verò est, unionem hypostaticam divinæ personæ Verbi cum humana natura non esse relationem prædicamentalem, sed transcendentalem dumtaxat, qua divinum Verbum connotat naturam humanam, ut sibi personaliter unitam. Verba D. Thomæ sunt hæc: *Esse autem hominem, convenit Deo ratione unionis, quæ est relatio quædam; & ideò esse hominem prædicatur de novo de Deo, absque ejus mutatione, per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in divinam personam, &c.*

Objic. 2. si relatio foret aliquid realiter à fundamento, & subjecto, distinctum, ipsisque superadditum; nascente musca, orbis totus mutaretur: atqui id planè absurdum est: ergo &c. Prob. sequela ma. nulla enim pars orbis est, quæ novam & sibi superadditam relationem identitatis, aut diversitatis, æqualitatis, aut inæqualitatis, similitudinis, &c. ad muscam illam non importaret: ergo nulla tunc esset orbis pars, quæ, illa nascente musca, non mutaretur.

Respondeo negando sequelam ma. Ad cujus prob. nego ant. neque enim subjecto novæ superadditur relatio prædicamentalis, nisi in eo novum ponatur fundamentum; ex eo autem, quòd musca in orbe nascatur, propterea in singulis partibus orbis novarum relationum prædicamentalium ad muscam in mundo nascentem nova ponuntur fundamenta: unde tunc singulæ orbis partes relationibus, quas anteà habebant, ad muscam illam referuntur, & in sola musca illa novæ exurgunt relationes ad cæteras orbis partes, quoniam ipsa sola per sui generationem, novarum relationum nova accipit fundamenta.

Inst. dum Petrus Romæ existens fit pater,

nascente ei primùm filio in Gallia, nullam de novo acquirit paternitatis relationem realiter à se distinctam: ergo paternitatis relatio, quæ utique prædicamentalis est, realiter à patre non distinguitur. Prob. ant. nulla tunc in Petro assignari potest relationis paternitatis realiter ab illo distinctæ efficiens causa: ergo tunc Petrus nullam de novo acquirit paternitatis &c.

Respondeo negando ant. efficiens autem causa relationis paternitatis realiter à Petro distinctæ, qua ad Paulum filium recens in Gallia natum refertur, est generativa Petri potentia, prout connotat nascentem in Gallia Paulum; ex illa siquidem potentia sic sumpta resultat efficienter præfata paternitatis relatio.

Urgeb. posita efficienti causa, statim effectus ponitur: atqui posita in Petro potentia generativa, non statim ponitur paternitatis relatio; sed tunc solùm, cùm filius nascitur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. posita efficienti causa, cum omnibus ad efficienter causandum conditionibus, statim effectus ponitur, concedo: posita efficienti causa, non tamen positis omnibus ad efficienter causandum conditionibus statim effectus ponitur, nego: ut autem potentia generativa efficienter in paternitatis relationem influat, tamquam conditio requiritur, quòd nascatur filius; adeò ut ex potentia generativa efficienter non resultet paternitatis relatio, nisi prout potentia illa nascentem filium connotat.

§. IV.

§. IV.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBjic. 3. Petrus & Paulus per se ipsos, seu per suas essentias specificas, mutua relatione identitatis, ad se invicem referuntur: ergo in eis *est inutilis* relatio identitatis realiter ab ipsis *distincta*. Prob. ant. ea dicuntur mutuò referri relatione prædicamentali identitatis, quæ *in* substantia aut natura substantiali unum sunt & idem: atqui Petrus & Paulus per suas essentias specificas sunt unum & idem in substantiali natura humana, in qua univocè conveniunt: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. Petrus & Paulus &c. seu per suas essentias specificas, mutua relatione identitatis, realiter ex ejusmodi essentiis resultante, ad se invicem referuntur, concedo: per suas essentias specificas, mutua relatione identitatis realiter ex hujusmodi essentiis non resultante, ad se invicem referuntur, nego ant. & conseq. Etenim, ut Petrus & Paulus mutua relatione identitatis ad se invicem referantur, duo requiruntur. In primis per modum fundamenti requiritur convenientia essentiarum specificarum Petri & Pauli in eadem natura humana specificè sumpta, secundùm quam Petrus & Paulus dicuntur *unum & idem* in specie; præterea opus est, ut ex illa essentiarum Petri & Pauli convenientia aut identitate specifica realiter resultet mutuus respectus purus, quo Petrus & Paulus ad invicem formaliter se se habeant aut referantur; qui quidem respectus est ipsa relatio identitatis realiter ab ipsis essentiis distincta.

Inst. formalis relatio identitatis inter Petrum & Paulum est formalis eorũ identitas in substantiali natura humana; ut patet satis: atqui formalis identitas Petri & Pauli in substantiali natura hu-

humana non est accidens realiter ab ipsis distinctum: ergo &c. Prob. min. formalis identitas Petri & Pauli in substantiali natura humana est eorum convenientia formalis in natura substantiali: atqui accidens realiter à Petro & Paulo distinctum nequit dici formalis ipsorum convenientia in substantiali natura; ut evidens est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. formalis relatio identitatis inter Petrum & Paulum, ex parte fundamenti, est formalis eorum identitas &c. concedo: est ex parte sui, formalis eorum identitas, &c. nego: & concessa minori, neganda est conseq. sub distinctione data. Ad prob. min. concessa ma. distinguo min. atqui accidens realiter à Petro & Paulo distinctum nequit dici, ex parte sui, formalis ipsorum convenientia &c. concedo: nequit dici, ex parte fundamenti, formalis ipsorum convenientia &c. nego; neque enim repugnat, prædicamentalem identitatis Petri & Pauli relationem, quæ est accidens physicum, realiter ab illis distinctum, & in accidentali prædicamento relationis collocatum, habere pro fundamento formalem in substantiali natura humana identitatem seu convenientiam.

Objic. 4. duo parietes albi immediatè per albedinem verè proprièque sunt similes: ergo inutiliter in eis ponitur relatio similitudinis, realiter ab albedine ipsorum distincta. Prob. ant. ex Aristotele 5. Metaph. cap. 15. similia verè ac propriè dicta sunt, quorum qualitas est specificè una; duorum autem parietum alborum qualitas, nempè albedo, est immediatè per se ipsam specificè una.

Respondeo distinguendo ant. duo parietes albi immediatè per albedinem verè proprièque sunt fundamentaliter similes, concedo: sunt formaliter similes, nego ant. & conseq. etenim in ejusmodi parietibus requiritur necessariò simili-

litu-

litudinis relatio, realiter ab albedine distincta, qua formaliter similes constituantur. Ad prob. ant. ex Arist. desumptam, dico, Philosophum loqui de similibus fundamentaliter sumptis, non verò de ipsis formaliter acceptis.

Inst. ea sunt formaliter similia, quæ in eadem qualitate, aut in eodem intensionis gradu, formalem habent unitatem aut convenientiam: atqui duo *parietes* æqualiter albi, immediatè per se *ipsos*, in eadem qualitate, nempè in albedine, & in eodem albedinis aut ejus intensionis gradu, formalem obtinent unitatem aut convenientiam: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ea sunt formaliter similia, formali similitudine realiter resultante, quæ in eadem qualitate &c. concedo: sunt formaliter similia, formali similitudine realiter non resultante, quæ in eadem qualitate &c. nego: & concessa min. nego conseq. sub distinctione data. Itaque, ut duo parietes sint formaliter similes, duo necessaria sunt. Primò enim opus est, ut in eodem qualitatis (v. g. albedinis) gradu, vel saltem in eadem qualitate specifica, (v. g. in eadem albedine) conveniant. Præterea requiritur, ut ex ejusmodi parietum convenientia realiter resultet mutuus respectus purus, quo parietes illi, ut modo dicto convenientes, se invicem respiciant; qui respectus realiter à qualitate absoluta, & à singulis gradibus ejus, distinguatur.

Urgeb. non datur rationale, aliud formaliter, & aliud fundamentaliter, tale: ergo etiam simile, aliud formaliter, & aliud fundamentaliter, tale non datur.

Respondeo 1. negando paritatem: disparitas in hoc consistit, quòd nulla necessitas est distinguendi rationale, aliud formaliter, & aliud fundamentaliter, tale: at simile formaliter à simili fundamentaliter, sive similitudo formalis à similitudine fundamentali, necessariò distinguitur

reali-

realiter; eo quòd formalis similitudo, seu formalis relatio similitudinis est essentialiter purus ad terminum respectus; similitudo autem fundamentalis, seu fundamentum relationis similitudinis, v. g. albedo, est essentialiter aliquid absolutum.

Responderi potest 2. negando ant. etenim substantia animæ rationalis non immeritò dicitur *rationale fundamentale*, seu radicale; quatenus est prima ratiocinandi radix: intellectus verò, *rationale formale*, sive proximum, rectè vocatur; quoniam est proximum ratiocinandi principium.

Dices: unus paries albus non est formaliter similis alteri parieti albo in relatione realiter distincta, sed in albedine: ergo formalis similitudo unius parietis albi ad alterum parietem album, non est relatio realiter distincta ab albedine ipsa.

Respondeo distinguendo ant. unus paries albus non est formaliter similis similitudine convenientiæ, alteri parieti &c. concedo: non est formaliter similis similitudine oppositionis relativæ alteri parieti &c. nego: & distinguo pariter consequens: ergo formalis similitudo convenientiæ unius parietis &c. concedo: ergo formalis similitudo oppositionis relativæ unius parietis &c. nego. Itaque inter duos parietes albos duplex est similitudo; nempè similitudo convenientiæ, secundùm quam duo parietes illi in eadem specificè qualitate, nimirum in albedine, univocè conveniunt; & similitudo mutuæ oppositionis relativæ, secundùm quam ejusmodi parietes, ratione convenientiæ in albedine, se invicem respiciunt, & mutuò sibi relativè opponuntur. Prior similitudo ab albedine non distinguitur; posterior autem similitudo realiter ab albedine distinguatur necesse est. Hæc verò ultima similitudo est ipsa similitudinis mutua relatio.

Ex dictis facilè solvitur illa adversariorum obje-

objectio. Si mutua relatio similitudinis duorum parietum in eodem albedinis gradu convenientium realiter ab albedine distinguerentur, divinitùs posset ab albedine illa separari, & separata existere; quæcumque enim realiter distinguuntur, inquiunt, possiunt divinitùs separari: atqui mutua relatio similitudinis duorum parietum in eodem albedinis gradu convenientium nequit, etiam *divinitùs*, ab eorum albedine separari, & *separata* existere: ergo &c. Min. in primis colligitur ex debilitate entitatis hujusmodi relationis, quæ tanta est, ut sine subjecto, fundamento, & termino, conservari nequaquam possit. Deinde, repugnat planè, duos parietes in eodem albedinis gradus convenire, & tamen non esse formaliter similes, sive ad se mutuò formali relatione similitudinis non referri.

Respondetur negando ma. quando autem ajunt adversarii, quæcumque realiter distinguuntur, posse *divinitùs* separari; hoc verum est, quando unum cum alio non connectitur necessariò & essentialiter; id autem est falsum, quando unum cum alio necessariam & essentialem habet connexionem: quia verò formalis relatio similitudinis unius parietis albi ad alium parietem album, cum quo prior convenit in eodem albedinis gradu, est necessariò & essentialiter purus respectus albedinis prioris parietis ad albedinem alterius parietis, vel ad mutuam similitudinis relationem in ipsa existentem; formalis relatio similitudinis parietis prioris albi, necessariò & essentialiter cum ejus abedine connectitur; unde ab illa separari & separata existere, nec etiam divinitùs potest.

Sed quidquid sit de reali separabilitate formalis relationis similitudinis ab albedine duorum parietum, in eodem albedinis gradu convenientium; dicendum est, quòd si relatio illa separaretur ab eorum albedine, ejusmodi parietes non referrentur ampliùs formaliter, sed fundamentali-

taliter tantùm, quatenus retinerent mutuæ relationis similitudinis fundamentum. Dum autem ajunt adversarii, parietes illos fore formaliter similes; distinguendum est, & concedendum, fore formaliter similes similitudine convenientiæ, non tamen similitudine formalis relationis similitudinis.

Objic. 5. si una albedo, non per se ipsam, sed per similitudinis relationem, realiter superadditam atque distinctam, ad aliam albedinem referretur; deberet quoque una similitudinis relatio ad aliam referri, non per se ipsam, sed per relationem superadditam realiter distinctam: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Min. est manifesta: etenim si una relatio, non per se ipsam, sed per aliam ac distinctam relationem referretur, deberet hæc alia relatio iterum per aliam distinctam referri, & ita in infinitum procedendo; processus verò in infinitum ab omnibus rejicitur. Ma. autem suadetur: Sicut una albedo alteri similis est, ita una similitudinis relatio similis est alteri relationi similitudinis: ergo si una albedo &c.

Respondeo negando ma. ut enim rectè ait D. Thomas 1. p. q. 42. a. 1. ad 4. item q. 35. a. 3. ad 2. & q. 7. de pot. a. 9. ad 2. formalis relatio similitudinis, & quævis alia prædicamentalis relatio, est essentialiter pura relatio, seu purus respectus; & ideò non indiget alia relatione, aut alio respectu, ut referatur vel respiciat: albedo verò est essentialiter aliquid absolutum, quod proinde non per se ipsum, sed per aliud superadditum sibi, & à se distinctum, referri & respicere debet. Ad prob. ma. nego conseq. etenim una albedo ad modum entis essentialiter absoluti, alteri albedini similis est; una autem similitudinis relatio est alteri similis ad modum puræ relationis, purique respectus. Una igitur relatio similitudinis per se ipsam primariò refertur ad aliam similitudinis relationem sibi correspondentem, & secundariò ad

suam

ſuam cauſam, ad ſuum fundamentum, ad ſuum ſubjectum, & ad alia omnia, quæ quovis modo reſpicit.

Inſt. ſi ab uno pariete albo auferatur albedo, & ipſe nigredine afficiatur, adeò ut fiat diſſimilis alteri parieti albo, deſinet reſpectus, quem relatio ſimilitudinis prioris parietis ad alterum parietem importabat; quandoquidem alter paries non erit ampliùs ſimilis, ſed diſſimilis erit: ergo relatio ſimilitudinis prioris parietis anteà reſpiciebat alterum parietem per reſpectum realiter à ſe diſtinctum, utpotè realiter ſeparabilem.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ſi ab uno pariete &c. terminativè deſinet reſpectus, quem &c. quatenùs ejuſmodi reſpectus ſimilitudinis ceſſabit ad parietem diſſimilem terminans, concedo: entitativè deſinet reſpectus, quem &c. id eſt, ſecundùm entitatem ſuam ceſſabit, nego ant. & conſeq. etenim reſpectus ille non habet entitatem realiter diſtinctam ab entitate relationis ſimilitudinis, realiterque ab illa ſeparabilem; ſed eſt realiter eadem entitas utriuſque, quæ per ſe ipſam immediatè ad parietem terminatur, quandiu paries ille permanet albus ſimiliſque; quæque ceſſat immediatè per ſe ipſam ad eundem parietem terminari, ſtatim ac evadit niger, atque diſſimilis.

Dices: non apparet, quomodo in duobus parietibus albis poſſit albedo mutuam ſimilitudinis relationem fundare, ſi realiter & eſſentialiter à relatione illa diſtinguatur: ergo reipſa hoc modo non diſtinguitur. Prob. ant. ſi albedo eſſentialiter à relatione ſimilitudinis diſtinguatur, eſt ei diſſimilis, utpotè diverſæ rationis & eſſentiæ ab illa: ergo ipſam fundare nequit; etenim relatio ſimilitudinis in aliquo diſſimili nequaquam fundari poteſt.

Reſpondeo negando ant. licèt enim mutua albedo exiſtens in duobus parietibus albis dici poſſit impropriè diſſimilis relationi ſimilitudinis,

qua-

quatenus est diversæ rationis & essentiæ ab illa: propriè dicta tamen dissimilitudo inter qualitates diversæ speciei à Peripateticis dumtaxat admittitur; ut autem duæ albedines in duobus parietibus existentes, mutuam similitudinis relationem inter illos parietes fundent, satis est, ut mutuò inter se sint ejusdem speciei, licèt sint diversæ rationis à formali relatione similitudinis.

Objic. 6. Quantitas palmaris, & quantitas bipalmaris, immediatè per se ipsas sunt inæquales: ergo relatio inæqualitatis realiter ab eis minimè distinguitur. Prob. ant. tunc unum alteri inæquale est, quando unum majus est altero, ipsumque superat extensione: atqui quantitas bipalmaris immediatè per se ipsam major est palmari, & eam extensione superat; ut patet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. quantitas palmaris, & quantitas bipalmaris, immediatè per se ipsas fundamentaliter sunt inæquales, concedo: formaliter sunt inæquales, nego ant. & distinguo pariter consequens: ergo relatio inæqualitatis fundamentaliter, seu ex parte fundamenti, realiter ab eis minimè distinguitur, concedo: ergo relatio inæqualitatis formaliter, sive ex parte sui, realiter &c. nego. Ad prob. ant. distinguo ma. tunc unum alteri fundamentaliter inæquale est, quando unum majus est &c. concedo; revera etenim ratio *majoris*, & alterum extensione superantis, est formalis inæqualitatis fundamentum: tunc unum alteri formaliter inæquale est, quando unum majus est &c. nego; prius enim est, quòd unum sit altero majus, ipsumque superet extensione, quàm quòd sit illi formaliter inæquale; hocque secundum ex primo sequitur, adeò ut unum sit formaliter alteri inæquale, quia ipso majus est, & illud extensione superat; sicque ratio *majoris*, & alterum extensione superantis, non est ipsa formalis inæqualitas; sed est ejus causa, radix, & fundamentum;

tum: unde conceſſa min. neganda eſt conſeq.

Inſt. nulla relatio ſuperaddita quantitati bipalmari, conſtituit eam quantitati palmari inæqualem: ergo illa relatio ſuperflua eſt. Prob. ant. quantitas bipalmaris inæqualis eſt palmari, prout eam excedit: atqui bipalmaris quantitas, non per relationem ſuperadditam, ſed per ſe ipſam, ſeu per extenſionem ſuam, ut majorem, quantitatem palmarem excedit; ut patet ſatis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ant. nulla relatio ſuperaddita quantitati bipalmari conſtituit eam fundamentaliter quantitati palmari inæqualem, concedo: conſtituit eam quantitati palmari formaliter inæqualem, nego ant. & conſeq. Ad prob. ant. diſtinguo maj. quantitas bipalmaris fundamentaliter inæqualis eſt palmari, prout &c. concedo: formaliter inæqualis eſt palmari, prout eam excedit, nego; etenim quantitas bipalmaris formaliter inæqualis eſt palmari, non quia eam excedit, ſed quia illam formaliter reſpicit, per modum excedentis; ipſiuſque inæqualitas formalis conſiſtit in puro reſpectu, qui in ejus exceſſu fundatur.

Articulus Tertius.

Quis ſit relationis terminus?

Relatio in mutuam, & non mutuam, ſolet dividi. Prior eſt, cui ex parte alterius extremi correſpondet altera relatio: hoc modo paternitati, ex parte filii, reſpondet filiatio. Poſterior autem eſt, quando in uno ſolùm extremo invenitur relatio: ſic creaturæ ad Deum creatorem referuntur, qui prædicamentaliter ad creaturas non correfertur. Quæritur ergo, quis ſit utriuſque relationis terminus?

Ad cujus intelligentiam advertendum eſt, du-

plicem esse relationis terminum. Alius enim est terminus formalis, qui nempè formaliter, & ratione sui, immediatè relationem terminat: alius est terminus materialis, sive radicalis, qui nimirum est radix rationis formalis relationem terminantis, quæ in termino illo, velut in radice & materia, seu subjecto proximo ac immediato, reperitur. Est igitur difficultas, quis sit terminus formalis relationis, tam mutuæ, quàm non mutuæ? seu quænam sit formalis ratio eam terminandi?

§. I.

Sententiæ referuntur, & quæ vera sit, declaratur.

PRima sententia affirmat, omnem relationem prædicamentalem, sive mutuam, sive non mutuam, ad aliquid absolutum formaliter terminari. Ita docent Scotus in 1. dist. 30. quæst. 1. & ejus Discipuli, quos sequuntur Vasquez, Suarez, & plures alii Recentiores; imò Complutenses testantur, ex Thomistis, Capreolum, Soncinatem, & Sotum, in eamdem sententiam inclinare.

Secunda sententia, præcedenti extremè opposita, asserit, omnem prorsus relationem prædicamentalem terminari formaliter ad relativum. Sic docent Cajetanus, Bannez, Nazarius, Zumel, Flandria, Sanchez, Aravius, Complutenses, Lerma, & alii multi Thomistæ; licèt non eodem modo se explicent.

Tertia sententia asseverat, relationem mutuam forn aliter quidē ad relativum terminari; sed tenet, relationis non mutuæ terminum formalem esse aliquid absolutum. Ita docent Ferrariensis, Masius, Navarret. Joannes à S. Thoma, & alii plures Thomistæ; quos sequuntur Valentia, Arriaga, Rubius, & alii plures Recentiores.

Dico

Dico 1. Relatio mutua ad relativum formaliter terminatur.

Prob. 1. ex Aristotele, qui in hoc cap. sic ait: *Si servus ad hominem dicitur, circumscriptis omnibus aliis, quæ accidunt Domino ut esse bipedem; relicto tantummodò, esse Dominum, semper servus ad ipsum referetur.* Et paulò post: *Circumscribatur*, inquit, *ab homine, eum esse Dominum; servus non ampliùs referetur ad hominem; quia nisi sit Dominus, non est servus.* Quibus verbis apertè declarat, servum formaliter ut servum, se habere, seu terminari ad Dominum, formaliter ut Dominum: ac proinde censet, rationem, seu relationem *Domini*, esse terminum formalem relationis servitutis, quæ utique cum relatione dominii mutua est.

Prob. 2. ex D. Thoma 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. ubi loquens de relatione mutua, hæc scribit: *Cùm dicitur, quòd relativi esse est ad aliud se habere: per ly aliud, intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura.* Quibus verbis clarè docet, relativum mutuum, formaliter & per se primò, se habere aut terminari ad alterum extremum, formaliter & reduplicativè, prout est correlativum, seu prout importat reciprocam relationem; quæ proinde alterius relationis mutuæ terminus formalis est.

Et 2. contra Gent. cap. 11. sic iterum ait: *Non intelligitur, unum dici relativè ad aliud, nisi illud aliud dicatur relativè ad ipsum.* Quibus insinuat, duo relativa mutua, reduplicativè ut talia, formaliter ad invicem & referri, & terminari.

Prob. 3. paternitas est relatio ad filiationem mutua: atqui paternitas ad relativum formaliter terminatur: ergo &c. Prob. min. cùm paternitas constituat patrem, formaliter ut patrem; est idem formalis terminus paternitatis, & patris considerati formaliter ut patris: atqui formalis terminus patris, formaliter ut patris, est aliquid relativum: ergo &c. Prob. min. terminus formalis

patris, ut patris, est filius, ut filius; quandoquidem pater, ut pater, formaliter & per se primò se habet ad filium, ut filium: atqui filius, ut filius, est aliquid relativum; cùm ut talis filiationem, quæ relatio est, exprimat: ergo &c.

Sanè, sicut color est formalis terminus *visionis*; quoniam *videns* percipit parietem ratione coloris: ita filiatio sit formalis terminus *paternitatis* necesse est, quia *pater* ratione filiationis, ad personam genitam terminatur.

Prob. 4. una oppositio relativa mutua, formaliter ad relationem oppositam terminatur; atqui una relatio mutua, est una oppositio relativa: ergo &c. Min. videtur certa; sicut enim oppositio contraria propriè dicta invenitur dumtaxat inter duas qualitates, quæ *contrariæ* vocantur; sic etiam oppositio relativa, propriè nuncupata, inveniri solùm potest inter duas relationes mutuas, quæ *oppositæ relativè* appellantur. Quam doctrinam tradunt communiter Peripatetici, cum Aristotele in Postp. c. 10. Prob. autem ma. una oppositio relativa mutua debet ad aliam oppositionem relativam mutuam formaliter terminari: hinc namque, *oppositio relativa mutua*, nuncupatur: atqui alia oppositio relativa mutua, est alia relatio mutua; neque enim dicitur *oppositio relativa mutua*, nisi quia est relatio mutua, quæ alteri relativè opponitur: ergo &c.

Sanè relativa oppositio mutua exigit formalem terminum, qui ipsi mutuò relativè opponatur; prout ex ipsis terminis patet satis: quod autem relativè opponitur, sit *aliquid relativum* necesse est.

Dico 2. Relatio non mutua nequaquam terminatur formaliter ad aliquid intrinsecè & subjectivè relativum.

Ratio hujus est, quia illud foret relativum, vel relatione reali, vel relatione rationis: atqui neutrum dici potest: ergo &c. Ma. est manifesta;

ete-

tenim inter relationem realem, & relationem
ationis, nulla alia est media. *Prob.* autem mi.
& primò quidem non est relativum sola relatione
ationis, quoniam hìc sermo est de relatione non
mutua reali & prædicamentali, quæ formalem
erminum, non rationis tantùm, sed realem,
xigit: non est etiam intrinsecè ac subjectivè re-
ativum relatione reali, saltem prædicamentali;
quia tunc *relatio non mutua* dici minimè deberet,
ed *potiùs mutua relatio* dicenda foret, cui nem-
è *altera* relatio mutua realis & prædicamentalis
n altero extremo intrinsecè & subjectivè existens
orresponderet.

Dico 3. relatio non mutua formaliter termina-
ir ad relativum, quod extrinsecè & termina-
vè est tale; adeò ut formalis terminus relatio-
is non *mutuæ* extrinsecè denominetur relati-
us à relatione in altero extremo existente,
uam terminat.

Prob. 1. exemplo relationis scientiæ ad obje-
um scibile, quæ est non mutua; licèt enim scien-
a intrinsecè realiter prædicamentaliter ad obje-
um scibile referatur, quoniam ab eo realiter &
entialiter dependet, tamquam à causa formali
ecificante; attamen objectum scibile mutuò ad
ientiam intrinsecè realiter prædicamentaliter
m refertur, quia ab illa realiter & essentialiter
m dependet: relatio autem scientiæ ad obje-
um scibile, ad relativum, quod extrinsecè &
minativè tale est, formaliter terminatur; ita
formalis terminus hujusmodi relationis, nem-
objectum scibile, sit aliquid, quod relati-
m à relatione, quæ in scientia est, extrinsecè
nominetur; ut asserit Aristoteles 5. Meta. ubi
c. scribit: *Scibile dicitur relativè, quia scien-
refertur ad ipsum*. Et in hoc cap. ait, quòd
entia & scibile dicuntur ad convertentiam,
ita relativè; quod repetit 7. Topic. cap. 12.
n Postpræd. cap. 10.

Prob. 2. ut relatio non mutua formaliter termi-

netur ad relativum, quod extrinsecè & terminativè sit tale, satis est planè, ut formalis ejus terminus ab ipsa extrinsecè denominetur *relativus*; ut patet: atqui formalis terminus relationis non mutuæ ab ipsa extrinsecè denominatur relativus: ergo &c. Prob. min. D. Thomas 1. p. q. 13. a. 7. ad 4. sic ait: *Non est inconveniens, quòd à relationibus realiter existentibus in re, Deus* (extrinsecè) *denominetur ... sic dicitur relativè ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum; sicut Philosophus dicit in 5. Metaph. quòd scibile dicitur relativè, quia scientia refertur ad ipsum.* Idem habet in resp. ad 5. & 3. p. qu. 35. art. 5. in corp. dicit, Christum (extrinsecè) denominari filium B. V. ex relatione maternitatis, quæ est in B. V. quæque est non mutua. Docet etiam 5. Metaph. Lect. 17. unum extrinsecè denominari relativum à relatione alterius. Idem docet q. 7. de Potent. a. 11. ad 1. & alibi sæpè.

Ex quibus omnibus testimoniis colligitur, terminum alicujus relationis non mutuæ, extrinsecè denominari ab ea *relativum*: ac proinde, juxta D. Thomæ doctrinam, formalis terminus relationis non mutuæ ab ipsa extrinsecè denominatur relativus.

Sanè dum paries terminat *visionem* oculi, verè propriéque ab illa extrinsecè denominatur *visus*; similiter cùm Christus terminabat inimicitiam Judæorum, ab illa verè ac propriè denominabatur extrinsecè eorum *inimicus*: ergo similiter, quando res intrinsecè absoluta terminat relationem non mutuam, ab ipsa verè & propriè *relata* extrinsecè denominari potest.

§. II.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. contra 1. concl. Relatio effectus ad causam, est mutua; causa enim & effectus reciprocè referuntur: atqui relatio effectus ad causam non terminatur formaliter ad relativum: *ergo &c.* Prob. min. exemplo relationis *creaturæ* ad Deum creatorem, quæ est relatio *effectus* ad causam; & tamen nequaquam terminatur formaliter ad relativum, sive ad reciprocam relationem prædicamentalem; quandoquidem relatio prædicamentalis, utpotè accidens inhærens subjecto, & ab eo dependens, Deo creatori repugnat: ergo relatio effectus ad causam formaliter ad relativum non terminatur.

Respondeo distinguendo ma. relatio effectus ad causam est mutua: quando causa est capax relationis mutuæ, concedo: quando est illius incapax, nego; Deus autem Creator est incapax relationis mutuæ prædicamentalis, utpotè accidentis inhærentis, & à subjecto dependentis.

Inst. Maternitas est mutua relatio prædicamentalis; prout communiter docent Peripatetici: atqui maternitas non semper ad relativum, seu ad mutuam filiationis relationem, formaliter terminatur: ergo &c. Prob. min. exemplo B. V. in qua est vera maternitas ad Christum terminata formaliter, in quo tamen intrinsecè nulla est filiationis relatio mutua; ut docet D. Thomas loco citato.

Respondeo 1. distinguendo ma. Maternitas est mutua relatio prædicamentalis: quando persona à matre genita, est capax mutuæ relationis prædicamentalis filiationis, concedo: quando est incapax, nego; divina autem Christi persona verè proprièque à B. V. generata, relationis prædicamentalis ad creaturam (qualis est B. V.) capax in-

...ando ejus maternita... & term...
...ondeo 2. data ma. negando min. Ad cujus
Prob. nego, maternitatem B. V. non terminari
formaliter ad relativum; licèt enim in Christo ra-
tione personæ nulla sit intrinsecè filiationis rela-
tio, benè tamen ratione naturæ humanæ assum-
ptæ; nam sicut Christus ratione hujus naturæ,
intrinsecè à B. Virgine genitus est, ita & intrinse-
cè est filius; adeò ut filiatio ipsius intrinseca, in
intrinseca ejus generatione passiva proximè fun-
detur: unde intrinseca filiatio Christi convenit
humanitati, *ut quo*; competit autem personæ,
ut quod; quatenus persona in Christo subsistens,
est id, quod verè & propriè progenitum est à
Virgine matre, & ipsius filius.

Urgeb. contra primam responsionem: mater-
nitas in B. V. est ejusdem speciei cum aliis mater-
nitatibus humanis; quandoquidem B. V. est
Mater Christi univocè cum aliis mulieribus,
quæ sunt filiorum suorum matres: ergo sicut aliæ
maternitates humanæ sunt relationes mutuæ;
ita etiam maternitas, quæ in B. V. invenitur
relatio mutua est.

Respondeo distinguendo ant. maternitas in B.
V. est ejusdem speciei cum aliis maternitatibus
humanis; ex parte naturæ humanæ, in cujus
activa communicatione ipsa fundatur, concedo:
etenim natura humana, quam V. Mater Chri-
sto tribuit, est prorsus ejusdem speciei cum hu-
mana natura, quam aliæ matres suis filiis com-
municant: est ejusdem speciei cum aliis materni-
tatibus humanis; ex parte termini formalis, ad
quem primariò ordinatur, nego ant. & conseq.
terminus quippe formalis maternitatis in B. V. e-
xistentis est substantia à Virgine Matre genita;
formalis verò terminus maternitatis cujusvis al-
te-

terius matris est filiationis relatio in altero ex-
tremo existens.

Objic. 2. terminus formalis Patris est id, cu-
jus dicitur Pater; ut constat: atqui non dicitur
Pater filiationis, sed substantiæ genitæ: ergo
&c.

Respondeo distinguendo maj. terminus forma-
lis Patris est id, cujus dicitur Pater, per modum
correlativi, concedo; cujus dicitur Pater per
modum causæ, nego: & distinguo pariter min.
dicitur, per modum causæ, non dicitur Pater filia-
tionis, sed substantiæ genitæ, concedo; sola
substantia filii substantia directè ac propriè à Patre
fit seu efficitur; filiatio autem indirectè
immodò, ac impropriè & per resultantiam
substantia passivè generata: atqui, per
correlativi, non dicitur Pater filiatio-
nis &c. nego; revera enim pater correlati-
vè ad filiationem, sive ad filium, prout
in exprimit.

formalis terminus paternitatis est effectus
productus: atqui effectus productus à pa-
filiatio, sed substantia filii à patre ge.
&c. Min. colligitur ex Aristotele 5.
ubi dicitur, non dari motum, seu
productivam, ad relationem; filiatio
nis, ut certum est.

distinguēdo ma. formalis terminus
effectus à patre mediatè & indire-
mirum per resultantiam ex effe-
directè producto, concedo:
diatè & directè à patre produ-
eo pariter min. atqui effectus
productus à patre, non est fi-
atqui effectus mediatè &
antiam productus à patre,
; filiatio namque resultat
ira, quam pater imm-
eo produ-

dicendo, non dari quidem motum, ſive actionem productivam, ad relationem immediatè & directè, benè tamen mediatè & indirectè, ac per reſultantiam; revera namque relatio reſultat ex fundamento immediatè ac directè ab agente producto.

Urgeb. poſita filii ſubſtantia paſſivè genita, ſi divinitùs ex ea non reſultaret filiationis relatio, adhuc in patre foret paternitas; ſicut in B. V. vera eſt maternitas, licèt ex ſubſtantia humana Chriſti paſſivè generata, nulla emanet filiatio intrinſeca: ergo tunc paternitas ad filiationis relationem formaliter non terminaretur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. poſita &c. adhuc in patre foret paternitas, carens ratione relationis mutuæ, qua etiam caret maternitas in B. V. concedo: adhuc in patre foret paternitas habens rationem relationis mutuæ, nego ant. & diſtinguo pariter conſequens: ergo tunc paternitas carens ratione relationis mutuæ, ad filiationis relationem formaliter non terminaretur, concedo: ergo tunc paternitas obtinens aut retinens rationem relationis mutuæ, ad filiationis relationem formaliter non terminaretur, nego.

Dices: ut paternitas verè ſit relatio mutua, ſufficit planè, ut illi ex parte filii reciproca filiationis relatio correſpondeat; nec requiritur, ut ad ipſam formaliter terminetur.

Reſpondeo id negando; ut enim paternitas verè ſit relatio ad filiationem mutua, requiritur ut relativè filiationis relationi formaliter & mutuò opponatur; proindèque opus eſt, ut formaliter ac mutuò ad illam terminetur.

Dices iterum: ratio, quæ filiationem fundat, eſt ratio terminans paternitatem: atqui ratio, quæ fundat filiationem, eſt aliquid abſolutum; eſt quippe generatio paſſiva, ſive ſubſtantia filii paſſivè genita: ergo &c. Prob. ma. ratio, ob quam filius terminat paternitatem, eſt ratio ipſam terminans: ut patet: atqui ratio, quæ filiationem

fun-

fundat, nempè generatio passiva, est ratio, ob quam filius terminat paternitatem; si enim quærat aliquis, cur filius terminet paternitatem? rectè respondetur, quia passivè à patre genitus est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ratio, quæ filiationem fundat, est radicalis ratio terminans paternitatem, sive est radix formalis rationis paternitatem terminantis, concedo: est formalis ratio *terminans* paternitatem, nego; & concessa min. *distinguendum* est consequens distinctione data. *Ad prob.* ma. concessa ma. distinguo min. atqui ratio, quæ filiationem fundat, nempè &c. est radicalis & remota ratio, ob quam &c. concedo: est formalis & proxima ratio, ob quam &c. nego; hæc enim ratio est filiatio, ita ut intantùm *filius formaliter* & proximè paternitatem terminet, inquantùm importat filiationem, quæ formaliter & immediatè correspondet ac opponitur relativè paternitati.

Dici etiam potest, rationem formalem, proximam, & immediatam terminandi paternitatem, non esse id, ob quod, sed per quod, filius terminat paternitatem.

Objic. 3. ad illud formaliter terminatur æqualitatis relatio, cui una quantitas formaliter æqualis est: atqui una quantitas est formaliter æqualis alteri quantitati, cui adæquatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ad illud &c. cui una quantitas formaliter æqualis est, æqualitate correlationis, seu mutuæ oppositionis relativæ, concedo: cui una quantitas formaliter æqualis est, æqualitate convenientiæ, nego: & distinguo pariter min. atqui una quantitas est formaliter æqualis alteri quantitati &c. æqualitate convenientiæ, concedo, duæ siquidem quantitates se se adæquantes; per se ipsas immediatè conveniunt in pari extensione: atqui una quantitas est formaliter æqualis alteri quantitati &c. æqua-

litate correlationis, seu mutuæ oppositionis relativæ, nego; etenim correlatio, sive mutua oppositio relativa, non nisi inter duas relationes mutuas formaliter & immediatè potest reperiri.

Inst. unus calor conveniens cum alio calore in eodem gradu, est ei formaliter similis: ergo relatio similitudinis unius caloris formaliter terminatur ad alium calorem, cum quo in eodem gradu convenit.

Respondeo ex doctrina tradita, distinguendo ant. unus calor conveniens cum alio calore in eodem gradu, est ei formaliter similis, similitudine convenientiæ, concedo: est ei formaliter similis, similitudine correlationis, seu mutuæ oppositionis relativæ, nego antec. & conseq. cùm enim relatio similitudinis unius caloris ad alium calorem sit oppositio relativa, & propriè dicta correlatio, necessariò debet formaliter ad alteram oppositionem relativam, & ad alteram correlationem terminari.

Dices: relatio similitudinis minimè ad aliquid dissimile formaliter terminatur; ut patet: atqui mutuæ relationes similitudinis, quæ sunt in duobus caloribus in eodem gradu convenientibus, sunt sibi invicem dissimiles, utpotè sibi mutuò oppositæ relativè: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. relatio similitudinis minimè ad aliquid propriè dissimile formaliter terminatur, concedo: minimè ad aliquid impropriè dissimile formaliter terminatur, nego; licèt autē mutuæ relationes similitudinis in duobus caloribus ejusdem gradus existentes sint impropriè dissimiles, quatenus inter se sunt oppositæ relativè; propriè tamen dissimiles non sunt: ea enim tantummodò dissimilia propriè dici possunt apud Peripateticos, quæ vel qualitates diversæ rationis obtinent, (ut sunt album & nigrum) vel in qualitatibus diversæ rationis fundantur (ut sunt relationes similitudinis, & dissimili-

tu-

tudinis) duæ autem relationes similitudinis, in duabus qualitatibus ejusdem rationis, v. g. in duobus caloribus, vel in duabus albedinibus, &c. immediatè fundantur.

Dices rursus: saltem mutua relatio dissimilitudinis ad relativum formaliter non terminatur: nam ad hoc necesse foret, ut una dissimilitudinis relatio ad alteram dissimilitudinis relationem oppositam formaliter terminaretur: atqui *hoc* dici *nequit*: ergo &c. Ma. ex dictis liquet. Prob. *min. si una* relatio dissimilitudinis posset ad alteram formaliter terminari, posset terminari formaliter ad aliquid simile: atqui hoc videtur absurdum: ergo &c. Ma. ex eo colligitur, quòd duæ relationes dissimilitudinis sunt ejusdem rationis, ac proinde similes.

Respondeo negando, mutuam relationem dissimilitudinis ad relativum formaliter non terminari. Ad prob. contrarii, respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. si una relatio dissimilitudinis &c. posset terminari formaliter ad aliquid impropriè simile, concedo: posset terminari formaliter ad aliquid propriè simile, nego; quamvis enim duæ relationes dissimilitudinis sint impropriè & latè similes, id est, in eadem ratione specifica convenientes; propriè tamen & strictè nequaquam sunt similes; similia quippe propriè ac simpliciter dicta, sunt ea tantummodò, quæ vel qualitates habent ejusdem rationis (ut sunt duo alba) vel in qualitatibus ejusdem rationis fundari exiguut (ut sunt duæ relationes similitudinis) duæ verò relationes dissimilitudinis in qualitatibus diversæ rationis semper fundantur.

§. III.

§. III.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBJic. 4. si pater formaliter ad relativum, nempè ad filium, ut filium, terminaretur, per ipsum definiretur; cùm enim pater, ut pater, essentialiter se habeat ad formalem terminum, ad ipsumque ordinetur per se primò, per illum essentialiter definiatur necesse est: atqui pater per filium non definitur: ergo &c. Prob. min. si pater per filium definiretur, filius quoque per patrem foret definiendus; & ita circulus vitiosus committeretur.

Respondeo distinguendo maj. si pater &c. per ipsum in recto, & sicut per intrinsecam partem ipsius patris definiretur, nego; per ipsum in obliquo, & per modum termini connotati, definiretur, concedo: distinguo pariter mi. atqui pater per filium non definitur in recto, & sicut per intrinsecam ipsius patris partem, concedo: atqui pater per filium, in obliquo, & per modum termini connotati, non definitur, nego; & licèt circulus vitiosus committeretur, si definirentur, pater per filium, & filius per patrem, eodem modo; *hic* tamen circulus nequaquàm committitur, si pater, ut correlativus, definiatur ad filium, sicut ad terminum; & vicissim filius, ut correlativus, ad patrem ut ad terminum, per definitionem explicetur.

Inst. ex Aristotele 6. Topic. cap. 4. legitima rei definitio tradi debet per id, quod notius sit re definita: atqui filius non est notior patre, neque pater filio notior est; sed pater & filius simul notione & cognitione sunt, prout hic docet Arist. ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui filius &c. si filius & pater, prout sunt duo correlativa, seorsum considerentur, concedo:

si

si filius sumatur ut terminus patris, intrans, per modum connotati, ejus definitionem; & similiter pater, ut terminus filii, ingrediens illius definitionem, accipiatur, nego; cùm enim definitio debeat esse clarior & notior definito, etiam omnia, quæ definitionem ingrediuntur, sint clariora & notiora necesse est.

Dices: ex nostra doctrina sequitur, filium esse notiorem, & ignotiorem patre: atqui hoc videtur *absurdum*: ergo &c. Maj. facilè suadetur; *nam in primis*, dum pater per filium definitur, *filius* notior est patre; prout liquet ex modo dictis: præterea, quando filius definitur per patrem, patre ignotior est filius; definitum enim ignotius est eo, per quod definitur.

Respondeo distinguendo maj. ex nostra doctrina sequitur, filium, sub diversa consideratione, esse notiorem & ignotiorem patre, concedo: sequitur, filium, sub eadem consideratione, esse notiorem & ignotiorem patre, nego. Itaque ex nostra doctrina sequitur solùm, filium reduplicativè ut relativum ad patrem, per ipsum definibilem, esse eo ignotiorem; esse autem illo notiorem, si consideretur ut terminus à patre connotatus, in ordine ad quem pater est definiendus.

Inst. rursus: recta rei definitio tradenda est per id, quod prius est; ut docet Arist. loco citato: atqui *filius* non est prior patre, sed potiùs, ex Philosopho in præsenti, pater & filius sunt simul natura & cognitione: ergo &c.

Respondeo distinguendo mi. (data vel concessa maj.) atqui filius non est prior patre, sed potiùs &c. si filius & pater spectentur seorsum, prout sunt duo correlativa, concedo: si filius consideretur ut terminus patris, modo dicto ingrediens ejus definitionem, nego; sicut enim definitio prioritate cognitionis prior est definito; sic etiam, quod definitionem ingreditur, eadem prioritate prius est definito.

Urgeb. si pater per filium definiretur, idem

per

BIBLIOTECA C. F. M.
MONTEFUSCO

per se ipsum definiretur, sive idem in sui ipsius definitione poneretur: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Prob. ma. ex Arist. 2. Topic. cap. 2. & lib. 6. ca. 4. licet in definitione, loco nominis, ponere ipsius definitionem: sic in ista hominis definitione; *Homo est animal rationale*: loco *animalis* rectè ipsius definitio poni potest, dicendo: *Homo est vivens sensitivum rationale*: igitur dum pater definitur: *Qui habet filium*: loco *filii* licebit ponere hanc filii definitionem: *Qui habet patrem*: & ita contexere patris definitionem: *Pater est qui habet eum, qui habet patrem.* ubi *pater* per se ipsum definitur, aut in sui ipsius definitione ponitur; quod vetat Philosophus 5. Metaph. cap. 15.

Respondeo negando ma. quamvis enim liceat in definitione, loco nominis, ponere ipsius definitionem, quando nomen designat intrinsecam partem definiti; qua ratione habet se *animalis* nomen respectu hominis definiti: non ita tamen dicendum est, cùm nomen significat dumtaxat extrinsecum aliquid, à definito connotatum. Dum autem definitur pater: *Qui habet filium*: nomen *filii* exprimit tantummodò terminum extrinsecum à patre connotatum.

Urgeb. iterum; si pater per filium definiretur, posset filius de patre prædicari, dicendo: *Pater est filius*: atqui hoc ineptum est & absonum: ergo &c. Ma. ex eo suadetur, quòd quæ in definitione ponuntur, verè rectèque de definito prædicantur.

Respondeo negando maj. tametsi enim, quæ in definitione ponuntur, tamquam prædicata quidditativa, verè rectèque de definito prædicentur, ad quod illa prædicata pertinent; non tamen quæ in definitione inveniuntur, sicut extrinseca definiti connotata; filius autem isto modo ultimo in definitione patris collocatur.

Objic. 5. terminus paternitatis, ipsam antecedit: atqui filiatio paternitatem non præcedit,

sed

sed est simul cum illa simultate cognitionis & naturæ; ut docet Aristoteles loco citato: ergo &c. Prob. maj. ex communi axiomate Philosophorum, relatio prædicamentalis (cujusmodi est paternitas) non resultat, nisi præsupponantur fundamentum, & terminus: ergo hæc duo relationem prædicamentalem antecedunt.

Respondeo distinguendo ma. radicalis terminus paternitatis, sive radix rationis formalis paternitatem terminantis, ipsam antecedit, concedo: formalis terminus paternitatis, seu formalis ratio immediatè terminans paternitatem, ipsam antecedit, nego: & concessa min. neganda est conseq. sub distinctione data. Ad prob. maj. distinguo ant. ex communi &c. relatio prædicamentalis non resultat, nisi præsupponantur fundamentum & terminus radicalis, concedo: nisi præsupponantur fundamentum & terminus formalis, nego ant. & distinguo consequens: ergo hæc duo, id est, fundamentum, & terminus radicalis, relationem prædicamentalem antecedunt, concedo: ergo hæc duo, id est, fundamentum, & terminus formalis, relationem prædicamentalem antecedunt, nego.

Inst. illud paternitatem antecedit, quod ea prius est: atqui formalis terminus paternitatis est ea prior: ergo &c. Maj. liquet. Prob. min. *specificativum* rei est ipsa prius; cùm sit formalis ejus causa, & omnis causa prior effectu semper sit: atqui formalis terminus paternitatis est ipsius *specificativum*; ut infrà constabit: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. respondeo ex Cajetano, distinguendo maj. *specificativum* rei est ipsa prius: si se habeat ad modum causæ rei definitæ, concedo; si se habeat ad modum puri terminià re definita connotati, quo modo se habet formalis terminus paternitatis ad ipsammet paternitatem, nego. Ita respondet Cajet. 1. p. quæst. 32. artic. 2. Unde paternitas non specificatur à termino,

mino, sed ad terminum; ut advertit idem Author ibidem.

Dices: illud non est per se terminans, quod indiget ab alio terminari: atqui una relatio mutua indiget ab alio terminari; indiget enim termino à se distincto: ergo una relatio mutua nequit esse per se terminans alteram relationem.

Respondeo distinguendo ma. illud &c. non est per se terminans, sub ea ratione, sub qua indiget ab alio terminari, concedo: sub illa ratione, sub qua non indiget ab alio terminari, nego. Itaque in una relatione mutua duæ sunt formalitates inadæquatæ. Prima est formalitas *correlationis* ad alteram relationem; & sub ista formalitate indiget ab alio terminari: alia est formalitas *extremi* alteram relationem claudentis, ad quod ipsa ordinatur; & sub hac formalitate secunda, alteram relationem mutuam per se, formaliter, & immediatè, terminat.

Dices adhuc: una relatio muta sub formalitate secunda, vel exprimit correlationem, vel non exprimit? Si hoc secundum dicatur; ergo sub hac formalitate est aliquid absolutum; & sic altera relatio mutua ad aliquid absolutum terminatur. Si verò correlationem exprimat; ergo per se non terminat, sed ab alio terminatur.

Respondeo, unam relationem mutuam sub formalitate secunda non exprimere seu explicitè non importare correlationem. Non tamen propterea est aliquid absolutum, sed est relatio ipsa, prout explicitè rationem termini, & implicitè rationem correlationis, importat.

§. IV.

§. IV.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 6. contra ultimam concl. relatio servitutis, quæ est in creaturis ad Deum ut Dominum, est non mutua; prout docent communiter, *tum* Philosophi, tum Theologi: atqui *relatio* illa non terminatur formaliter ad relativum: ergo &c. Prob. min. ut relatio creaturarum ad Deum, formaliter ad relativum terminaretur, deberet vicissim in Deo reperiri ad creaturas relatio, qua Deus formaliter relativus denominaretur: atqui id de Deo dici nequit: ergo &c. *Min.* suadetur ex D. Thoma qu. 7. de potentiâ. 10. ad 4. ubi asserit S. Doctor, quòd *Deus ut Dominus terminat quidem subditorum ordinem* (id est, creaturarum subditarum relationem) *non importat tamen ordinem ad subditos* (id est, relationem ad creaturas subditas.)

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui relatio illa non terminatur formaliter ad relativum, quod sit tale intrinsecè & subjectivè, concedo: non terminatur formaliter ad relativum, quod sit tale extrinsecè ac terminativè, nego min. & conseq. sub distinctione data. Ad prob. *min.* distinguo maj. ut relatio &c. deberet vicissim in Deo reperiri extrinsecè ac terminativè ad creaturas relatio, qua Deus formaliter relativus extrinsecè ac terminativè denominaretur, concedo: deberet vicissim in Deo reperiri intrinsecè ac subjectivè ad creaturas relatio, qua Deus formaliter relativus intrinsecè & subjectivè denominaretur, nego. Et distincta pariter min. nego conseq. sub distinctione data.

Hæc solutio sumitur ex D. Thoma 3. p. q. 35. art. 5. circa finem corporis art. ubi ait, Deum referri ad creaturam per modum Domini, secundùm denominationem extrinsecam, provenientem

tem ex relatione subjectionis & servituris, quam ipse terminat, quamvis in eo nulla sit relatio ad creaturam realiter intrinseca. Verba D. Thomæ sunt hæc: *Deus dicitur dominus relationi, quæ cointelligitur realis relationi, qua creatura subijcitur Deo. Et quamvis relatio dominii non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter dominus ex reali subjectione creaturæ ad ipsum.*

Unde dum D. Thomas quo citata de potentia ait, Deum ut Dominum terminare quidem subditorum ordinem, non importare tamen ordinem ab subditos: hoc venit sic intelligendum, ut Deus terminet quidem creaturarum *subditarum* realem & prædicamentalem subjectionis & servitutis relationem, qua intrinsecè afficiuntur; absque eo, quòd Deus intrinsecam importet Dominii realem ac prædicamentalem ad creaturas subditas relationem, non tamen sine eo, quòd Deus extrinsecè denominetur *Dominus* à reali relatione subjectionis & servitutis creaturarum ad ipsum.

Inst. priùs terminat Deus relationem subjectionis & servitutis creaturarũ ad ipsum, quàm ab illa formaliter extrinsecè denominetur *Dominus*; ita enim denominatur, quoniam priùs illam relationem terminat: ergo ea relatio, nec etiam ad relativum, quod extrinsecè denominetur tale, sed ad purè absolutum, formaliter terminatur.

Respondeo distinguendo ant. priùs prioritate naturæ, in genere causæ materialis dispositivæ, terminat Deus &c. concedo, revera namque, quòd Deus terminet relationem subjectionis & servitutis creaturarum, est dispositio vel conditio prærequisita ad hoc, ut Deus formaliter denominetur extrinsecè *Dominus* ab illa relatione: priùs prioritate durationis terminat &c. ita ut sit aliqua duratio, in qua Deus terminet præfatam relationem, & nondum ab ea extrinsecè denominetur *Dominus* relativè ad creaturas, nego ant. & conseq.

Urg.

Urg. paries priùs terminat *visionem*, quàm ab denominetur *visus*: ergo pariter priùs terminat Deus relationem *servitutis* creaturam, quàm ab ea denominetur *Dominus*.

Respondeo similiter *distinguendo* ant. paries priùs prioritate naturæ, in genere *causæ materialis dispositivæ*, terminat visionem, quàm &c. *concedo*: paries priùs prioritate *durationis terminat* visionem, quàm ab ea &c. *nego*; *eadem* enim duratione, qua paries terminat *visionem*, simul ab ea extrinsecè *visus* denominatur. Distinguendum est etiam consequens distinctione data.

Objic. 7. relatio maternitatis B. V. ad Christum *est non mutua, ut colligitur ex D. Thoma* citato ex 3. p. atqui non terminatur formaliter ad *relativum*: ergo &c. Prob. min. si maternitas B. V. ad Christum formaliter ut relativum terminaretur, deberet esse *in Christo filiationis* ratio, quæ maternitati B. V. correspondaret: atqui hoc dici nequit; est quippe contra Antiquum Scholæ, eodem in loco: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. Christus non terminatur formaliter ad relationem relatione intrinsecè denominante, concedo; non terminatur formaliter ad relationem *relatione* extrinsecè denominante, nego. Prob. *min.* respondeo distinguendo major. maternitas B. *Virg.* ad Christum formaliter ut relativum relatione *intrinsecè denominante* terminaretur, deberet esse *in Christo* filiationis relatio &c. concedo: si maternitas B. *Virg.* ad Christum formaliter ut relativum relatione extrinsecè denominante terminaretur, deberet esse &c. nego; sicut enim sufficiens unicus visionis actus, ut denominentur, extrinsecè oculus *videns*, & extrinsecè paries *visus*; sic etiam sufficiens est unica maternitas relatio, ut denominentur, Beatæ *Virg.*

in.

intrinsecè *Mater Christi*, sed Mater Incarnati Dei, & Christus extrinsecè *Filius B. Virginis*. Neque necessaria est in Christo filiationis temporalis relatio, qua intrinsecè *Filius* denominetur.

Hæc doctrina sumitur ex D. Thoma loco laudato, ubi sic ait: *Si attendamus ad subiectum filiationis, quod non potest esse, nisi suppositum æternum; non potest in Christo esse realiter, nisi filiatio æterna: dicitur tamen relativè filius ad matrem, relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum.* Et tamdem ita concludit: *Christus dicitur realiter* (extrinsecè) *filius virginis Matris, ex relatione realis maternitatis ad Christum.*

Inst. maternitas nequit denominare nisi matrem: ergo Christus non potest *Filius* à maternitate B. V. denominari.

Respondeo distinguendo ant. maternitas intrinsecè nequit denominare nisi matrem, concedo: maternitas extrinsecè nequit denominare nisi matrem, nego. Et distinguo pariter consequens: ergo Christus intrinsecè non potest *filius* à maternitate B. V. denominari, concedo: ergo Christus extrinsecè non potest *filius* à maternitate B. V. denominari, nego. Itaque sicut visio solum oculum *videntem* intrinsecè denominat, & nihilominùs parietem extrinsecè *visum* denominare potest: ita pariter sola B. V. à relatione maternitatis ad Christum, intrinsecè *mater Christi* denominatur; licèt Christus ab eadem maternitatis relatione verè rectèque *filius* B. Virginis extrinsecè denominetur.

Objic. 8. si relatio non mutua formaliter ad relativum terminaretur, maximè, quia relatio illa terminum extrinsecè denominat relativum: atqui id falsum est: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. ex D. Thoma 2. contra gen. cap. 13. ubi sic ait: *Forma absoluta potest quidem denominare subjectum, in quo non est; sed forma relativa* (seu relatio) *non denominat, nisi id,*

cui

cui inhæret: relatio autem non mutua non inhæret termino, sed subjecto soli.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. & testimonium D. Thomæ, dico, S. Doctorem velle solùm, esse proprium formæ absolutæ, quòd possit duo subjecta afficere; intrinsecè quidem unum, in quo est; & extrinsecè alterum, *in quo* non est: qua ratione visio intrinsecè *oculum*, in quo est, & extrinsecè parietem, *in quo* non est, afficit, atque afficiendo denominat: forma verò relativa, seu relatio, non afficit, nisi subjectum, cui inhæret. Cæterùm, salva mente S. Doctoris, forma illa relativa respicit terminum, & respiciendo, ipsum terminativè denominat. Unde 1. 2. q. 7. a. 2. ad 1. ait, *Quòd in relativis denominatur aliquid, non solùm ab eo, quod inest* (sive inhæret) *sed etiam ab eo, quod extrinsecus adjacet* (seu respicit.)

Inst. non potest paries verè *albus* denominari, nisi ab albedine inhærente: ergo etiam aliquid verè relativum denominari nequit, nisi à relatione subjecto inhærente.

Respondeo negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd denominatio *albi* est denominatio subjecti albedinem sustentantis; ac proindè opus est albedine à subjecto sustentata, quæ nempè inhæreat subjecto, v. g. parieti, & ab eo sustentetur: sicut autem ex usu communi, *inimicus* verè ac propriè dictus, modò significat eum, cui inhæret inimicitia; modò designat eum, qui alienam inimicitiam terminat: ita *relativum* verè ac propriè nuncupatum exprimere potest, vel subjectum, cui inhæret relatio, vel illud, ad quod ipsa terminatur.

Dices: si relatio non mutua formaliter terminaretur ad relativum, quod sit tale per denominationem extrinsecam, ab ipsa relatione non mutua provenientem, sequeretur, relationem non mutuam formaliter terminari ad se ipsam; quandoquidem denominatio extrinseca non distin-

ſtinguitur à forma extrinſecè denominante; ſed eſt forma ipſa, ut extrinſecè ſubjectum denominans: atqui non poteſt dici, relationem non mutuam formaliter terminari ad ſe ipſam; quandoquidem, ut alibi dictum eſt, omnis relatio prædicamentalis debet realiter à formali termino diſtingui: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi relatio &c. ſequeretur, relationem non mutuam formaliter terminari in obliquo & de connotato ad ſe ipſam, concedo; ſequeretur, relationem non mutuam formaliter terminari in recto ad ſe ipſam, nego. Itaque relatio prædicamentalis non mutua terminatur formaliter ad rem in ſe abſolutam, prout connotat ipſam relationem non mutuam, tamquam formam extrinſecè denominantem, ſeu extrinſecam denominationem *relativi* tribuentem.

Obji. ultimò: ſi relatio non mutua formaliter ad relativum terminaretur, relatio non mutua, & ejus formalis terminus, forent ſimul natura; etenim ex Ariſt. hìc, *relativa* ſunt ſimul natura: atqui relatio non mutua, & formalis terminus ejus, non ſunt ſimul natura; prout docent Ariſt. in hoc prædicam. textu 5. & D. Thomas 1. p. qu. 13. art. 7. ad 6. & alibi ſæpè: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. nam quando Philoſophus in hoc prædicam. docet, *relativa* eſſe ſimul natura; hoc venit intelligendum de relativis mutuis, non verò de non mutuis. Et ratio eſt, quia, ut duo aliqua ſint ſimul natura, neceſſe eſt, ut unum non ſit cauſa alterius (prout infrà patebit) ex non mutuis autem unum eſt cauſa alterius, adeò ut unum ab alio, ſicut à forma, ſive tamquam à cauſa formali extrinſeca, denominetur & pendeat, modò ſuperiùs explicato.

Articulus Quartus.

Vnde unitas, vel distinctio relationum desumatur?

TRiplex unitas, vel distinctio relationum, potest assignari; in primis enim est unitas generica, secundùm quam plures relationes dicuntur unius & ejusdem generis; cui unitati opponitur distinctio aut diversitas generica, secundùm quam plures relationes dicuntur distinctorum aut diversorum generum. Certum autem est, unitatem vel distinctionem genericam relationum esse à fundamentis genericè sumptis desumendam, adeò ut eæ relationes sint *unius* generis, quibus convenit unius generis fundamentum; illæ verò relationes ad distincta spectant genera, quæ diversorum generum obtinent fundamenta: constat autem ex dictis tria esse fundamentorum genera, scilicet unitatem & numerum, actionem & passionem, nec non mensuram & mensurabile. Itaque omnes relationes, quæ in unitate, vel numero fundantur, sunt unius & ejusdem generis; & iidem dicendum est de omnibus relationibus in actione & passione, aut in mensura & mensurabili, fundatis. Relatio verò, cujus fundamentum est unitas, & ea, quæ in actione, vel in ratione *mensurabilis*, fundatur, sunt generum verè diversorum.

Insuper est unitas specifica, secundùm quam una relatio est unius determinatæ speciei. Huic unitati adversatur distinctio vel diversitas specifica, secundùm quam duæ relationes dicuntur ad duas species determinatas inter se distinctas pertinere. Demùm, est unitas numerica seu individualis, ratione cujus aliqua relatio dicitur in individuo una numero; ex opposito est distinctio aut diversitas numerica sive

individualis, ratione cujus duæ pluresve relationes, numericè seu individualiter distinguuntur. Quæritur ergo, unde relationum unitas, vel distinctio specifica, cum unitate aut distinctione numerica, sit desumenda?

§. I.

Quædam prænotantur, totaque difficultas explanatur.

NOtandum est 1. aliquid posse ab alio specificari, seu unitatem & distinctionem specificam desumere, vel intrinsecè, vel extrinsecè. Priori quidem modo res specificatur, physicè à forma essentiali, & metaphysicè à specifica differentia: sic *homo* physicè ab anima rationali, & metaphysicè à *rationalitate*, specificatur, sive unus aut indivisus in sua specie, & divisus sive distinctus ab omnibus aliis specie diversis, constituitur. Posteriori autem modo res ab eo specificari dicitur, ad quod in sua essentia specificè sumpta ordinem seu respectum importat; sic apud Peripateticos, potentiæ, habitus, & actus, ab objectis formalibus specificantur.

Certum verò est, quamlibet relationem prædicamentalem, intrinsecè à sua essentiali differentia specificari. At à quo extrinsecè specificetur, inter Philosophos controversia est. Indubitatum est quoque, unamquamque relationem prædicamentalem à propria & intrinseca differentia individuali intrinsecè individuari; sed difficultas est, à quo extrinsecè individuetur, id est, unitatem vel distinctionem numericam sive individualem consequatur; videlicet, an à subjecto, an à termino?

Notandum est 2. fundamentum relationis dupliciter accipi posse; nimirum, vel materialiter, vel formaliter. Priori modo sumitur, si

enti-

entitativè, seu secundùm entitatem præcisè usurpetur. Posteriori autem modo accipitur, si spectetur sub ea formali ratione, sub qua relationem prædicamentalem fundat.

Certum est autem, prædicamentalem relationem à fundamento *materialiter* considerato nequaquam specificari. Si enim ita *esset*, duæ relationes prædicamentales specie *differentes nunquam possent* idem materialiter fundamentum *habere*; quod patet esse falsum in relatione *similitudinis*, & dissimilitudinis relatione, *quæ* licèt specie differant, attamen in *albedine* materialiter aut entitativè eadem fundantur. Si etenim una albedo cum altera albedine comparetur, fundat ad eam similitudinis relationem; si verò eadem entitativè albedo cum nigredine conferatur, in illa dissimilitudinis relatio ad nigredinem fundatur. Solùm ergo *difficultas*, est, utrum, & quomodo fundamentum *formaliter spectatum*, prout nempè subest *formali rationi*, *proximè relationem* prædicamentalem fundanti, *ipsi unitatem* & distinctionem specificam tribuat?

Notandum est 3. terminum relationis posse duobus etiam modis considerari; nempè aut materialiter, aut formaliter. Primo modo est entitas, cui advenit formalis ratio termini.

Secundo autem modo est vel formalis ratio termini, *vel præfata entitas* prout illa ratione formali *affecta*. Apertum est verò, relationem prædicamentalem à termino materialiter sumpto minimè speciem desumere. *Possunt* quippe relationes prædicamentales specie diversæ ad eumdem materialiter terminum ordinari; hinc ad eamdem albedinis entitatem, quæ in pariete existit, similitudo nivis, & dissimilitudo corvi, materialiter terminantur. Superest ergo difficultas dumtaxat, an, & quonam modo relatio prædicamentalis à termino formaliter accepto specificetur?

Notandum eſt 4. vel etiam ex alibi dictis ſupponendum, relationem prædicamentalem eſſe accidens phyſicum ſubjecto inhærens. Etenim, apud Peripateticos, ens reale creatum univerſaliſſimè ſumptum, in ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, & accidens ſubjecto inhærens, adæquatè dividitur: ejuſmodi autem accidens in novem prædicamenta accidentalia ſubdividitur; inter autem hæc prædicamenta, relatio prædicamentalis recenſetur. Relationem ergo prædicamentalem eſſe accidens inhærens ſubjecto, conſtat. Itaque de individuali ſive numerica unitate & diſtinctione relationis prædicamentalis ratiocinandum eſt, ſicut de unitate & diſtinctione numerica cujuslibet alterius accidentis Phyſici apud Philoſophos diſſeritur.

Notandum eſt 5. dupliciter concipi poſſe, quòd relatio prædicamentalis numericè multiplicetur, videlicet, vel entitativè, vel extenſivè tantùm. Priori quidem modo, ſi relationis entitas individualiter intrinſecè multiplicetur. Poſteriori autem modo, ſi numero eadem entitativè relatio ad plures terminos numericè diſtinctos extendatur. Quæritur ergo, utrum in eodem Patre (ver. grat.) plures filios habente, paternitatis relatio numericè multiplicetur entitativè, vel extenſivè ſolùm?

Circa unitatem vel diſtinctionem ſpecificam tres ſunt potiſſimùm Philoſophorum ſententiæ. Prima docet, relationes prædicamentales à ſolis fundamentis ſpecificari. Pro hac ſententia citantur Flandria, Nazarius, Cajetanus, & Bannes. Secunda affirmat, relationum prædicamentalium unitatem vel diſtinctionem ſpecificam eſſe à ſolis terminis deſumendam. Sic docent Soncinas, Aravius, & alii. Tertia tamdem ſententia aſſerit, ad ſpecificam relationis prædicamentalis unitatem,

requi-

requiri ſpecificam unitatem, tum fundamenti, tum termini; adeò ut fundamentum & terminus, ratione propriæ unitatis ſpecificæ, influant in ſpecificam relationis prædicamentalis unitatem: ad ſpecificam verò relationis diverſitatem ſufficere ſpecificam, vel fundamenti, vel termini, diſtinctionem; *ita tamen ut fundamentum & terminus ſimul concurrant, nempè fundamentum* ut connotans *diverſum terminum*, vel terminus ut connotans diverſum *fundamentum*. Ita docent Sanchez, Complutenſes, Joannes à S. Thoma, & plures alii recentiores Thomiſtæ communiter; quos ſequuntur Suarez, Ruvius, & alii multi moderni extra Scholam D. Thomæ conſtituti.

Circa unitatem & diſtinctionem numericam duplex *eſt apud Peripateticos* ſententia oppoſitra. *Prima eſt Scoti, Suaris*, Vaſquis, & aliorum *multorum* aſſerentium, tot eſſe relationes *prædicamentales numero diſtinctas in* ſubjecto, quot *ſunt termini numero diſtincti*, ad quos refertur. Hinc *apud ipſos*, tres *ſunt* diſtinctæ numero paternitates in eodem patre tres filios numero diſtinctos habente. Secunda ſententia eſt D. Thomæ in 3. ſent. diſt. 8. qu. 1. art. 5. & 3. part. quæſt. 35. art. 5. quem ſequuntur Cajetanus, Ferrarienſis, Soncinnas, Javellus, & alii Thomiſtæ communiter affirmantes, in uno & eodem ſubjecto eſſe unicam numero relationem prædicamentalem, quantumvis termini numericè *multiplicentur*. Hinc ex eorum mente, idem pater *multos* numericè filios una dumtaxat paternitate reſpicit.

§. II.

Vera sententia eligitur ac probatur.

DIco 1. unitas specifica, vel specifica distinctio relationis prædicamentalis, à fundamento simul & termino desumenda est, modo in tertia sententia explicato.

Prob. ratione fundamentali: Ab eo unitas specifica, vel specifica distinctio relationis prædicamentalis, desumenda est, à quo ipsa specificatur: atqui relatio prædicamentalis à fundamento simul & termino specificatur: ergo &c. Ma. perspicua est. Prob. min. ex doctrina superiùs tradita: ab eo prædicamentalis relatio (extrinsecè) specificatur, ad quod in sua essentia specifica ordinem importat; atqui relatio prædicamentalis in sua essentia specifica ordinem ad fundamentum & terminum importat: ergo &c. Maj. ex dictis constat. Prob. min. relatio prædicamentalis, secundùm essentiam suam specificam; *Est prædicamentalis respectus ex fundamento ad terminum*; ubi ordo & ad fundamentum, & ad terminum, importatur.

Quòd verò ad specificam relationis prædicamentalis unitatem requiratur specifica unitas, tum fundamenti, tum termini, & ad specificam illius diversitatem sufficiat specifica vel fundamenti, vel termini, distinctio; colligitur ex eo, quòd unitas specifica relationum prædicamentalium, est aliquod earum bonum, & illarum divisio seu diversitas specifica est aliquod ipsarum malum; est autem commune Philosophorum axioma: *Bonum de simitur ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu*: ideòque ad specificam unitatem relationum prædicamentalium unitas specifica, & fundamenti, & termini, integrè requiritur: sive autem fundamenti, sive termini, uni-

unitas specifica deficiat, ad specificam relationum divisionem seu *diversitatem* sufficit planè alterutrius specifica *distinctio*.

Hinc omnes paternitatis relationes sunt planè unius speciei: quoniam unum speciei fundamentum, unumque specie terminum, obtinent; quatenus omnes in *generatione activa* fundantur, & ad filium aut filiationem formaliter *terminantur*. Idem dicendum est *de duabus identitatis*, vel similitudinis, aut æqualitatis, *relationibus*. Relatio verò nivis ad Cygnum (quæ est similitudo) & relatio ejusdem nivis ad Corvum (quæ est dissimilitudo) sunt diversæ speciei, quia licèt idem specie fundamentum, nempè eamdem albedinem, *obtineant; ad diversos nihilominùs terminos*, nimirum ad Cygnum ut similem, & ad Corvum ut dissimilem, formaliter terminantur. Relatio *item patris ad filium*, & parietis albi add eumdem filium (*qui albus est*) sunt diversæ prorsus speciei: quoniam etsi ad eumdem filium terminentur, diversa tamen *habent* fundamenta; prioris enim relationis fundamentum est generatio activa, posterior autem in albedine fundatur. Quæres, quomodo fundamentum & terminus ad specificationem relationis prædicamentalis concurrant?

Respondeo 1. ex doctrina Joannis à S. Thoma hic q. 17. art. 6. relationem specificari à fundamento, sicut à causa efficienti. Relatio enim prædicamentalis ex sua essentia specifica, est *prædicamentalis respectus ex fundamento veluti ex efficienti causa resultans*.

Respondeo 2. relationem prædicamentalem specificari à suo fundamento, tamquam à causa formali. Etenim apud Peripatéticos, causa formalis ea est, quæ ad speciem determinat; relationis verò prædicamentalis fundamentum formaliter sumptum, prout connotat terminum, cum ipsoque coaptatur (ad constituendum

unum ejus specificativum adæquatum) illam a
speciem determinat, adeò ut in tantùm relati
prædicamentalis sit in determinata specie, i
quantum determinatum fundamentum, deter
minatumque terminum obtinet. Et meritò,
nam prædicamentalis relatio in sua specie de
terminata, nihil aliud est, quàm *prædicamen
talis respectus ex determinato fundamento ad de
terminatum terminum*.

Formalis verò terminus non tribuit speciem prædicamentali relationi per modum causæ (cùm prædicamentalis relatio, & terminus ejus forma
lis, debeant esse simul simultate naturæ) sed dumtaxat per modum complementi extrinseci, à quo ipsa relatio completur, terminatur, & veluti consummatur. Hinc relatio prædica
mentalis dici potest, *causaliter* à fundamento, & *complexivè* tantummodò à termino, specifica
ri; adeò ut fundamentum sit tota atque adæ
quata specificationis causa, & terminus sit so
lùm specificationis complementum. Unde quo
tiescumque D. Thomas loquitur de causa, à qua relatio specificatur, solius fundamenti mentionem facit, & nunquam ait, relationem à termino velut *à causa* specificari.

Hinc relatio prædicamentalis à transcenden
tali discriminatur: ista namque interdum à termino, velut à causa formali propriè *dicta* specificatur; ut patet in transcendentali rela
tione, vel potentiæ, vel habitus, vel actus, ad objectum formale; ejusmodi enim relatio
nis terminus est objectum formale, quod apud Peripateticos est propriè dicta formalis causa.

Ratio autem, ob quam relatio prædicamen
talis à termino, sicut à causa formali pro
priè nuncupata, non specificatur, est, quia omnis causa, propriè vocata, sit talis necesse est, à qua sit effectus: prædicamentalis verò relatio non est *à termino*, sed dumtaxat ad *ter
minum*.

Dico

Dico 2. in uno & eodem *subjecto* unica numero eſt prædicamentalis *relatio*, quantumvis numericè termini multiplicentur.

Prob. ratione ſundamentali: *accidens* phyſicum ſubjecto inhærens, *unitatem* & diſtinctionem numericam accipit ab *ipſo ſubjecto*, adeò ut dicatur unicum numero, *quia eſt in unico ſubjecto numero*; & multiplex numero *cenſeatur*, *quoniam in* ſubjecto multiplici numero in*venitur*: atqui relatio prædicamentalis eſt accidens *phyſicum* ſubjecto inhærens; prout ex alii dictis patet: ergo &c. Maj. in Metaph. fusè robabitur; ſicut enim, quia unitas & diſtinio ſpecifica eſt formalis (ex communi Philoophorum loquendi modo) idcircò deſumitur *forma*; *ita etiam, quia unitas & diſtinctio umerica eſt materialis* (ex pari Peripatetico*ni modo loquendi*) *ideò* à materia deſumatur *ceſſe eſt*; *materia autem accidentis* phyſici, *qua nempè recipitur, eſt ſubjectum, cui in*eſt.

Hinc una numero *potentia viſiva eſt, quæ* uno animali ſubjectatur: ſi verò *in pluribus* ero animalibus ſubjectetur, fit multiplex ero neceſſe eſt. Sanè, ſicut viſiva potenad pluralitatem numericam objectorum, iplex numero non efficitur, quoniam cir*objecta quidem* verſatur, ſed eis inhæret aquam; ſic pariter relatio prædicamenad numericam terminorum multitudinem ro diverſa non redditur, quoniam *ad illos* n ſe habet, ſed eis ineſt *minimè*: multis ergo numericè terminis *relationis* præmentalis, ipſa quidem *extenſivè* augetur, itativè haudquaquam numero multipli-

§. III.

Objectiones contra primam conclusionem solvuntur.

OBjic. 1. D. Thomas 3. p. quæst. 35. art. 5. sic ait: *Unitas relationis, vel ejus pluralitas, non attenditur secundùm terminos, sed secundùm causam, vel subjectum.* Ubi nomine *causæ* (ut notat Cajetanus) intelligit fundamentum. Sentit igitur S. Doctor, unitatem, vel distinctionem specificam relationis, debere à solo fundamento; & unitatem, aut distinctionem ejus numericam, debere à subjecto desumi, non autem à termino. Idem ferè habet Angelicus Doctor quodlib. 9. ar. 4. nec non opusc. 2. cap. 212. & aliis in locis sæpè.

Respondeo ex doctrina & distinctione tradita, concedendo, unitatem specificam, sicut & specificam distinctionem relationis, non debere desumi à termino sicut à causa; hoc enim modo à solo fundamento sumenda est. sed nego, unitatem, & distinctionem illam non esse à termino sicut à complemento accipiendam.

Inst. ab eo res specificatur, à quo habet *esse*; ut insinuat S. Doctor quodlib. citato: atqui relatio prædicamentalis non habet *esse* à termino, sed à solo fundamento: ergo &c. Prob. min. prædicamentalis relatio ab eo tantùm accipit *esse*, à quo efficienter procedit: atqui relatio prædicamentalis à fundamento efficienter quidem procedit, non tamen à termino; quandoquidem apud Peripateticos, prædicamentalis relatio efficienter non emanat ex termino: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ab eo res specificatur, à quo habet *esse*; vel tamquam à causa, vel sicut à complemento, concedo: à quo

ha-

habet *esse*, semper velut à causa, nego: & distinguo pariter min. atqui relatio prædicamentalis non habet *esse* à termino, sicut à causa, sed à solo fundamento, concedo: non habet *esse* à termino, sicut à complemento, nego. Ad prob. min. distinguo maj. prædicamentalis relatio ab eo tantùm veluti à *causa* accipit *esse* à quo efficienter procedit, concedo: ab eo tantùm *sicut* à complemento essentialiter connotato, accipit esse, à quo efficienter procedit, nego. Unde ut ejusmodi relatio à termino formali, tamquam à complemento essentialiter connotato, *esse* specificum accipiat, satis est, ut ex sua essentia specifica terminum illum connotet, sicuti id, à quo terminatur, completur, & consummatur; prout *suprà dictum est*.

Inst. iterum: relatio prædicamentalis secundùm essentiam *specificam* priùs ex fundamento dimanat, *quàm* in termino compleatur: ergo priùs *à fundamento*, *quàm à termino*, specificatur.

Respondeo distinguendo ant. relatio prædicamentalis secundùm essentiam specificam incompletè & non consummatè, priùs ex fundamento dimanat, quàm &c. concedo: relatio prædicamentalis secundùm essentiam *specificam completè* & consummatè, priùs ex fundamento *dimanat*, *quàm* &c. nego ant. & distinguo pariter consequens: ergo priùs à fundamento, quàm à termino, incompletè & non consummatè specificatur, concedo: ergo priùs à fundamento, quàm à termino, completè atque consummatè specificatur, nego; quin potiùs enim prædicamentalis relationis completa & consummata specificatio, sive specifica illius essentia completè ac consummatè sumpta, ex fundamento, velut ex causa, & ex termino, veluti ex complemento essentialiter connotato, resultat.

Inst. rursus: specifica distinctio rerum, à causa efficiente non petitur; alioquin calor à sole productus, & calor effectus ab igne, specie differrent; quandoquidem sol, & ignis, sunt efficientes causæ differentes specie: atqui fundamentum relationis prædicamentalis est efficiens ejus causa, ex qua nempè efficienter resultat, ut ex dictis liquet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. specifica distinctio rerum à causa efficiente non petitur: si sit causa purè efficiens, concedo: si sit causa, simul & efficiens, & formalis (quale est prædicamentalis relationis fundamẽtũ, modo superiùs explicato) nego.

Inst. tamdem: *paternitas*, & *maternitas*, sunt relationes prædicamentales specie differentes, ipsæ tamen à termino distinctionem specificam non recipiunt, sed à solo fundamento; quandoquidem unicum obtinent terminum formalem, scilicet unicam filiationem, ad quam formaliter terminantur, licèt diversa habeant fundamenta: etenim fundamentum paternitatis est activus patris concursus, concursus verò passivus matris est maternitatis fundamentum; ut colligitur ex Aristotele 1. de gener. anim. cap. 2. & 19. & lib. 2. cap. 4. nec non ex D. Thoma 1.2. quæst. 81. articul. 5. item 3. part. q. 31. art. 5. q. 32. art. 4. & q. 35. ar. 5. ad 3. ergo sunt aliquæ relationes prædicamentales, quæ à fundamento simul & termino non specificantur. Prob. ant. & primò quidem in creaturis, paternitatem, & maternitatem, esse relationes prædicamentales, apud omnes certum est. Quòd verò differant specie, docet D. Thomas 3. par. q. 35. art. 5. ad 3.

Respondeo concedendo, paternitatem & maternitatem esse relationes prædicamentales; at dico, illas quidem differre incompleta seu inadæquata specie, non tamen specie completa & adæquata; quin potiùs enim sunt unius speciei completæ & adæquatæ, in una generatione

ne completa & adæquata fundatæ; quæ generatio coalescit ex activo concursu, quo pater proximè generat prolem; & ex activo concursu, quo mater materiam generationis præparat, disponit, exhibetque; licèt ipsa passivè tantùm se habeat ad influxum patris.

Itaque paternitas, & maternitas, *constituunt* unicam relationem completam & adæquatam, qua *pater* & *mater*, velut unum principium *generativum* adæquatum & completum, ad filium *referuntur*, quæque à generatione completa & adæquata, prout filiationem per modum termini & complementi connotat, specificatur, specificamque habet à cæteris relationibus differentiam & distinctionem.

Objic. 2. D. Thomas 1. p. q. 32. a. 2. sic ait: *Cùm ratio specifica relativi consistat in hoc, quòd ad aliud se habet; necesse est dicere, quòd duæ relationes non sint diversæ secundùm speciem, si ex opposito unica relatio eis correspondeat &c.* quibus verbis docet, relationem specificari à termino formali, ad quem se habet; ex quo concludit, relationes mutuas non distingui nec multiplicari specificè, nisi ipsis correspondeant relationes reciprocæ specie differentes, quæ sint formales illarum relationum termini.

Respondeo concedendo, relationem specificari à termino formali; at non sicut à causa, sed sicut à complemento dumtaxat, cujus specifica multiplicatio requiritur ad specificam relationis pluralitatem.

Inst. ex doctrina sæpiùs à D. Thoma inculcata: omne accidens respectivum, adæquatè specificatur ab eo, quod formaliter respicit; ut patet in potentiis, habitibus, & actibus objectorum formalium respectivis, quæ ab ejusmodi objectis adæquatè specificantur: atqui relatio prædicamentalis est accidens respectivum termini formalis, ipsumque formaliter respicit; ut ex dictis liquet: ergo &c.

Resp.

Respondeo distinguendo ma. omne accidens transcendentaliter respectivum (cujusmodi sunt potentiæ, habitus, & actus, respectu objectorum formalium) adæquatè specificantur &c. concedo: omne accidens prædicamentaliter & purè respectivum (quod nimirum in puro & prædicamentali respectu consistit) adæquatè specificatur &c. subdistinguo: adæquatè specificatur ab eo, sicut à complemento, concedo: sicut à causa, nego: relatio autem prædicamentalis est accidens prædicamentaliter & purè respectivum termini formalis, adeò ut in puro & prædicamentali ad ipsum respectu consistat.

Inst. iterum: relatio prædicamentalis ab eo adæquatè specificatur adæquatè, ad quod specificè definitur: atqui adæquatè ad terminum specificè definitur; ut ex dictis patet: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui adæquatè ad terminum, velut ad complementum, specificè definitur, concedo: atqui adæquatè ad terminum, sicut ad causam, specificè definitur, nego min. & conseq. sub distinctione data.

Inst. rursus: dantur interdum relationes specie differentes, quæ idem obtinent fundamentum, licèt diversos obtineant terminos; sic in nive est similitudo ad Cygnum, & dissimilitudo ad Corvum, quæ tamen in eadem nivis albedine fundantur: ergo relationes illæ non à fundamento, sed à solis terminis, distinctionem specificam consequuntur.

Respondeo distinguendo ant. dantur interdum relationes specie differentes, quæ idem materialiter obtinent fundementum, licèt &c. concedo: quæ idem formaliter obtinent fundamentum, nego: nam quamvis in nive eadem materialiter aut entitativè albedo, similitudinem ad Cygnum, & dissimilitudinem ad Corvum, fundet; non tamen sub eadem, sed sub diversa ratione formali; ita ut, quatenus spe-

cifi-

ciscè cum Cygni albedine convenit, sit similitudinis fundamentum; inquantùm verò nigredini Corvi contrariè opponitur, dicatur dissimilitudinis fundamentum.

Dices 1. si una simplex relatio à fundamento simul & à termino specificaretur, unius rei simplicis duplex esset specificativum: atqui hoc dici nequit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si una &c. unius *rei simplicis* duplex esset specificativum inadæquatum, concedo: duplex esset specificativum adæquatum, nego; reipsa enim fundamentum prout connotat terminum, ita cum eo coaptatur, ut cum ipso unum specificativum adæquatum relationis prædicamentalis constituat.

Dices 2. prædicamentalis relatio à suo opposito *essentialiter* non specificatur: atqui terminus relationis prædicamentalis ipsi opponitur; relatio quippe illa, & ipsius terminus, ad invicem relativè opponuntur; *ut docent communiter* Peripatetici: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. prædicamentalis relatio à suo opposito contrario essentialiter non specificatur, concedo: à suo opposito relativo essentialiter non specificatur, nego; cùm etenim relatio prædicamentalis essentialiter & specificè per ordinem ad suum oppositum relativum, *seu per ordinem ad terminum suum*, definiatur, per ordinem quoque ad ipsum essentialiter specificetur necesse est: & distinguo pariter min. atqui terminus relationis prædicamentalis ipsi opponitur relativè, concedo: ipsi opponitur contrariè, nego.

Dices 3. si prædicamentalis relatio distinctionem aut multiplicitatē specificam à termino acciperet, ea relatio foret multiplex specie, quæ plures terminos specie differentes obtineret: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Min. patet exemplo filiationis, quæ in uno filio, specificè una est, ut colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 35. a. 5. &

ta-

tamen ad duos terminos specie distinctos, si ad duas relationes specie differentes, nimirum ad paternitatem, & maternitatem ordinatur.

Respondeo distinguendo ma. si prædicamentalis relatio &c. ea relatio foret multiplex specie, quæ plures terminos completos & adæquatos specie differentes obtineret, concedo: quæ plures terminos incompletos & inadæquatos specie differentes obtineret, nego: quamvis autem *paternitas* & *maternitas* specie differant; non tamen completè & adæquatè, sed incompletè tantùm & inadæquatè; ut ex dictis liquet: ideòque sunt termini solùm incompleti & inadæquati filiationis unius filii.

§. IV.

Objectiones contra secundam conclusionem diluuntur.

OBjicies 3. in uno & eodem patre duos filios numericè distinctos habente sunt duæ paternitates numero diversæ: ergo in uno & eodem subjecto possunt esse relationes numericè plures, si termini numericè multiplicentur. Prob. ant. ea realiter distinguuntur, quorum unum potest realiter ab alio separari: atqui paternitas, quæ est in patre ad unum filium, ab alia paternitate ad alterum filium, realiter separari potest, si nempè iste filius obeat, alio remanente: ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo ma. ea realiter distinguuntur, quorum unum potest realiter entitativè ab alio separari, concedo; quorum unum potest realiter extensivè dumtaxat ab alio separari, nego: & distinguo pariter min. atqui paternitas, quæ est in patre ad unum filium, ab alia paternitate ad alterum filium, realiter extensivè separari potest; quatenus

pa-

paternitas ad priorem filium terminata potest
ampliùs realiter ad posteriorem filium non ex-
endi, si iste obeat, alio permanente, conce-
lo: atqui paternitas, quæ est in patre ad unum
lium, a alia paternitate ad alterum filium rea-
iter entitativè separari potest, adeò ut sint dux
aternitates, quæ duas entitates realiter distin-
tas realiterque separabiles obtineant, nego.
Instabis: pereunte altero filio, pater non re-
tur realiter ampliùs ad ipsum, cùm tamen
ei ad illum referretur: ergo in patre tunc de-
realis relatio paternitatis, qua ad ejusmodi
m referebatur.

respondeo concesso ant. distinguendo con-
æns: ergo in patre tunc desinit extensivè
s relatio paternitatis &c. concedo conseq.
im patre tunc desinit entitativè *realis re-*
paternitatis &c. nego conseq. licèt enim
relatio paternitatis desinat se ad filium
tem extendere; ejus tamen entitas non
quandiu alter filius in vita persevera-

ries 4. quando pater, nato *primogeni-*
um generat filium, novam acquirit pa-
s relationem; licèt ante secundi filii ge-
em, primogenitus non moriatur: ergo
qui multos genuit filios, revera sunt
tres paternitates solo numero differen-
ant. sive obeat primogenitus, sive non
eodem modo ponuntur novus pater-
nus, (nimirum novus filius) nova-
o. activa, (*quæ est paternitatis fun-*
ergo eodem modo consurgit nova
ellatio.

negando ant. *Ad cujus* prob. dato
q.l. ut enim nova consurgat pater-
cit, ut terminus & generatio acti-
dò ponantur; sed requiritur ne-
jectum eodem modo sit capax,
m: cùm autem duo vel *plura ac-*

cidentia

cidentia solo numero distincta sint in eodem subjecto simul incompatibilia; ut dictum est suprà, & fusè dicetur suo loco; quandiu pater, vivente primogenito, habet ad ipsum paternitatis relationem, tandiu incapax est & impeditus, ne possit novam paternitatis relationem numero differentem simul recipere.

Inst. *posito fundamento cum termino, nova statim resultat relatio*; ut docet commune Peripateticorum axioma: atqui dum pater, vivente primogenito, novum progignit filium, de novo ponitur paternitatis fundamentum, (videlicet generatio activa) cum termino (*nempè* cum novo filio:) ergo tunc nova resultat paternitatis relatio.

Respondeo 1. distinguendo ma. posito fundamento &c. nova statim resultat relatio; velentitativè, vel extensivè, concedo: nova statim resultat relatio, semper entitativè; subdistinguo: si fundamentum & terminus primò ponantur, concedo: si solùm secundò ponantur, sicuti contingit in patre secundum filium procreante, nego. Et cum pari distinctione respondendum est min. & consequenti.

Respondeo 2. cum alia distinctione: posito fundamento &c. nova statim resultat relatio: si subjectum sit illius capax, concedo: si sit incapax, nego; ut autem dictum est, pater, vivente primogenito, incapax est paternitatis novæ, ab ea, quæ est ad primogenitum, numero solo distinctæ.

Dices: multiplicata causa, effectus multiplicetur necesse est: atqui producto filio novo, causa paternitatis, nempè generatio activa, multiplicatur: ergo multiplicatur & paternitas.

Respondeo distinguendo ma. multiplicata causa, effectus multiplicetur, vel entitativè, vel extensivè, necesse est, concedo: multiplicetur semper entitativè, necesse est, nego; unde satis est, ut tunc paternitas extensivè

fiat

ſint multiplex, modo explicato.

Reſpondeo iterum, alio modo diſtinguendo ma. multiplicata cauſa, effectus multiplicetur neceſſe eſt: ſi ſubjectum effectus ſuſceptivum ſitve novi & multiplicati effectus capax, concedo: ſi ſit incapax, nego: ut autem ex dictis liquet, pater ad primogenitum relatus, *eſt novæ & numero multiplicatæ paternitatis ſimul habendæ incapax.*

Dices iterum: cùm relatio nihil aliud ſit quàm ad terminum reſpectus, multiplicatis numero terminis, debet ipſa quoque numero multiplicari: atqui dum pater plures habet filios, terminivini paternitatis, nempè filii, numero multiplicantur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. cùm relatio &c. *debet ipſa* quoque numero multiplicari: ſi relationis *ſubjectum* ſit ad relationem numericè multiplicem expeditum, concedo: ſi ſit impeditum aut *ineptum*, ſicuti eſt pater ad plures numero paternitatis relationes, nego.

Dices rurſus: relatio ſpecie *multiplex* eſt ad ſpecificam terminorum multitudinem; ut ex dictis conſtat: ergo etiam numero multiplex cenſenda eſt ad numericam terminorum multiplicationem.

Reſpondeo negando conſeq. & paritatem. *Diſparitas eſt*, quòd ſpecifica diſtinctio relationum petitur ex ſpecifica terminorum diverſitate, modo ſuperiùs expoſito; unde neceſſe eſt, ut ipſæ diſtinguantur & multiplicentur ſpecificè, ad ſpecificam illorum diverſitatem: at *diſtinctio* numerica relationum, cæterorumque accidentium ſubjecto inhærentium, deſumitur à ſubjecto, (ut breviter oſtenſum eſt ſuprà, & fusè ſuo loco probabitur) quod proinde niſi multiplicetur, nunquam relatio (aut quodvis aliud accidens ſubjecto inhærens) numericè variabitur, quantumvis multi ſint numero termini.

Urgeb. plures ſpecie relationes poſſunt in eodem

dem subjecto simul recipi: sic v. g. similitudo, & dissimilitudo, in eadem nive per respectum ad Cygnum, & Corvum, simul inveniuntur; ut ex dictis liquet: ergo etiam plures paternitates solo numero differentes, per ordinem ad diversos filios, possunt simul eidem inesse patri. Conseq. ex eo suadetur, quòd quæ differunt specie, etiam numero differunt; imò pluspiam numero discrepant.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem. Disparitas in hoc est, quòd relationes non accipiunt distinctionem specificam à subjecto, sed à fundamento & termino; unde quamvis eidem insint subjecto, adhuc tamen specie distingui possunt: at plures paternitates distinctionem numericam à subjecto desumunt; & ideò si simul eidem subjecto, nimirum eidem patri, inessent, distinctionem aut differentiam numericam ampliùs non haberent. Licèt autem quæ distinguuntur specie, eminenter & latè differant numero, quatenus distinctio specifica major & superior est distinctione numerica, eamque eminenter continet; formaliter tamen & strictè, numero non discrepant.

Objic. 5. tunc pater novam accipit relationem, quando de novo refertur: atqui pater ad filium secundò genitum de novo refertur: ergo &c. Prob. min. referri, est ad aliud ordinari: atqui pater ad filium secundò genitum de novo ordinatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc pater novam accipit relationem, quando de novo entitativè refertur, concedo: quando de novo extensivè refertur, nego. Et distinguo pariter min. atqui pater ad filium secundò genitum de novo extensivè refertur; quatenus relatio paternitatis anteà entitativè existens, ad filium secundò genitum de novo extenditur, concedo: atqui pater ad filium secundò genitum de novo entitativè refertur, ita ut novam relatio-

lationis entitatem acquirat, *nego* ant. & conseq. *sub* distinctione data. *Ad prob. min.* data maj. distinguo similiter min. *atqui* pater ad filium secundò genitum de novo extensivè ordinatur, quatenus relationis ordo ad *illum* filium de novo extenditur, concedo : *de novo* entitativè ordinatur, adeò ut ordo ad *ejusmodi filium de* novo entitativè à patre acquiratur, *nego min.* & *conseq. sub pari* distinctione.

Dices: Aristoteles in hoc cap. docet, relata *esse simul* natura & cognitione : atqui si in patre, *qui plures* genuit filios, non essent simul plures paternitates numero distinctæ, sed ipse pater unica paternitate multos respiceret filios, relata non essent simul natura & cognitione : ergo &c. *Prob. min. nam pater & filius, sunt duo relata ; ut patet : in illa* verò hypothesi, pater *tum ad filium primogenitum* relatus, non foret *simul cum filio* secundogenito; sed potiùs esset *eo prior, etiam tempore.*

Respondeo *distinguendo maj. Aristot. in hoc cap.* docet, *relata* formaliter *sumpta esse simul* natura & cognitione, concedo : docet, *relata* materialiter accepta, esse simul &c. nego. Licèt autem pater ad filium primogenitum relatus, materialiter aut entitativè sumptus, non sit simul *natura* & cognitione cum filio secundogenito; *est tamen simul cum* illo, si consideretur formaliter ut correspondens & coexistens ipsi filio secundo genito : quando verò ait Aristoteles, *relata* esse simul natura & cognitione, *id venit* intelligendum de relatis formaliter *acceptis*, quæ sibi mutuò correspondent & coexistunt.

Articulus Quintus.

De proprietatibus relationis, ejusque coordinatione.

Quinque relationis proprietates hìc Aristoteles recenset. Prima est, quòd relatio non habeat contrarium propriè dictum. Si enim duæ relationes possent esse sibi mutuò contrariæ, maximè similitudo, & dissimilitudo; ut patet: hæ autem duæ relationes propriè non opponuntur contrariè. Nam contraria propriè dicta se se ab eodem subjecto mutuò expellunt, adeò ut eidem subjecto nunquam simul inesse possint; ut liquet in calore & frigore, quæ eidem ligno simul inhærere nequaquam possunt: similitudo autem & dissimilitudo eidem nivi, per respectum ad Cygnum, & Corvum, simul insunt; ut suprà ostensum est: similitudo igitur & dissimilitudo non sunt duo *contraria*, sed duo *relativa*; quæ se invicem non excludunt, sed se se mutuò respiciunt.

Secunda proprietas est, quòd relatio non suscipiat magis & minùs; id est, quòd non possit intendi & remitti. Hinc genitor non est modò magis, & modò minùs pater. Ratio autem hujus veritatis petitur ex dicendis in Physica. Ut enim ibi dicetur, ea tantùm forma intendi potest & remitti, quæ latitudinem habet gradualem, consistentem in gradibus superioribus & inferioribus, à quibus fieri potest intensionis & remissionis motus: obtinere verò ejusmodi gradus, proprium qualitatis est, ex communi Peripateticorum doctrina.

Tertia proprietas est, quòd *relativa* dicantur ad convertentiam; id est, quòd unum explicetur per conversionem ad alterum, & è converso. Ratio est, quia relativa (sal em mutua) se invicem respiciunt; ideòque debet unum per respectum

quum ad aliud exponi, & vice versa. Hinc pater dicitur ad filium, & filius dicitur ad patrem; unde pater est filii pater, & filius est patris filius.

Quarta proprietas est, quòd *relativa* sint simul natura. Ex Aristotele autem in Postprædicamentis cap. de modis *simul*, duo requiruntur, ut aliqua sint simul natura. Primum est, ut mutuò se inferant, adeò ut ab uno ad aliud sit mutua legitimaque consequentia. Hinc rectè dicitur: *Est pater, ergo est filius: est filius, ergo est pater*. Secundum, quoad simultatem naturæ inter duo opus est, quòd unum formaliter non sit causa alterius: hinc licèt pater materialiter sumpt entitativè sit, ut genitor, causa alterius, qui vocatur filius, quem genitor generando causavit; attamen formaliter *ut pater*, & ratione paternitatis, non est causa filii. Hæc verò proprietas cum præcedenti, solis relativis mutuis intrinsecè convenit; relativis verò non mutuis extrinsecè solùm, ex parte unius extremi, competit; utraque enim proprietas illa sequitur relationem, ambo extrema relativa seu relata afficientem & denominantem; sola autem relativa mutua intrinsecè *relata* denominantur, alterum verò ex relativis non mutuis extrinsecè duntaxat *relatum* denominatur; ut ex superiùs dictis & explicatis liquet.

Quinta & ultima proprietas est, quòd relativa sint simul cognitione & definitione, ita ut unum nequeat cognosci aut definiri, nisi per respectum ad aliud, & vicissim. Sic dominus cognosci aut definiri non potest, nisi per respectum ad servum; neque servus, nisi per ordinem ad dominum. Ratio hujus est: quia formalis ratio *relativi* consistit in mero ad aliud, sive ad terminum, respectu. Hæc proprietas solis relativis mutuis intrinsecè tribuenda est; relativis autem non mutuis extrinsecè duntaxat, ex parte unius extremi, est concedenda; quoniam ista

etiam

etiam proprietas ſequitur relationem ambo extrema relata denominantem, intrinſecè quidem ambo relativa mutua, ſed extrinſecè tantùm alterum relativorum non mutuorum.

Duæ priores relationis proprietates, (nempè non habere contrarium, & non ſuſcipere magis & minùs) ei non competunt quarto modo, cùm etiam ſubſtantiæ & quantitati conveniant: aliæ verò tres proprietates, prout relationem ambo extrema relata intrinſecè, vel extrinſecè, denominantem conſequuntur, dici poſſunt relationi quarto modo convenientes; adeò ut omni relationi, ſoli, & ſemper competant.

Coordinatio autem prædicamenti relationis eſt ordinata relationum prædicamentalium ſub uno ſupremo genere collocatio. Itaque occurrit in primis relatio prædicamentalis univerſaliſſimè ſumpta, tanquam ſupremum hujus prædicamenti genus. Sub iſto genere ſupremo, tria alia genera ſubalterna, quæ dicuntur primum genus, ſecundum, & tertium, continentur. Primum genus ſubdividitur in relationes, quæ in unitate, vel numero, id eſt, in convenientia, aut diſconvenientia, fundantur. Relatio in convenientia fundata, ſubdividenda eſt in relationem identitatis, cujus fundamentum eſt convenientia in ſubſtantia; in relationem æqualitatis, quæ pro fundamento habet in quantitate convenientiam; & in relationem ſimilitudinis, cujus fundamentum eſt in qualitate convenientia. Relatio verò, quæ in diſconvenientia fundatur, diſtribuenda eſt in relationem diverſitatis, quæ eſt inter extrema in ſubſtantiæ diſconvenientia; in relationem inæqualitatis, quæ invenitur inter extrema in quantitate ſeu magnitudine differentia; & relationem diſſimilitudinis, quæ reperitur inter extrema in qualitate diſcrepantia.

Secundum autem relationum genus dividitur in relationem, quæ in actione fundatur; ut eſt

pa-

paternitas, cujus fundamentum est actio generativa, seu generatio activa: & in relationem, quæ pro fundamento habet passionem; ut est filiatio, cui correspondet generatio passiva, tanquam fundamentum.

Tertium denique relationis genus sub se relationem mensurati ad mensuram comprehendit. Hæc verò relatio subdividenda est juxta diversitatem potentiarum, habituum, & actuum, quorum perfectio per objecta formalia mensuratur. Relatio rei exemplatæ ad exemplar sub eodem genere continetur. Allatæ relationes possent rursus in alias subdividi; sed eas recensere non est necesse.

§. UNICUS.

Quædam objectiones solvuntur.

OBJ. 1. contra primam proprietatem: illæ relationes propriè contrariantur, quarum fundamenta sunt propriè contraria; relationes quippe conditionem fundamentorum sapiunt: atqui quarundam relationum prædicamentalium fundamenta sunt propriè contraria; ut patet in relationibus, quæ sunt inter *album* & *nigrum*, quarum fundamenta sunt albedo & nigredo, quæ propriè contrariantur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. illæ relationes, ex parte fundamentorum, propriè contrariantur, quarum &c. concedo: illæ relationes, ex parte sui, propriè contrariantur, quarum fundamenta sunt propriè contraria, nego. Dum autem dicitur, relationes debere conditionem fundamentorum sapere; hoc verum est intra genus relationis, non autem extra. Unde si relatio fundetur in substantia aut natura substantiali ejusdem rationis, erit relatio identitatis: si verò fundetur in quantitate æqualis magnitudinis, erit

relatio æqualitatis; & sic de cæteris relationibus. Habere autem contrarium propriè dictum est extra relationis genus, & ad genus aut prædicamentum qualitatis pertinet.

Objic. 2. contra 2. proprietatem: tunc aliquid suscipit magis & minùs, quando est, modò magis, & modò minùs, tale: atqui unum relativum, modò magis, & modò minùs, tale est; ergo &c. Prob. min. exemplo: etenim ignis calidus, & ferrum calidum, sunt duo relativa, utpotè duo similia; ferrum autem prout modò magis, & modò minùs, est calidum: est modò magis, & modò minùs, igni simile; ac proinde modò magis, & modò minùs, *relativum* relationis similitudinis est dicendum.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui unum relativum fundamentaliter, seu ex parte fundamenti, modò magis, & modò minùs, tale est, concedo: atqui unum relativum formaliter, sive ex parte formalis relationis, modò magis, &c. nego. Ad exemplum ferri calidi, respondeo pariter, concedendo, ferrum illud esse fundamentaliter, modò magis, & modò minùs, simile igni; quatenus calor, qui in eo est similitudinis fundamentum, intendi potest & remitti, de factoque modò intenditur, & modò remittitur: sed negando, hujusmodi ferrum esse formaliter, seu ex parte formalis relationis similitudinis, modò magis, & modò minùs, igni simile; ad hoc quippe necesse foret, ut illa relatio, modò intenderetur, & modò remitteretur, quod fieri nequit; ut ex dictis liquet.

Objic. 3. contra 3. proprietatem: proprietas alicujus rei, nulli alteri debet convenire; alioquin proprietas ejus nequaquam foret: atqui, *dici ad convertentiam*, convenit alteri à relatione; revera namque omnis essentia cum proprietate, & omnis proprietas cum essentia, ad convertentiam dicuntur, sive convertuntur inter se: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui

qui *dici ad convertentiam*, ratione connexionis necessariæ unius cum alio, convenit alteri à relatione, concedo: ob hanc enim connexionem, essentia & proprietas in quovis genere, & in quavis specie, inter se convertuntur: atqui *dici ad convertentiam*, ratione puri respectus mutui prædicamentalis, ambo extrema convertenda efficientis & denominantis, adeò ut se invicem mutuò formaliter respiciant, convenit alteri à relatione, nego: sola enim relatio prædicamentalis mutua habet, quòd sit hoc modo purus respectus.

Objic. 4. contra 4. proprietatem: pater & filius sunt duo relativa, ut patet; & tamen non sunt simul natura: ergo non omnia relativa sunt simul natura. Prob. ant. ut duo sint simul natura, unum non debet esse causa alterius; ut ex dictis liquet: atqui pater est causa filii: ergo &c.

Respondeo concessa 1. p. ant. distinguendo 2. p. *hoc* modo: & tamen non sunt simul natura: immaterialiter & in esse entis considerentur, concedo: nam causa & effectus non sunt simul natura; quin potiùs enim causa, ut causa, est effectu prior, prioritate naturæ; pater autem materialiter & in ratione entis, est generativa filii causa: si formaliter & in esse *relativi*, sive formaliter, prout sunt duo correlativa, spectentur, nego; licèt etenim correlatio in patre præsupponat conditionem causæ, & in ea fundetur, ipse tamen pater per correlationem, sive per paternitatem, non causat filium, sed ipsum purè respicit.

Objic. 5. contra 5. proprietatem: efficiens causa creata, & effectus ejus, sunt duo relativa; reipsa namque ad se mutuò referuntur: & nihilominùs nequaquam sunt simul cognitione; quin potiùs enim causa est medium priùs cognitum, in quo effectus à priori cognoscitur: ergo verè non asseritur, omnia relativa esse simul cognitione.

Respondeo concessa 1.p. ant. distinguendo 2.p. & nihilominùs nequaquam sunt simul cognitione; quin potiùs &c. si materialiter ant in esse entis accipiantur, concedo: si formaliter, seu in esse *relativi* concipiantur, nego ant. & conseq. sub distinctione data.

QUÆSTIO QUINTA.

De prædicamento qualitatis.

QUALITAS generaliter sumpta, significat id omne, quod aliud qualificat, id est, actuat, modificat, & determinat. Unum autem potest aliud actuare & determinare dupliciter; nempè, vel substantialiter, vel accidentaliter: & ideò duplex qualitas assignatur; nimirum una substantialis, & altera accidentalis. Prior est, quæ subjectum ad esse substantiale determinat. Hæcque iterum duplex est; una est physica, & est forma substantialis, materiam primam ad tale esse substantiale, verbi gratia ad *esse hominis* determinans; altera metaphysica, estque differentia essentialis aut specifica, quæ est generis ad tale esse specificum substantiale, verbigratia ad *esse rationale*, determinativa; & ita usurpatur differentia ab Aristotele 5. Metaph. cap. 14. & alibi. Hinc differentia essentialis & specifica dicitur predicari in *quale quid*.

Qualitas accidentalis est, qua subjectum ad esse accidentale determinatur; & quidem modo communi omnibus accidentibus ad novem prædicamenta accidentalia pertinentibus; in quo sensu, omne accidens prædicamentale potest *qualitas* nuncupari; hinc omne accidens in

quale

quale accidentale predicatur. Demùm qualitas ſtrictè ſumi poteſt pro forma accidentali, quæ ſubſtantiam aliquo ſpeciali modo determinat, ita ut ab ea ſpecialiter *qualis* denominetur; & per eam reſpondeatur ad quæſtionem *qualis ſit ſubſtantia*? qualitas iſto modo ultimo accepta conſtituit hoc quartum prædicamentum. De qualitate verò prædicamentali quatuor quæruntur, videlicet, an, quid, & quotuplex ſit, & quas habeat proprietates?

ARTICULUS PRIMUS.

An, quid, & quotuplex ſit qualitas?

ARiſtoteles hìc definit qualitatem iſtis verbis: *Qualitatem dico, ſecundùm quam aliqui dicuntur eſſe quales*: quam definitionem rejiciunt multi Recentiores; inter quos, Mendoſa diſp. 114. Metaph. §. 2. illam irridet, eamque vocat *inanem nugationem*. Illa tamen Peripatetici, Præceptorem ſuum venerantes, communiter utuntur.

Advertunt nihilominùs Boetius, Ammonius, Simplicius, & alii, definitionem illam non eſſe ſtrictam rigoroſamque, ſed adumbratam duntaxat qualitatis deſcriptionem. Nec mirum; nam ſuprema genera (cujuſmodi eſt qualitas univerſaliſſimè ſumpta) ſtrictè definiri nequeunt; ſtricta namque definitio ea tantùm eſt, quæ rem per genus & differentiam explicat; & idcircò res ſtrictè definibilis habeat, neceſſe eſt, genus ſe ſuperius, quod per differentiam contrahat; ſupra autem genera ſuprema nullum genus ſuperius datur, alioquin non eſſent genera ſuprema. Hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor opuſc. 48. Sanè, cùm qualitas, prout eſt ſupremum hujus prædicamenti genus, varia accidentia, tum ſpiritualia, tum corporea, comprehendat; vix notio per ſtrictam definitionem expli-

cari potest, quæ accidentibus adeò diversis aptari possit.

Cæterùm, quamvis illa qualitatis definitio non sit rigorosa, contemnenda tamen non est. Tũ quia traditur ab Aristotele, Peripateticorum Principe: Tum etiam, quoniam ea definitio est admittenda, quæ ad rem, quæ occurrit definienda, explicandam apta est; ejusmodi verò est ista qualitatis definitio: *Qualitas est accidens secundùm quòd dicimur quales*: quæ desumitur ex Aristotelis verbis suprà allatis. Datur enim per *quale*, quod quoad nos est qualitate notius; cùm etenim pro præsenti statu conjunctionis animæ nostræ cum corpore, omnis cognitio nostri intellectus originetur à sensu; illud in eodem statu quoad nos notius est, quod ratione sui à sensu percipitur; *quale* verò, verbi gratia *album*, ratione sui à visu apprehenditur; non autem *qualitas*, v. g. *albedo*, quæ ut talis & in abstracto, à solo intellectu concipi potest. Tum etiam, quia effectus, quoad nos, notior est causa; prout communiter dicitur: *quale* verò est formalis effectus qualitatis: nam sicut *album* ab albedine formaliter procedit, sic *quale* à qualitate formaliter causatur.

Accuratiùs verò definiri potest qualitas prædicamentalis: *Accidens completum, modificativum seu determinativum substantiæ in se ipsa.* Quarum definitio ex doctrina D. Thomæ multis in locis eruitur; sed præsertim 1. part. quæst. 28. art. 2. & 1. 2. quæst. 49. artic. 2. Quam definitionem esse bonam, constat in primis ex quòd ex Angelico Doctore colligitur. Deinde ex eo, quòd legitimè definitionis conditiones obtinet: exponit quippe id, in quo prædicamentalis qualitas cum cæteris prædicamentis accidentalibus convenit; quæ inter sunt accidentia completa, solà quippe entia complecta directè in prædicamentis locantur. Dum autem qualitas dicitur *sim-*

n

loeu determi-
naatur id; quo qualitas prædica-
liiis prædicamentis accidentalibus dif-
distinguitur. Nam in primis, quanti-
iè & *simpliciter* non determinat sub-
si sed eam duntaxat reddit determi-
per alia accidentia, quæ mediante
ate in substantia recipiuntur, ipsamque
modificant seu determinant. Per cæte-
ò prædicamenta accidentalia, substan-
om in se ipsa, seu in ordine ad se ipsam,
ordine ad aliquid extrinsecum; directè
r se primò determinatur; per *actionem*
em in ordine ad agens, per *passionem* verò
ordine ad effectum, per *ubi* & *situm* in ordi-
ad locum, per *quando* in ordine ad tempus,
per *habitum* in ordine ad indumentum; prout
nfrà exponetur.

EX duplici qualitatis definitione colligitur, quid sit qualitas; quid enim res sit, ipsius definitio exponit. Facilè etiam inferri potest, an sit seu existat qualitas: evidentissimum enim est, scientias, naturales potentias, colores, figuras, & similes qualitates existere.

Qualitas prædicamentalis generaliter sumpta, tesiè atque adæquatè in quatuor species subalternas dividitur: quarum prima in habitum, & dispositionem subdividitur; secunda in potentiam, & impotentiam; tertia in passionem, & patibilem aut passibilem qualitatem; & tandem quarta in formam, & figuram. Hæc divisio apud Philosophos communis est. Aliqui tamen sunt, qui formam & figuram nolunt esse qualitates. Alii cum Boetio volunt, admittendas esse alias qualitates, præter enumeratas.

Hujus autem divisionis bonitas ex eo constat, quòd qualitas nihil aliud est, quàm accidens determinativum substantiæ in se ipsa; ut ex dictis.

ctis patet: quatuor autem modis duntaxat substantia in se ipsa accidentaliter determinari potest. Primò quidem secundùm suum esse; & hoc per primam speciem in habitum & dispositionem divisam, cujus proprium munus est, determinare substantiam in se ipsa, ut benè, vel malè, se habeat secundùm esse suæ naturæ, ut infrà dicetur. Secundò in ratione principii absolutè operandi; idque præstatur per secundam speciem, quæ ex proprio munere ad absolutè operandum ordinatur. Tertiò in ratione objecti sensibilis, id est, in ratione objecti à sensu externo perceptibilis; & hoc facit tertia species, quæ est qualitas sensibilis, qua objectum formale sensus externi constituitur. Quartò tandem in ratione entis quanti, aut in partes extensi; idque præstat quarta qualitatis species, cujus officium est, determinare & disponere partes quantitatis in se, juxta connaturalem subjecti exigentiam; efficiendo in homine, verbi gratia, ut caput collo immediatè jungatur, & sic de reliquis partibus hominis, prout ipse homo naturaliter exigit; ut fusiùs infrà exponetur. Nulla verò qualitas assignari potest, quæ ad alteram ex his quatuor speciebus non revocetur, prout hic Philosophus advertit; idcòque illa qualitatis divisio omnes omninò qualitates adæquatè comprehendit.

Hujusmodi autem divisio non tantùm recta est & adæquata, sed etiam essentialis seu generis in species, quæ nimirum naturam genericam essentialiter participent, & ab invicem essentialiter differant. Est contra quosdam antiquos Philosophos, existimantes, divisionem istam non esse generis in species, sed duntaxat qualitatis in diversos accidentales modos. Idem quoque sentiunt Scotus, & aliqui Recentiores. Nostra tamen doctrina apud Peripateticos communis est; desumiturque ex Aristo-

Aristotele in hoc cap. ubi quatuor relatas qualitates vocat species; sicut & genera subalterna, quæ videlicet sub qualitate prædicamentali universalissimè sumpta, sicut sub supremo genere, continentur, & in species inferiores dividuntur.

Ratio etiam id suadet. Etenim categoria, apud omnes Peripateticos, est series generum, specierum, & individuorum; debent ergo in categoria qualitatis genera, species, & individua inveniri: adeò ut supremum genus qualitatis dividatur in genera subalterna; hæc verò in species, & species in individua, distribuantur: illa verò genera subalterna, seu illæ qualitatis species subalternæ sunt quatuor superiùs allatæ, quæ in species infimas, & species infimæ in individua subdividuntur.

Sanè, ea divisio essentialis est, cujus membra dividentia essentialiter naturam totius divisi participant; membra verò dividentia præfatæ divisionis, nimirum habitus & dispositio, potentia & impotentia, patibilis qualitas & passio, ac demùm forma & figura, naturam totius divisi, videlicet qualitatis in communi, essentialiter obtinent; sicuti animalia particularia sunt naturam animalis in communi essentialiter participantia: unde sicut hæ prædicationes sunt essentiales: *Homo est animal, leo est animal*, &c. ita essentiales quoque sunt prædicationes istæ: *Habitus est qualitas, potentia est qualitas*, &c.

§. I.

Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra qualitatis definitionem ab Arist. traditam: *Qualitatem dico, secundùm quam aliqui dicuntur esse quales*: ea definitio mala est, in qua idem definitur per se ipsum; ut patet: atqui in illa definitione idem per se ipsum definitur; cùm *qualitas*, & *quale*, in rei veritate idem sint: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ea definitio mala est, in qua idem definitur per se ipsum eodem modo consideratum, concedo: in qua idem definitur per se ipsum alio & notiori modo spectatum, nego: in illa verò definitione idem per se ipsum definitur secundo duntaxat modo; licèt enim *qualitas*, & *quale*, in rei veritate, id est, realiter, idem sint; attamen non eodem modo se habent: sed *qualitas* est in abstracto, habetque se modo quoad nos minùs noto; *quale* autem est in concreto, & se habet modo quoad nos notiori; ut ex *dictis* liquet.

Objic. 2. ut *qualitas* per *quale* rectè definiretur, deberet *quale* esse notius qualitate; debet quippe definitio esse re definita notior & clarior: atqui *quale* non est qualitate notius, sed potiùs è contra, qualitas notior est *quali*; etenim ad cognoscendum quid sit *quale*, in primis sciendum est, quid sit *qualitas*: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ut *qualitas* per *quale* rectè, & strictè, ac rigorosè definiretur, deberet, &c. concedo: ut *qualitas* per *quale* rectè quidem, sed latè solùm ac descriptivè, definiretur, deberet &c. subdistinguo: deberet *quale* quoad nos esse notius *qualitate*, concedo: deberet *quale* quoad se esse notius *qualitate*, nego. Licèt autem *qualitas* quoad se & naturam suam, sit

per

per modum causæ formalis, notior *quali*; attamen *quale* quoad nos, per modum effectus formalis, notius est *qualitate*; prout ex dictis constat. Quando verò dicitur, quòd ad cognoscendum quid sit *quale*, inprimis sciendum est, quid sit *qualitas*; hoc verum est, si velimus *quale* cognoscere cognitione à priori, quæ à causa cognita ad effectum percipiendum procedit; at *id* falsò dicitur, si *quale* cognoscamus cognitione à posteriori, quæ ad formalem qualitatis effectum immediatè terminetur.

Dices: Aristoteles in hoc cap. qualitatem per *quale*, & rursus *quale* per qualitatem definit: ubi circulum vitiosum manifestè committit.

Respondeo negando, Aristotelem ibi ullum committere circulum vitiosum. Tunc enim duntaxat iste circulus in definitione committitur, cùm idem per se ipsum eodem modo expressum definitur; ita ut idem sit prius & posterius, item notius & ignotius se ipso: dum autem idem per se ipsum alio & notiori modo expressum definitur, ibi circulus vitiosus nequaquam invenitur: hoc verò ultimo modo se habent *qualitas*, & *quale*. Nam primò diversis terminis, nimirum *qualitas* termino abstracto, & *quale* termino concreto, exprimuntur. Deinde, cùm *qualitas*, & *quale*, se habeant sicut formalis causa, & effectus formalis; *qualitas* est quoad se notior, *quale* verò quoad nos notius est; ex generali regula, secundùm quam, causa quoad se est effectu notior, effectus autem quoad nos notior est. Et idcò, postquàm Philosophus *qualitatem* per *quale*, sicut per aliquod nobis familiare & notum, explicuit; deinde *quale* per qualitatem, tanquam per aliquid quoad se notius, convenienter definit.

Obje. 3. si qualitas per *quale* definiretur, *quale* ingrederetur definitionem qualitatis; ut patet: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Prob. min. cùm *quale* significet qualitatem, si *quale*

ingrederetur definitionem qualitatis, eam quoque qualitas intraret: abſurdum verò eſt, qualitatem intrare definitionem qualitatis; naim alioquin, contra commune Philoſophorum axioma, *Definitum definitionem ingrederetur*.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. licèt enim *quale* ſignificet qualitatem; non tamen in abſtracto, ſed in concreto, & modo quoad nos notiori: nihil autem impedit, ne qualitas in concreto ſignificata, & modo quoad nos notiori expreſſa, ponatur in definitione qualitatis in abſtracto ſignificatæ, & modo quoad nos minùs noto expreſſæ. Neque hinc ſequitur, definitum ingredi definitionem: definitum quippe tunc eſt qualitas in abſtracto ſumpta, non verò in concreto conſiderata.

Objic. 4. contra alteram qualitatis definitionem: bona definitio non debet alteri à re definita convenire; prout docent communiter Peripatetici: atqui definitio illa convenit alteriâ re ut qualitate definita, nimirùm competit quantitati: ergo &c. Minor ſuadetur ex eo, quòd quantitas eſt accidens completum (utpotè accidens prædicamentale) modificativum ſeu determinativum ſubſtantiæ in ſe ipſa; modificat namque ac determinat ſubſtantiam in ſe ipſa, ut in partes extenſa diviſibiliſque fiat.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. etenim quantitas verè quidem & propriè eſt accidens completum: at propriè & ſimpliciter non eſt modificativa aut determinativa ſubſtantiæ in ſe ipſa; nam quantitas reddendo ſubſtantiam in partes extenſam diviſibilemque, non tam modicat aut determinat ipſam, quàm facit eam modificabilem atque determinabilem per alia accidentia, quorum eſt velut janua; ita ut ipſa mediante, in ſubſtantia recipiantur.

Dices: ſaltem illa definitio aliis accidentibus

præ-

prædicamentalibus, nempè relationi, actioni, passioni, &c. convenit; hæc enim accidentia propriè substantiam modificant determinativè; ut ex dictis liquet.

Respondeo negando, definitionem illam relationi, cæterisque accidentibus prædicamentalibus è quantitate distinctis competere; quamvis etenim ejusmodi accidentia propriè substantiam modificent ac determinent; non tamen in se ipsa, sed in ordine ad se ipsam, sed in ordine ad aliquid extrinsecum, modo superiùs explicato.

Dices iterum: quædam qualitates sunt, quæ substantiam in ordine ad aliquid extrinsecum determinant: ergo prædicta definitio illis non convenit. Ant. patet in habitibus, & potentiis, quæ substantiam in ordine ad operationes & objecta determinant.

Respondeo distinguendo ant. quædam qualitates sunt, quæ substantiam in ordine ad aliquid extrinsecum indirectè determinant, concedo: quæ substantiam in ordine ad aliquid extrinsecum directè determinant, nego; siquidem habitus & potentiæ, directè & ex primo respectu, substantiam in ordine ad naturam ipsius determinant; tametsi illam indirectè, & ex secundo ac tertio respectu, ad operationes & objecta modificent: in quo qualitas à relatione, & aliis accidentibus prædicamentalibus à quantitate distinctis, discrepat; his namque accidentibus substantia directè in ordine ad aliquid extrinsecum determinatur.

Objic. 5. Aristoteles 5. Metaph. textu 19. enumerans species qualitatis, tres tantùm recenset, secunda prætermissa: ergo quatuor qualitatis species non rectè assignantur.

Respondeo negando conseq. nam Philosophus textu citato secundam qualitatis speciem prætermittit; non quia eam non admittit, sed dumtaxat quoniam textu 15. præcedenti illam abundè explicuerat. Attamen hic

qua-

quatuor qualitatis species & adducit, & exponit.

Dices: Arist. traditis hìc quatuor qualitatis speciebus, ista verba subjungit: *Fortasse autem & alius quispiam qualitatis modus videbitur esse: qui tamen maximè dici solent, hi ferè sunt:* quibus verbis insinuat, præter quatuor enumeratas species, posse alias assignari; proindèque divisio qualitatis in quatuor illas species, adæquata non est.

Respondeo cum Aristotelis interpretibus, ipsum modestiæ causa fuisse ita locutum: & similia verba singulis addere tractatibus, quasi rem absolutam non præstiterit.

Cæterùm hic asserit, se non agnoscere alias qualitatis species; & si quæ videantur aliæ posse assignari, ad has quatuor facilè revocari. Addunt alii, Aristotelem illis verbis solùm insinuare, esse plura alia qualitatum exempla, præter illa, quæ ipse adducit; non tamen esse plures alias qualitatis species, præter quatuor ab ipso assignatas.

§. II.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 6. recta & adequata alicujus totius divisio debet sola membra sub toto illo contenta enumerare; ut patet: atqui talis non est allata qualitatis divisio: ergo &c. Min. ex eo declaratur, quòd in illa divisione enumeratur habitus, qui sub qualitate non coarctatur, sed ad omnia prædicamenta se extendit; *habitus* quippe ab *habendo* derivatur, dicimur verò habere substantiam, quantitatem, relationem, & alias res ad cætera prædicamenta pertinentes.

Respondeo concessa ma. negando min. etenim *habitus* dupliciter accipi potest; videlicèt, vel secundùm id, à quo nomen imponitur; vel secun-

...undùm id, ad quod ſpecialiter ſignificandum or-
...dinatur; priori modo ſumptus vocari ſolet *modus*
habendi, poteſtque ad ſingula reduci prædica-
...menta. Poſteriori autem modo uſurpatus, eſt
ſpeciale membrum, ſeu peculiaris ſpecies quali-
...tatis prædicamentalis in *communi* acceptæ, &
ad alia prædicamenta ſe non extendit.

Objic. 7. in bona diviſione debent membra di-
...videntia ſeſe mutuò excludere, & inter ſe no,
confundi: atqui in allata qualitatis diviſione-
membra dividentia ſeſe non excludunt, ſed po-
...tiùs inter ſe confunduntur: ergo &c. Prob. min.
primum membrum dividens, ſeu prima ſpe-
...cies, nempè habitus, cum aliis tribus confundi-
...tur: habitus enim primam ſpeciem conſtituens;
qualitas determinans ſubſtantiam ad hoc, ut
...se habeat ſecundùm eſſe ſuæ naturæ; ut infrà
...constabit: hoc autem totum tribus aliis ſpeciebus
...competit; ſiquidem homo per potentiam intelle-
...ctivam, quæ eſt in ſecunda ſpecie, *ignis* per ca-
...lorem, ad tertiam ſpeciem ſpectantem, & *leo*
...per figuram leoninam, quæ ad quartam ſpeciem
...pertinet, determinantur ad benè ſe habendum ſe-
...cundùm eſſe ſuæ naturæ.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. nego
...que, primam ſpeciem prædicamenti quali-
...tatis, nempè habitum, cum aliis tribus ejuſdem
...prædicamenti ſpeciebus confundi. Habitus nam-
...que primam ſpeciem conſtituens, formaliter,
...& ex vi formalis rationis ſuæ, qua in ſe eſſentia-
...liter conſtituitur, atque ab omnibus aliis diſtin-
...guitur, eſt *qualitas &c.* quod nulli alteri con-
...venit: licèt enim intellectiva hominis potentia,
...calor ignis, figura leonina, &c. ſubjectum de-
...terminent ad benè eſſe, ſecundùm naturam ip-
...ſius; non tamen formaliter, ſed concomitanter
...ſeu, ideſt, ex vi conditionis generalis, ſe-
...cundùm quam ſunt accidentia ſubjecto connatu-
...ralia; quæ quidem conditio generalis formalem
...earum rationem concomitatur. Cæterùm po-

ten-

tentia intellectiva formaliter est præcisè proximum absolutè intelligendi principium: calor verò est qualitas sensibilis, constituens subjectum formaliter calidum; figura leonina est qualitas, in leone disponens partes quantitatis ejus in se; & sic de cæteris.

Inst. proximum operandi principium confunditur cum potentia, quæ est secunda qualitatis species; cùm & ipsa sit revera proximum principium operandi: atqui habitus est proximum operandi principium; sic, v. g. habitus scientificus est proximum principium cognoscendi: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. proximum operandi simpliciter & absolutè principium confunditur &c. concedo: proximum operandi benè vel malè principium confunditur &c. nego; nam potentia est principium proximum operandi simpliciter & absolutè, abstrahendo ab hoc, quòd operatio benè vel malè fiat: habitus verò est proximum benè aut malè operandi seu agendi principium. Hinc per potẽtiam intellectivam absolutè intelligimus; habitus autem scientificus ad benè seu verè intelligendum determinatè ordinatur, sicut & habitus erroneus ad malè seu falsò cognoscendum.

Dices: ex communi Theologorum doctrina, habitus supernaturales dant posse absolutè intra ordinem supernaturalem operari; sic fides Theologica dat absolutè posse supernaturaliter credere; ab habitu charitatis habemus etiam, quòd absolutè possimus Deum ut authorem supernaturalem efficaciter diligere: ergo saltem habitus supernaturalis cum potentia confunditur.

Respondeo concesso ant. negando conseq. etenim potentia non tãtùm dare debet posse absolutè operari, sed insuper ex se debet esse ad benè vel malè operandum indifferens: quamvis verò habitus supernaturales dent posse absolutè intra ordinem supernaturalẽ operari; ex se tamen non sunt ad benè vel malè operandum indifferentes: neque enim charitas dici potest ex se ad benè vel malè

aman-

[illegible]andum Deum indifferens. Unde licèt super-
[illegible]naturales habitus modum potentiæ obtineant,
[illegible]propriè nihilominùs ac simpliciter dici potentiæ
[illegible]quaquam possunt.

DOices iterum: calor ignis ad tertiam spectans spe-
[illegible]iem, est proximum absolutè agendi, nempè cale-
[illegible]faciendi, principiū; figura acuta in ferro est etiam
[illegible]proximū principiū operandi, nimirū scindēdi, sim-
[illegible]pliciter & absolutè: ergo ejusmodi qualitates sunt
[illegible]potētiæ; ac proinde potentia cū illis confunditur.

RRespondeo ex doctrina Jo. à S. Thom. conces-
[illegible]so, negando conseq. ad rationē enim potētiæ pro-
[illegible]priè dictæ opus est, ut sit qualitas ex primario &
[illegible]magis principali conceptu ad tribuendū proximū
[illegible]simpliciter & absolutè operari ordinata: ca-
[illegible]lor autē ignis, & acuta figura in ferro, sunt quidem
[illegible]proxima simpliciter & absolutè operandi princi-
[illegible]pia, at non ex cōceptu primario & magis principa-
[illegible]li, sed ex secūdario ac minùs principali dumtaxat.

Advertendum tamen est, calorē Solis dupliciter
[illegible]spectari posse, videlicet, vel prout eminenter est in
[illegible]lumi corpore, per modum virtutis activæ, qua in
[illegible]ea inferiora influit; vel prout est in aere produ-
[illegible]cta à Sole. Priori modo sumptus dici potest potē-
[illegible]tia proximè operativa. Posteriori autem modo
[illegible]qualitas ex primario & magis principali con-
[illegible]ceptu sensibilis, seu in tertia specie collocata;
[illegible]tametsi ex conceptu secundario & minùs prin-
[illegible]cipali posset activa potentia nuncupari, quæ ni-
[illegible]mirum subjecta corpora efficienter calefacit.

Objic. 8. si admittenda foret tertia qualitatis spe-
[illegible]cies per qualitatē sensibilē cōstituta, in ea omnes
[illegible]qualitates sēsibiles essent collocandæ; ut patet: at-
[illegible]qui non omnes qualitates sensibiles in illa specie
[illegible]tertia collocantur: ergo &c. Prob. mi. lux Solis, &
[illegible]lumen aeris, sunt qualitates sensibiles; utpotè quæ
[illegible]per sensum visus percipiūtur: atqui in tertia qua-
[illegible]litatis specie non ponuntur: ergo &c. Prob. min.
[illegible]qualitates in ista specie tertia repositę sunt altera-
[illegible]tionis termini; ut insinuat Philosophus in hoc cap.

lux

nus, quæ ex usu Grammaticæ dependent. Unde *habitus* prout est participium à verbo illo derivatum, totidem modis usurpari potest; atque adeò per omnia prædicamenta vagatur: & in isto sensu non agimus hic de *habitu*; sed de ipso, prout nomen est, disputandum occurrit.

Habitus autem, prout est nomen, quatuor præsertim modis potest accipi. Primò quidem, prout significat vestem aut indumentum corporis. Secundò sumitur, quatenus significat accidens quoddam resultans ex adjacentia indumenti, quo homo formaliter denominatur *vestitus*; habituique ita sumptus speciale constituit prædicamentum, ut infrà constabit. Tertiò habitus designat quamcumque rei dispositionem, ratione cujus dicitur illo, vel illo modo se habere; in qua significatione tribui solet partibus corporeis, & rebus etiam inanimatis: sic dicitur habitus loci, habitus regionis, &c. Demùm *habitus* magis strictè sumitur pro eo, quo res benè, vel malè se habet: quæ acceptio habitus est hujus loci propria, significatque primam qualitatis speciem.

Dispositio autem dicitur à *disponendo*, designatque qualitatem, qua subjectum in se benè, vel malè disponitur: & quæritur, quomodò ab habitu differat. Hoc præmisso.

Dico 1. prima qualitatis species legitimè definitur: *Qualitas formaliter determinans subjectum* (seu substantiam) *ad hoc ut benè, vel malè se habeat, secundùm esse suæ naturæ*. Ita docent communiter Peripatetici. Hujus definitionis bonitas ex eo colligitur, quòd exponit, & id, in quo cum aliis speciebus convenit; & id, quo ab illis distinguitur: nam singulæ hujus prædicamenti species sunt qualitates subjectum determinantes: & in hoc omnes univocè conveniunt. Quòd verò

nè prima species formaliter, seu ex vi formalis rationis suæ, qua essentialiter constituitur, determinet subjectum, ad hoc ut benè, vel male se habeat, secundùm esse suæ naturæ; est differentialis illius à cæteris speciebus differentia, adeò ut nulli alteri competat, ut ex dictis liquet. Integra autem definitio allata communis est omnibus qualitatibus ad hanc speciem spectantibus, ita ut nulla possit assignari, cui non conveniat; prout inductionem facienti, & consideranti, patebit.

Dico 2. prima qualitatis species sic definita & explicata, rectè in habitum & dispositionem subdividitur. Ita omnes Peripatetici, cum Arist. hic textu. Habitus definitur: *Qualitas determinans subjectum, ut benè se habeat, aut malè, secundùm esse suæ naturæ, difficilè à subjecto mobilis.* Definitio autem dispositionis est ejusmodi: *Qualitas subjectum determinans, ut benè vel malè se habeat secundùm esse suæ naturæ, facilè ab eo mobilis.* Hæ definitiones desumuntur ex Philosopho, loco citato; & in scholis communiter usurpantur. Quarum intelligentiam

Observandum est ex D. Thoma 1. 2. q. 49 a. 2. quam qualitatem posse dici habitum triplicitèr, nempè quoad rem tantùm, quoad modum tantùm, & quoad rem ac modum simul: sic, v. g. Scientia in tyrone est habitus quoad rem tantùm: quoniam reipsa habet quidem naturam habitus, sed non ob infirmitatem subjecti, seu tyronis, modum seu statum habitus, id est, statum firmum, non obtinet. Febris verò *in hectico* est habitus quoad modum solùm; quia licèt naturam dispositionis facilè mobilis habeat; ob conditionem tamen hectici, habitus permanentis sibi vendicat modum; ita enim profundè medullas ejus penetrat, ut nullo medicamine vinci possit. Demùm scientia in viro docto vim demonstrationum comprehendente, verè est habitus, & quoad rem, & quoad modum; adeò ut, &

rem

rem seu naturam, & modum vel statum stabilem habitus, possideat.

Similiter aliqua qualitas tripliciter potest dispositio nuncupari, nimirum quoad rem tantùm, quoad modum solùm, & quoad rem ac modum. Sic febris in hectico est dispositio quoad rem tantum, quoniam servat quidem naturam dispositionis facilè mobilis, attamen modo seu statu potitur immobili. Scientia verò in tyrone est dispositio quoad modum solùm, quia licèt naturam habitus scientifici conservet, mobilem nihilominùs habet modum aut statum, ob infirmitatem tyronis.

Febris autem tertiana est vera, & quoad rem, & quoad modum, dispositio, quoniam & quoad rem, & quoad modum seu statum, facilè à subjecto mobilis est.

Dico 3. habitus quoad rem, & dispositio quoad rem, essentialiter & specificè differunt. Ita docet D. Thomas 1.2. q.49. a.2. ad 3. quem Thomistæ omnes sequuntur, quibus consentiunt Toletus, & alii multi: contra Boetium, & alios antiquos, nullam aliam differentiam nisi accidentalem inter habitum & dispositionem, constituentes, sicut inter perfectum, & imperfectum, intra eamdem speciem; adeò ut qualitas in gradu remisso, sit dispositio; habitus verò, in gradu intenso. Quam etiam doctrinam tradunt Scotus, Vasquez, Suarez, & alii recentiores.

Prob. quæ ex sua essentia aut natura specifica, rationes diversas, imò oppositas exigunt, ea essentialiter & specificè distinguuntur, ut patet: atqui habitus quoad rem, & dispositio quoad rem, sunt ejusmodi: ergo &c. Prob. min. habitus quoad rem aut naturam, sic apud Philosophos nuncupatur, quoniam ex sua natura exigit, ut sit à subjecto difficilè mobilis; dispositio verò quoad rem seu naturam, ita apud eosdem Philosophos dicitur, quia ex natura sua petit, ut sit à subjecto facilè mobilis: quæ quidem duæ rationes sunt diver-

[illegible]ſæ, imò oppoſitæ, prout ex ipſis terminis [illegible]quet.

Deinde, ea, quorum unum ex ſua natura exi[illegible] pendere à cauſa per ſe firma & immobili, alte[illegible]m autem ex natura ſua petit dependere à cauſa [illegible] ſe infirma & facilè mobili; ita ſe habent, ut [illegible]mum ſit ex ſua natura difficilè mobile, alterum [illegible]ò ex natura ſua facilè ſit mobile; debent enim [illegible] cauſarum, à quibus ex ſua natura pendent, [illegible]itionem ſapere: habitus autem quoad rem, [illegible] natura exigit pendere à cauſa per ſe fir[illegible] & immobili; ſic ver. gr. habitus quoad rem [illegible]ficus, ex ſua exigit natura pendere à mo[illegible] demonſtrativo, quod quia intellectum con[illegible], per ſe firmum eſt & immobile. Diſpoſi[illegible] quoad rem, ex natura ſua petit depen[illegible] à cauſa per ſe infirma & facilè mobili; ſic v. [illegible] habitus quoad rem opinativus, qui eſt pro[illegible] diſpoſitio quoad rem, poſtulat ex ſua [illegible] dependere à motivo probabili; quod quia [illegible] convincit, ſed ſuſpenſum detinet intelle[illegible], infirmum eſt & facilè mobile. Itaque ha[illegible] quoad rem, & diſpoſitio quoad rem, ex [illegible] ſua, diverſo, imò & oppoſito ſe habent [illegible]; ac proinde ex ſua natura ſeu eſſentia, [illegible] eſſentialiter & ſpecificè, diſtinguuntur.

[illegible] verò, habitum quoad rem, & diſpoſitio[illegible] quoad rem, eſſentialiter & ſpecificè diſcre[illegible], quoniam habitus quoad rem, & diſpoſi[illegible] quoad modum, accidentaliter dumtaxat dif[illegible], ſicut perfectum & imperfectum intra eam[illegible] ſpeciem: hinc inter ſcientiam viri docti, & [illegible]ficum tyronis habitum, qui induit modum [illegible]poſitionis, ſola accidentalis diſtinctio reperi[illegible]: adeò ut ſint ejuſdem ſpeciei, & ſolùm quoad [illegible]dum aut ſtatum differant, quatenus ſcientia [illegible] docti perfectum obtinet habitus ſtatum, & [illegible]ficus in tyrone habitus ad diſpoſitionis [illegible] deprimitur. Similiter diſpoſitio quoad [illegible], & habitus quoad modum, accidentaliter

tan-

absurdum est dicere, actum demonstrationis esse verum habitum: ergo &c. Respondeo negando maj. in allata quippè definitione sermo est de *qualitate determinanti* &c. quę sit principium permanens; non verò, quæ sit operatio transiens, cujusmodi est demonstrationis actus.

Obji. 5. contra 3. concl. Dum duo aliqua essentialiter & specificè distinguuntur, unum de alio verè non prædicatur; neque enim homo de bruto, vel brutum de homine, verè prædicari potest: atqui ex Aristotele, hìc, dispositio verè de habitu prædicatur: dicit enim ibi, omnem habitum esse dispositionem, non è contra: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui ex Aristotele, hìc, dispositio generaliter sumpta, prout est qualitas benè vel malè disponens subjectum, communis genericè habitui & dispositioni specialiter dictis, verè de habitu prædicatur, concedo: atqui ex Aristotele, hìc, dispositio specialiter accepta, prout est ab habitu distincta, tamquam alterum membrum dividens communem gradum generalem hujus speciei subalternæ, verè de habitu prædicatur, nego. Itaque sicut animal verè de homine affirmatur, non tamen è contra; numquam verò homo de bruto, vel brutum de homine, affirmari potest: sic etiam dispositio generaliter seu genericè usurpata, verè recteque de habitu dicitur, non autem è converso: nusquam verò habitus de dispositione, vel dispositio de habitu, dici potest, si habitus & dispositio specialiter accipiantur.

Dices: una species nequit in aliam transire; sic, v. g. homo in brutum, aut brutum in hominem, converti nequaquam potest: atqui dispositio potest in habitum transire: ergo &c. Min. est doctrina Arist. in isto ca. ubi ait, habitum differre à dispositione, ex eo, quòd habitus diuturnior est; additque, dispositionem fieri habitum, si multùm in subjecto radicetur.

Res-

Respondeo concessa maj. distinguendo min. *atqui* dispositio quoad modum, potest in habitum transire, concedo: atqui dispositio quoad rem, potest in habitum transire, nego. Ad testimonium Arist. dico, ipsum intendere solùm, qualitatem obtinentem naturam *habitus*, interdum imperfectè radicari in subjecto (qua ratione, tunc habitus est in tyrone) adeò *ut sit in* facilis dispositionis facilè à subjecto mobilis; tunc ergo, ex mente Philosophi, si qualitas illa magis in subjecto radicetur, adeò ut profundè subjectum penetret, evadit habitus in statu perfecto existens.

Dices rursus: virtus moralis per primos actus comparata, obtinet naturam dispositionis dumtaxat; etenim ex doctrina D. Thomæ, *in hoc* natura habitus scientifici differt à natura *habitus* moralis, quòd prior per unicum demonstrationis actum producitur, posterior autem nonnisi per assuefactionem generatur: & tamen virtus moralis per priores *actus acquisita*, *potest* deinceps per ulteriorum & præstantiorum *actuum* exercitium, ad perfectum virtutis habitum pervenire: ergo dispositio, etiam quoad rem aut naturam, potest in habitum transire.

Respondeo ex D. Thoma 2.2. q.24.a.6. ad 3. & 1.1. dist. 17.q.2. a.3. nec non in 3. di.33.q.1.a.2. quæstiunc. 2. ad 4. & tandem q.9. de verit.a.9.ad 1. cum distinctione: concedo namque, virtutem moralem per priores actus acquisitam, posse ad perfectum virtutis habitum transire; at non entitativè, ita ut eadem entitas permaneat; sed solùm ter tantùm ac dispositivè, quatenus moralis virtus per primos actus comparata, est quædam via, & dispositio, saltem remota, ad perfectam virtutis habitum assequendum: sicuti embryo est quædam ad verum hominem via & dispositio, remota saltem.

§. II.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBji. 6. D. Thomas q. 7. de malo art. 2. ad 4. sic ait: *Neque enim dispositio & habitus sunt diversæ species; alioquin non posset una & eadem qualitas, quæ priùs fuit dispositio, posteà fieri habitus*; ergo ex mente D. Thomæ, habitus & dispositio specificè non differunt.

Respondeo, D. Thomam ibi loqui de habitu & dispositione, non quoad rem aut naturam, sed quoad statum vel modum dumtaxat; unde vult solùm, contingere interdum, ut eadem qualitas, priùs dispositionis, deinde habitus, obtineat statum, ita ut in utroque illo statu sit eadem quoad rem aut naturam specificam, quamvis diversos habeat existendi modos. Nusquam tamen negat Angelicus Doctor, dispositionem quoad rem aut naturam, & habitum similiter quoad rem vel naturam, esse duas species essentialiter differentes.

Inst. quæ tamquam imperfectum & perfectum, intra eamdem speciem discrepant, essentialiter non distinguuntur; ut patet in puero & viro: atqui ex D. Thoma ibidem, dispositio & habitus, sicut imperfectum & perfectum intra eamdem speciem, discrepant: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui ex D. Thoma ibidem, dispositio, & habitus quoad modum, sicut imperfectum &c. concedo: dispositio, & habitus quoad rem, sicut imperfectum, &c. nego.

Inst. rursus: si habitus & dispositio specificè differrent, per diversas differentias specificas constitui deberent: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. est manifesta. Prob. min. illæ differentiæ specificæ deberent esse *difficilè mobile*, & *facilè mobile*; prout ex dictis constat: atqui *facilè mobile*,

lè, & *difficile* mobile, non sunt differentiæ specificæ dispositionis & habitus constitutivæ: ergo &c. Prob. min. ex D. Thoma loco citato, ubi sic ait: *Difficilè mobile, non est differentia constitutiva habitus &c. sed facilè mobile, & difficilè mobile, se habent sicut perfectum, & imperfectum circa eandem rem.*

Respondeo concessa maj. negando min. ad cuius prob. distinguo maj. illæ differentiæ specificæ deberent esse *difficilè mobile*, & *facilè mobile*, naturæ rei, concedo: deberent esse *difficilè mobile*, & *facilè mobile*, ex sola conditione subjecti, nego. Et distinguo pariter min. atqui *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, ex sola conditione subjecti, non sunt differentiæ &c. concedo: atqui *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, ex natura rei, non sunt differentiæ &c. nego.

Itaque dupliciter contingere potest, quòd dispositio facilè sit mobilis & habitus difficilè mobilis. Primò quidem ex natura rei, itaut dispositio ex natura sua specifica sit *facilè à subjecto* mobilis. Secundò ex sola conditione subjecti. Quando dispositio est facilè mobilis, & habitus difficilè mobilis, priori modo, id designat specificas eorum differentias. Cùm autem dispositio facilè quidem mobilis est, & habitus difficilè mobilis, sed posteriori modo; qua ratione scientia in tyrone est facilè mobilis, & in docto difficilè mobilis est: tunc *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, non sunt diversæ differentiæ specificæ, ratione quarum dispositio, & habitus essentialiter differant; sed indicant differentias accidentales, quarum una est altero, ita ut comparentur ad invicem, sicut *perfectum & imperfectum* intra eamdem speciem.

Dices: si esse *facilè mobile*, & esse *difficilè mobile*, forent differentiæ specificæ dispositionis & habitus constitutivæ ac distinctivæ, non possent illis speciebus qualitatis convenire; ut patet:

atqui aliis ſpeciebus qualitatis, v. g. paſſioni, ac patibili qualitati, poſſunt competere; revera namque paſſio citò tranſiens, v. g. rubor ex verecundia proveniens, eſt facilè à ſubjecto mobilis; patibilis verò qualitas, v. g. rubor ex naturali temperamento procedens, difficilè à ſubjecto mobilis eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. in primis enim *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, non quomodocumque ſunt differentiæ ſpecificæ, diſpoſitionis & habitus conſtitutivæ ac diſtinctivæ; ſed prout determinant ſubjectum in ſe ipſo, ſive in ordine ad ſe, ut benè vel malè ſe habeat, ſecundùm eſſe ſuæ naturæ; ut ex dictis liquet: eſto autem paſſio ſit facilè mobilis, & patibilis qualitas difficilè ſit mobilis; attamen ſubjectum, non in ordine ad ſe, ſed in ordine ad ſenſum, modo infrà explicando, determinant. Deinde, licèt paſſio ſit facilè mobilis, non tamen ſicut diſpoſitio; & quamvis patibilis qualitas difficilè ſit mobilis, non eadem ratione, qua habitus. Paſſio enim eſt facilè mobilis, & patibilis qualitas difficilè mobilis, ex ſola conditione ſubjecti, ex eo nempè, quòd in ſubjecto, paſſionis cauſa citò tranſit, & patibilis qualitatis cauſa diu permanet: diſpoſitio autem (quoad rem) ex natura aut eſſentia ſua facilè mobilis eſt, & habitus (quoad rem) ex ſua natura difficilè mobilis.

Dices iterum: quòd cauſa qualitatis, quæ dicitur paſſio, citò tranſeat, & patibilis qualitatis cauſa diu perſeveret, per accidens eſt: er- & habitus cauſa difficilè mobilis, pariter per accidens eſt; ac proinde per ſe & eſſentialiter diſpoſitio non eſt facilè mobilis, nec habitus difficilè mobilis.

Reſpondeo negando conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd ſenſibilis qualitas, quæ ſolet, vel paſſio, vel patibilis qualitas, nuncupa-

ri,

[illegible], ex se aut ex sua natura, non petit causam ei-
[illegible] transeuntem, vel diu permanentem, sed ad
[illegible] utrum indifferens est; indifferens enim est,
[illegible] rubori, quòd à causa citò transeunte, aut diu
[illegible] perseverante, producatur. Ut autem ex dictis
[illegible], habitus quoad rem, ex sua natura exi-
[illegible] pendere à causa difficilè mobili, seu firma &
[illegible] mobili; dispositio verò quoad rem, ex natu-
[illegible] petit dependere à causa infirma & faci-
[illegible] mobili.

Dices rursus: si habitus foret per se difficilè
[illegible], nec etiam per accidens fieri posset fa-
[illegible] mobilis; nam quando unum alicui per se com-
[illegible], ei oppositum, etiam per accidens, com-
[illegible] non potest: atqui habitus potest per acci-
[illegible], sive ex conditione subjecti, fieri facilè mo-
[illegible]; ut ex dictis liquet: ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: si habitus
[illegible] nec etiam per accidens fieri posset ab in-
[illegible] facilè mobilis, concedo: nec etiam
[illegible] accidens fieri posset ab extrinseco facilè mo-
[illegible], nego; quando enim unum alicui per se
[illegible], ei oppositum per accidens ab extrinse-
[illegible] verdum competere potest: sic v. g. accidens
[illegible] per se & ab intrinseco inhæret subjecto;
[illegible] ab extrinseco, nempè à Deo extrinsecè
[illegible] vante, potest non inhærere subjecto, &
[illegible] subjectum subsistere; ut in accidentibus
[illegible] aristicis patet: undè quamvis habitus per
[illegible] intrinseco exigat esse difficilè à subjecto mo-
[illegible], nihilominùs ab extrinseco, nimirum à
[illegible] tione subjecti, facilè mobilis per accidens
[illegible] potest.

Dices tamdem: specificæ differentiæ duarum
[illegible] erum constitutivæ non debent extra ejusmo-
[illegible] species reperiri; ut patet: atqui *facilè mobile*, &
[illegible] *cile mobile*, extra habitum & dispositionem in-
[illegible] untur; etenim ut loquitur D. Thomas, virtus
[illegible] ductiva gratiæ, quæ competit Sacramentis,
[illegible] est facilèque mobilis; potentia verò intelle-

ctiva difficilè mobilis eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, materialiter aut entitativè ſumpta, extra habitum &c. concedo: atqui *facilè mobile*, & *difficilè mobile*, formaliter & reduplicativè, prout determinant ſubjectum ad benè vel malè ſe habendum & operandum, extra habitum &c. nego; etenim licèt in Sacramentis virtus productiva gratiæ ſit facilè mobilis, & potentia intellectiva in homine difficilè mobilis: attamen non determinant ſubjectum ad benè vel malè operandum, ſed ad abſolutè & ſimpliciter agendum ordinantur.

Obji. ultimò: ſi habitus & diſpoſitio ſpecificè differant, maximè quia habitus ex ſua natura ſpecifica eſt difficilè mobilis, & diſpoſitio facilè mobilis: atqui id, præſertim de habitu, falſum eſt: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. autem min. exemplo habitus ſcientifici: Ille effectus facilè mobilis eſt, cujus cauſa facilè eſt mobilis: effectus quippè conditionem ſuæ cauſæ ſapit: atqui cauſa habitus ſcientifici facilè mobilis eſt, cauſatur quippè ex actibus demonſtrativis ſæpiùs iteratis, qui cùm citò tranſeant, facilè ſunt mobiles: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. adcujus prob. diſtinguo maj. ille effectus facilè mobilis eſt, cujus cauſa formalis & ſpecificativa eſt facilè mobilis, concedo: cujus cauſa efficiens eſt facilè mobilis, ſubdiſtinguo: cujus cauſa efficiens, quæ ſe habet *ut quod*, eſt facilè mobilis, eſto: cujus cauſa efficiens, quæ ſe habet *ut quo*, eſt facile mobilis, nego; nam quamvis effectus debeat ſapere conditionem formalis cauſæ, ſicut & efficientis cauſæ, quæ agit *ut quod*, quæ nempè eſt efficiēs principium principale, quod principaliter effectum producit; neceſſe tamen non eſt, ut effectus ſapiat conditionem cauſæ efficientis, quæ tantummodò agit *ut quo*, id eſt, quæ dumtaxat eſt cauſalitas, qua cauſa efficiens agit; nam alioquin,

cùm

eadem causalitas causæ efficientis sit semper aliquid transiens, semper effectus transiens, & numquam permanens, produceretur; quod apertissimè falsum est. *Actus* verò demonstrativus, sæpè iteratus, est quidem habitus scientifici efficiens causa, *ratione quâ* solùm, & per modum *causalitatis*, qua intellectus sæpè precedens demonstrativè, *in se eundem habitum* demonstrativum & *scientificum efficit*: constat verò intellectum esse permanentem & difficilè mobilem.

DIcies etiam potest, actus iteratos non esse directas habituum causas, sed indirectas tantùm, quatenus ex actibus iteratis emanant, & relinquitur habitus ad similes actus facilè, promptè, delectabiliter eliciendos inclinantes: effectus autem sequi non debet causæ *indirectæ conditionem*; hinc fundamentum ex conditione sua absolutum, indirecta est relationis causa, quatenus eiusmodi fundamento resultat relatio, modo secundò explicato. Cæterùm licèt habitus scientifici efficiens causa *ut quo*, & *indirecta*, sit transiens & facilèque mobilis; attamen *ejus causa formalis* ac specificativa, quæ in motivis aut principiis demonstrativis intellectum convincentibus consistit, permanens est, immobilis, & omninò talis: effectus verò in sua essentia specifica sequatur conditionem suæ causæ formalis ac specificativæ necesse est.

DIces: si habitus tamquam species essentialiter à propositione distincta, foret definiendus: *Qualitas determinans subjectum, ut benè se habeat, aut malè, secundùm esse suæ naturæ, difficilè à subjecto mobilis*: habitus supernaturales & infusi, habitus definitionem & essentiam verè propriè que non obtinerent: atqui id dici nequit: ergo &c. Prob. maj. eo ipso, quòd habitus illi sunt supernaturales & infusi, sunt in subjecto, v. g. in homine, supra esse ejus naturale: ergo ipsum non determinant secundùm esse suæ naturæ.

Reſpondeo negando maj. ex eo enim, quòd ejuſmodi habitus ſint ſupra eſſe naturale ſubjecti, ſequitur quidem, illos non determinare ſubjectum ſecundùm eſſe naturæ ipſius, tamquam formas naturaliter ipſi debitas; nihil tamen impedit, ne ſubjectum determinent ſecundùm eſſe ejus naturæ, ſicut formæ illud eſſe elevantes & perficientes.

Articulus Tertius.

Secunda qualitatis ſpecies exponitur.

SEcunda qualitatis ſpecies in potentiam, & impotentiam, ſubdividi ſolet. Potentia verò multis modis ſumitur. Primò negativè, pro non repugnantia ad exiſtendum. Hinc poſſibile, ex communi modo loquendi, dicitur eſſe in potentia, quatenus ei non repugnat eſſe. Non repugnantia autem ad exiſtendum, communiter *potentia objectiva* appellatur, quoniam ſecundùm illam aliquid eſt poſſibile: res verò poſſibiles ſunt divinæ omnipotentiæ objectum. Nonnumquam etiam *potentia logica* nuncupatur; quia ex eo, quòd non repugnet alicui eſſe, per legitimam conſequentiam infertur, ipſum debere dici poſſibile; legitima autem conſeq. ad conſiderationem Logicæ pertinet.

Secundò potentia uſurpatur poſitivè, pro poſitivo agendi aut patiendi principio. Duplex verò eſt poſitivum agendi principium: aliud enim eſt radicale & remotum, & aliud formale ac proximum. Primum eſt, quod radicaliter & remotè in actionem influit; ejuſmodi eſt anima rationalis in homine, prout eſt potentiarum proximè operativarum radix. Alterum eſt, à quo formaliter ſeu proximè ac immediatè oritur actio; hujuſmodi ſunt intellectus & voluntas, à quibus intellectio & volitio immediatè eliciuntur.

Tertiò tamdem potentia ſumitur pro naturali

vi,

ri, secundùm quam aliquid fortiter resistit contrariis, ut est duritiei, qua lapis resistit sectioni. Certum est autem, potentiam negativè sumptam, non esse in hac qualitatis specie ponendam; omnis quippè species propriè dicta positivam entitatem importat. Certum est quoque, principium agendi radicale & remotum non esse in eadem specie collocandum; illud namque principium est ipsa substantialis forma, prout radix est potentiarum proximè operativarum: substantialis autem forma non est in specie accidentis (cujusmodi est species qualitatis) reponenda; ut patet. Indubitatum est etiam, principium formale proximum agendi esse veram ac propriè dictam hujus speciei qualitatem. Unde superest tantillum difficultas de principio formali & proximo resistendi.

Impotentia multis etiam modis usurpatur. Primò enim negationem seu carentiam alicujus potentiæ realis significat: sic homo dicitur impotens ad volandum, quoniam potentia reali ad volandum caret. Secundò designare potest potentiam aliquam realem, quæ ad actus alterius potentiæ comparata, dicitur, respectu illorum actuum, impotentia; sic potentia auditiva potest ad videndum impotentia nuncupari. Tertiò sumitur pro activa potentia ad proprios actus secundos imbecilli & infirma: sic potentia visiva sene vocari potest ad videndum impotens; & in eodem sensu, hebes ingenium est ad intelligendum impotentia. Quartò demùm accipitur pro potentia itidem infirma ad resistendum; sic mollities in cera est dicenda impotentia ad resistendum sectioni aut divisioni.

Certum est autem, negationem potentiæ realis non esse ponendam in ista secunda qualitatis specie, quæ positiva est. Impotentia verò secundo modo sumpta, est propriè ac simpliciter potentia, & impropriè ac secundùm quid tantummodò dici potest impotentia. Hic autem, nomine

impotentiæ, impotentia tertio modo ſumpta, propriè venit intelligenda. Utrùm verò impotentia quarto modo uſurpata, ad hanc ſpeciem qualitatis ſpectet, controverſia eſt. Pro cujus intelligentia.

Advertendum eſt ex Ægidio Romano lib. 1. de gener. cap. 9. q. 3. nomen *reſiſtentiæ* tribus præſertim modis poſſe uſurpari. Primò quidem, pro negativa reſiſtentia, quæ in incapacitate ſubjecti ad aliquam actionem vel formam conſiſtit: hoc modo Cœlum Lunæ dicitur igni attinguo reſiſtere: quoniam in Cœlo illo, ob ipſius incorruptibilitatem, eſt ad combuſtionem ab igne provenientem incapacitas. Secundò pro reſiſtentia contraria, qua aliquid congreditur actione ſua cum adverſario, ejuſque vim contrà pugnando, debilitat: ut cùm ignis reſiſtit aquæ, frigiditatem ejus per ſuum calorem retundendo & debilitando. Tertiò ſumitur pro retardatione & reſiſtentia quaſi formali, per quam una forma actuando aut informando ſubjectum, impedit, ne alia forma, vel actio, in illud introducatur; aut eam retardat & infringit: hoc modo ſaxum præ duritie frangi neſcium, mallei ictum reſpuit, atque ita percutienti obſiſtit.

Advertendum eſt rurſus, potentiam dividi poſſe in activam, & paſſivam. Potentia activa eſt poſitivum agendi principium, de quo ſuprà locuti ſumus. Potentia verò paſſiva eſt principium patiendi ſeu recipiendi. Quatuor autem potentiæ paſſivæ potiſſimùm diſtingui poſſunt. In primis occurrit potentia paſſiva materiæ primæ ad formas ſubſtantiales recipiendas.

Eſt inſuper paſſiva cujuslibet ſubſtantiæ ad ſuas proprietates excipiendas potentia. De iſta autem duplici potentia paſſiva nulla poteſt eſſe difficultas, utrùm ad hanc qualitatis ſpeciem pertineat. Nam materia prima immediatè per ſuam ſubſtantiam eſt formarum ſubſtantialium

re-

ceptiva: quælibet etiam substantia immediatè per suam entitatem substantialem proprietatum exceptiva est; unde illa duplex potentia passiva est substantia, quæ ad speciem accidentis, qualis est species qualitatis, non pertinet.

Adduci etiam potest passiva *quantitatis potentia*, qua mediante, accidentia *materialia* in substantia corporea recipiuntur. Hanc quoque potentiam in ista qualitatis specie non poni, dubitatum est: illa siquidem potentia passiva ab entitate quantitatis non differt, sed ipsa suam entitatem extendendo substantiam corpoream in ordine, tum ad se, tum ad locum, reddit aptam ad accidentia materialia excipienda; evidens verò est, entitatem quantitatis non esse in prædicamento qualitatis collocandam.

Denique non immeritò assignatur potentia passiva, quæ sit in substantia completa, quæ sit accidentalis sit; atque *actionis extrinsecæ*, id est effectus per ipsam producti, per se primò et immediatè receptiva, realiterque ab entitate substantiæ distincta: ejusmodi est Diaphaneitas aëris, qua aer proximè luminis capax est, fit actionis, qua lumen in ipso producitur: ejusmodi etiam est Character Baptismalis, ratione: cujus homo baptizatus ad cætera Sacramenta, & ad actiones, quibus efficiantur, immediatè idoneus est. Difficultas ergo est, utrum potentia passiva sit in hac specie propriè collocanda?

§. I.

§. I.

Tota difficultas explanatur.

DIco 1. secunda qualitatis species rectè definiri potest: *Qualitas proximè activa absolutè & simpliciter.* Bonitas hujus definitionis ex eo colligitur, quòd convenit omni definito, id est, omni qualitati ad hanc speciem pertinenti; explicatque id, in quo ista species cum aliis conveniens est; & id, per quod ab illis essentialiter differt: omnia quippe accidentia ad hoc prædicamentum, tanquam ipsius species, spectantia, sunt verè propriéque qualitates, adeò ut qualitatis ratio illis omnibus communis sit; quòd verò qualitas istius speciei sit proximè activa absolutè & simpliciter, id ei peculiare est, & nulli alteri competit; unde per hoc simpliciter & essentialiter ab aliis omnibus discriminatur. Hinc intellectus & voluntas sunt qualitates istius speciei, quoniam sunt qualitates proximè activæ absolutè & simpliciter; adeò ut intellectus sit proximum principium intelligendi simpliciter & absolutè, & voluntas sit immediatum volendi absolutè ac simpliciter principium. Scientia verò, quæ est in intellectu, vel error; & virtus existens in voluntate, aut vitium; ad hanc qualitatis speciem non pertinent; quia licèt sint proxima operandi principia, non tamen absolutè & simpliciter, sed benè vel malè, id est, convenienter aut disconvenienter; intellectus quippe per scientiam convenienter ad demonstrationis regulas, & ad rem prout in se est agit; per errorem autem disconvenienter ad rem prout est in se operatur: voluntas quoque per virtutem convenienter ad regulas morum, & per vitium disconvenienter ad easdem regulas, in actionem exit.

Ex dictis infertur, quænam sit inter primæ & se-

secundæ speciei qualitates *differentia*; in hoc *quidem potissimùm & essentialiter differunt, quòd primæ speciei* qualitates *ad* benè vel malè *operandum proximè ordinantur; qualitates verò secundæ speciei tendunt ad absolutè & simpliciter agendum, abstrahendo ab hoc, quòd actio benè vel malè, seu convenienter aut disconvenienter, fiat.* Addi potest, qualitates *primæ speciei à qualitatibus secundæ, in hoc discrimini, quòd illæ dantur ad faciliùs posse id, quod sine illis simpliciter poteramus; istæ verò ad simpliciter posse id, quod sine ipsis nullatenùs præstare possemus. Ista tamen differentia inter qualitates primæ & secundæ speciei nequaquam essentialis est; quoniam nonnullæ primæ speciei qualitates, scilicet habitus supernaturales & infusi, ordinantur ad hoc, ut non solùm faciliùs, sed etiam ut simpliciter possimus id, quod sine illis nullo modo valeremus.*

Dico 2. *hæc secunda qualitatis species in potentiam, & impotentiam, adæquatè dividitur.*

Prob. & explicatur. Nomine *potentiæ, hìc intelligitur, forte ac validum proximumque operandi principium, absolutè ac simpliciter; ut in juvenis potentia in juvene.* Nomine verò *impotentiæ, hìc venit intelligendum, debile ac languidum & immediatum principium operandi, absolutè atque simpliciter; ut est vita in sene.* Duo autem illa principia operandi, *adæquatè istam speciem dividunt; ita ut nulla sit* qualitas ad istam speciem pertinens, *quæ non sit potentia, vel impotentia. Etenim qualitas hujus speciei est proximum absolutè ac simpliciter operandi principium: vel ergo principium illud forte est ac validum; & est potentia: vel est debile ac languidum; estque impotentia.*

Dico 3. potentia, & impotentia, non *essentialiter, sed accidentaliter solùm, distinguuntur.*

tur. Ita communiter Philoſophi. Hanc veritatem inſinuat Ariſtoteles hìc, dum ait: *Impotentiam eſſe qualitatem naturalem, non potentem facilè præſtare id, quod potentia facilè præſtare poteſt.* Dum autem aliqua eſſentialiter & ſpecificè differunt, unum nequit opus alterius, etiam difficilè, efficere: ſic brutum, etiam difficilè, hominis opera producere non poteſt.

Prob. ratione fundamentali: Quæ eſſentialiter ac ſpecificè differunt, diverſa obtinent ſpecificativa; ut patet: atqui potentia, & impotentia, diverſa ſpecificativa non habent, ſed potiùs idem eis ſpecificativum correſpondet: ergo &c. Prob. min. exemplo potentiæ, & impotentiæ, ad videndum: etenim idem eſt ſpecificativum immediatum utriuſque, videlicet primarius viſionis actus; idem eſt quoque ſpecificativum mediatum, ſcilicet idem objectum formale, nempè objectum coloratum.

Deinde, idem viſus dicitur *potentia* in juvene, & *impotentia* in eodem homine facto ſene: quis autem dixerit, ejuſmodi potentiam viſivam, ætate mutata, mutaſſe ſpeciem? Et hoc idem evenit reſpectu ingenii; ſæpè enim hebes eſt in juvenibus, ob craſſiora cerebri organa: quod fit acutius, cauſis illis mutatis. Sanè dum duo aliqua eſſentialiter & ſpecificè diſtinguuntur, unum fieri aliud nequaquam poteſt; ſic, v. g. hominem fieri brutum, vel brutum fieri hominem, apertiſſimè implicat: viſus verò, qui in juvene *potentia* eſt, fit in ſene *impotentia*.

Dico 4. proximum principium reſiſtendi reſiſtentia formali ſuperiùs explicata, reducitur ad iſtam qualitatis ſpeciem. Hæc concluſio ex Ariſtotele colligitur. Ipſe namque in hac ſpecie ponit duritiem, quæ actuando & informando ſubjectum, ipſumque durum conſtituendo, reſiſtentia formali reſiſtit percutienti.

Ratio hujus veritatis eſt, quia qualitas pecu-

liz-

...rem habens similitudinem cum proximo agen-
...principio directè in hac specie collocato, ad
...odem speciem reducitur; ut patet: atqui pro-
...rum principium resistendi resistentia formali,
...g.. duricies Adamantis, illam obtinet simili-
...dinem; licèt enim duricies illa propriè strictè-
...non agat; attamen retardando & infringen-
...ctionem hominis Adamantem dividere vo-
...s, ad similitudinem principii agentis propè
...dit: ergo &c.

Dixi autem in conclusione, proximum prin-
...m resistendi resistentia formali reductivè ad
... qualitatis speciem pertinere. Quoniam
...tia negativa, quæ in incapacitate aut
...one capacitatis subjecti ad actionem ali-
...exxcipiendam consistit, ad nullam speciem
...è spectat; sola quippe entia positiva in
...amentis, & in eorum speciebus, propriè
...antur; prædicamentum enim, vel spe-
..., apud Peripateticos, aliquid positivum si-
...ur.

...ò fiat sermo de resistentia contraria, qua
... congreditur actione sua cum adversario,
... vim, contra pugnando, debilitat; cer-
..., proximum hujus resistentiæ princi-
..., esse in ista specie constituendum, etiam
...; resistere namque hoc modo, est pro-
..., absolutè ac simpliciter agere; principium
... proximum agendi propriè, absolutè, ac
...citer, est directè istius speciei; ut ex
... liquet.

...ximum verò resistendi resistentia formali
...pium dividi potest in potentiam, & impo-
...am. Potentia, prout hic usurpatur, est for-
...stendi principium proximum. Impotentia
..., prout ad præsens spectat propositum, est
...e ac proximum resistendi principium: sic
...ties in Adamante, potest nominari poten-
...: molities autem in cera debet impotentia
...upari.

Dico

Dico 5. accidentalis potentia passiva substantiæ completæ, per se primò ac immediatè actionis extraneæ & effectus per ipsam producti receptiva, propriè est in hac qualitatis specie collocanda.

Prob. & explicatur: Secunda qualitatis species, apud Peripateticos, significat accidentale principium proximum, per se primò ac immediatè ad actionem ordinatum: atqui ejusmodi est præfata potentia passiva; ut ex ipsis terminis patet: ergo &c. Sanè potentia illa est in aliquo prædicamento, & in aliqua ejus specie; hujusmodi autem prædicamentum nequit esse aliud, præter qualitatem; & ejusmodi species nequit esse alia, præter secundam qualitatis speciem.

Hinc apud D. Thomam, & Theologos illustres, in ista specie secunda qualitatis reponendus est Character Baptismalis, tamquam passiva ad cætera Sacramenta suscipienda potentia. In eadem specie Aristoteles ponit *pugilatoriam* potentiam, qua quis ab adversario pati quidem potest, sed difficilè lædi.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. contra primam conclusionem: recta secundæ speciei qualitatis definitio non debet qualitatibus primæ speciei convenire; nam alioquin prima, & secunda qualitatis species, definitione non differrent, proindèque nec essentia, quæ per definitionem explicatur: atqui illa definitio: *Qualitas proximè activa absolutè & simpliciter*: competit qualitatibus primæ speciei, nempè quibusdam habitibus: ergo &c. Prob. min. exemplo habituum supernaturalium & infusorum: isti enim habitus in primis sunt proximè activi; etenim fides divina ad credendum, spes ad sperandum, & charitas ad

Deum

Deum ſuper omnia diligendum, proximè ordinantur. Præterea habitus ſupernaturales ac infuſi dant intra ordinem ſupernaturalem poſſe abſolutè ac ſimpliciter agere; in quo differunt ab habitibus naturalibus, qui facilius poſſe dunta-xat tribuunt.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. etiam quoad habitus ſupernaturales & infuſos. In primis ſiquidem dici poteſt, præfatam definitionem eſſe per ſe intelligendam, ita ut qualitas, cui definitio illa competit, debeat eſſe per ſe proximè activa abſolute & ſimpliciter: licèt autem habitus ſupernaturales & infuſi dent poſſe abſolutè atque ſimpliciter operari intra ordinem ſupernaturalem; non tamen per ſe, & ex conditione habitus; ſed per accidens tantùm, ex eo nempè, quòd naturales potentiæ hominis ex ſe non ſufficiunt ad operandum in ordine ſupernaturali: hinc namque fit, ut potentiæ illæ abſolutè & ſimpliciter indigeant per infuſos habitus elevari, ut ſupernaturaliter agere poſſint.

Secundò poteſt dici, quòd dum ſecunda ſpecies qualitatis definitur: *Qualitas proximè activa abſolutè & ſimpliciter*: non eſt ſenſus, quòd qualitas illa det *poſſe abſolutè & ſimpliciter agere*, prout diſtinguitur à *poſſe facilius operari*; ſed ſenſus eſt, quòd tribuat poſſe agere abſolutè ac ſimpliciter, abſtrahendo ab hoc, quòd actio benè, vel malè, ſeu convenienter, vel diſconvenienter, fiat: quamvis verò per habitus ſupernaturales ac infuſos habeatur poſſe abſolutè ac ſimpliciter agere, actiones tamen ex habitibus ſupernaturalibus ac infuſis provenientes ſemper benè aut convenienter ſunt, intra propriam illorum habituum materiam.

Objic. 2. illa definitio competit calori ad tertiam qualitatis ſpeciem pertinenti: ergo ſoli ſecundæ ſpeciei non convenit; proindèque bona non eſt: legitima namque definitio debet ſoli definito convenire. Ant. ex eo ſuadetur, quòd calor

lor eſt qualitas proximè activa, (utpotè, immediatè calefactiva) & quidem abſolutè & ſimpliciter, abſtrahendo ab hoc, quòd actio (nimirum calefactio) benè vel malè fiat.

Reſpondeo negando ma. etenim dum definitur ſecunda ſpecies: *Qualitas proximè activa &c.* ſubauditur, *primariò & eſſentialiter*: calor verò eſt primariò & eſſentialiter tali modo ſenſibilis, ſeu tangibilis; adeò ut primariò & eſſentialiter ordinetur ad conſtituendum *calidum*; quod per ſenſum, ſcilicet per tactum, percipi poteſt. Secundariò autem & accidentaliter ſolùm ad agendum, nempè ad calefaciendum, tendit. Hæc ſolutio ex doctrina Joannis à S. Thoma colligitur.

Objic. 3. contra tertiam concluſ. durities Adamantis, & mollities ceræ, ſe habent ſicut potentia, & impotentia; ut ex dictis liquet: atqui durities & mollities eſſentialiter differunt: ergo &c. Prob. min. quæ ſe habent ut forma, & ejus carentia, eſſentialiter differunt; ſic viſus & cæcitas eſſentialiter diſtinguuntur: atqui durities & mollities ſe habent ut forma, & carentia; reipſa enim mollities nihil aliud eſt, quàm duritiei carentia ſeu abſentia: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. conceſſa iterum ma. nego min. mollities quippè, prout hìc uſurpatur, non denotat meram duritiei carentiam, ſed deſignat minorem duritiem ad reſiſtendum debiliorem.

Inſt. quæ ex ſe ad oppoſita ordinantur, eſſentialiter diſcrepant: atqui durities Adamantis & mollities ceræ, ex ſe ad oppoſita ordinantur: durities nimirum Adamantis ad fortiter reſiſtendum, & ceræ mollities ad non reſiſtendum, vel ad facilè ſuſcipiendum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quæ ex ſe ad oppoſita, vel contradictoriè, vel privativè, vel con-

contrariè, ordinantur, essentialiter discrepant, concedo: quæ ad opposita relativè, ex se ordinantur, essentialiter discrepant, nego: duricies autem Adamantis, & ceræ mollities, ex se quidem ad opposita ordinantur; at ad opposita tantummodò relativè, id est, ad magis, & minùs resistendum; durities namque Adamantis resistit magis, & ceræ mollities minùs. Unde falsum est, mollitiem ceræ ordinari duntaxat ad non resistendum. Ad facilè autem suscipiendum ordinatur, non primariò, & in recto, sed secundariò & in obliquo solùm ac de connotato quatenùs debiliter resistendo, connotat facilem susceptionem ejus, cui resistebat: non est verò de rebus judicandum juxta ea, quæ ipsis secundariò & in obliquo ac de connotato tantùm conveniunt.

Objic. 4. contra quartam concl. solum principium proximum influens influxu activo, est in hac qualitatis specie reponendum; definitur quippè species illa: *Qualitas proximè activa &c.* atqui proximum principium resistendi resistentia formali non influit influxu activo, sed duntaxat influxu formali: ergo &c.

Respondeo distinguēdo ma. solum principium proximum influens influxu directè vel reductivè activo, est &c. concedo: solum principium proximum influens influxu directè activo, est &c. subdistinguo: est directè in hac qualitatis specie reponendum, concedo: est reductivè in hac &c. nego: & distinguo pariter min. atqui proximum principium &c. non influit influxu directè activo &c. concedo: non influit influxu reductivè activo, nego; etenim proximum principium resistendi resistentia formali, verbi gratia durities Adamantis, suo influxu retardando & infrigendo actionem agentis contrarii, censetur contra pugnare, & ita contra agere; ac proinde influxus ille est reductivè activus, adeò

ut

Respondeo 3. distinguendo ma. si potentia &c. debuisset Aristot. aliquo in loco, istius prædicamenti species enumerando, mentionem facere, concedo: debuisset Aristot. in omni loco, istius &c. mentionem facere, nego: esto autem Philosophus potentiæ passivæ in hoc prædicamento non meminerit, ipsam tamen recenset 5. Metaph.

Objic. 6. D. Thomas q. 1. de potent. art. 1. & in 1. dist. 42. q. 1. a. 1. ait, potentiam passivam secundariò ad potentiam, seu ad hanc speciem qualitatis, spectare: ergo ex mente S. Doctoris, potentia passiva non est propriè in ista specie collocanda.

Respondeo negando conseq. dici enim potest, S. Doctorem velle tantùm, potentiam passivam esse activa potentia imperfectiorem, adeò ut potentia activa sit potissimum hujus speciei membrum, & potentia passiva sit membrum illius minùs præcipuum: quemadmodùm autem licèt brutum sit imperfectius homine, ita ut homo sit præstantior animalis species, & brutum minùs excellens; propriè tamen brutum in genere *animalis* simul cum homine collocatur: sic etiam potentia passiva propriè in hac secunda qualitatis specie simul cum potentia activa propriè reponitur. Undè eo simili modo potentia passiva secundariò ad istam speciem spectat, quo brutum ad genus *animalis* secundariò pertinet.

Objic. 7. completa substantia corporea per se ipsa immediatè est quantitatis aliarumque proprietatum suarum susceptiva: ergo pariter per se ipsam, est actionis extraneæ, & effectus per ipsam producti, proximè receptiva; ac proinde accidentalis potentia passiva realiter distincta à substantia completa, ad hoc superfluit; quæ subinde in hac specie non est ponenda.

Respondeo negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd completa substantia corporea ex se ipsa, ad quantitatem cæteraque proprie-

tates

tates suas determinata est, adeò ut necessariò ex eas emanent; ideòque per se ipsam immediatè est illarum susceptiva: at substantia completa est ex se ipsa ad actionem extraneam, effectumque per ipsam productum, indifferens; & idcircò indiget accidentali potentia passiva realiter à se distincta, qua ad ejusmodi actionem effectumque determinetur.

IDices: quantitas per se ipsam immediatè est aliorum accidentium materialium susceptiva: ergo similiter substantia completa per se ipsam immediatè est actionis extrancæ, & effectus per ipsam producibilis, exceptiva.

Respondeo negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd quantitas extendendo substantiam corpoream in partes, immediatè apta est ad alia accidentia materialia recipienda, ita ut substantia corporea quantitate effecta sit proximè & expeditè illorum accidentium capax; idcèòque quantitas per se ipsam est immediatè ex suo ejusmodi accidentium susceptiva: at completa substantia aeris, verbi gratia, non est immediatè ad actionem extraneam luminis effectricem idonea, sed dumtaxat mediante diaphaneitate; & ideò media diaphaneitate tantummodò, est illius actionis atque luminis exceptiva.

Dices iterum: dispositio ad formam, debet reduci ad speciem formæ, ad quam disponit: atqui diaphaneitas est dispositio ad lumen: ergo reducenda est ad speciem luminis; lumen autem cùm sit qualitas sensibilis, non in hac secunda qualitatis specie, sed in tertia, reponendum est, eo quòd tertia species omnes qualitates sensibiles comprehendat; ut infrà patebit.

Respondeo distinguendo ma. pura & simpliciter dicta dispositio ad formam, debet &c. concedo: non pura, & secundùm quid dicta dispositio &c. nego: licèt autem diaphaneitas sit aliqua ad lumen dispositio, non tamen pura, & sim-

tionalem recipiendo. Est autem species intentionalis, imago quædam subtilis, recepta in potentia cognoscitiva, qua objectum ut proximè cognoscibile repræsentatur. Dicitur verò *intentionalis*, quoniam intentioni, seu cognitioni objecti, inservit. Passio autem ultimo modo accepta, ad hanc tertiam qualitatis speciem spectat.

Definitur verò species ista: *Qualitas per se primò sensibilis*: id est, qualitas constituens objectum primarium sensus externi, quod nempè primariò, per se, aut ratione sui, & per propriam speciem intentionalem, percipitur ab externo sensu. Hujusmodi sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas, respectu tactus; lux, & color, respectu visus; odor respectu odoratus; sapor respectu gustus, & sonus respectu auditus.

Bonitas illius definitionis ex eo colligitur, quòd tunc definitio bona est, quando rei definitæ genus & differentiam exponit; quia tunc res definita adæquatè per definitionem explicatur: atqui allata definitio genus & differentiam tertiæ speciei qualitatis exponit: ergo &c. Min. ex eo suadetur, quòd prior particula *qualitas* designat hujus speciei *genus*; ex eo quippè, quòd sit qualitas, genericè cum aliis speciebus qualitatis convenit. Per alias verò ejusdem definitionis particulas, quibus species ista dicitur, *qualitas per se primò sensibilis*, designatur ejus à cæteris speciebus qualitatis differentia: nulla enim alia qualitas est, quæ sit per se primò sensibilis, id est, quæ primariò, ratione sui, ac per propriam speciem intentionaiem, à sensu externo percipiatur.

Solet autem qualitas hujus speciei vel alterationem sensibilem causare, vel à sensibili alteratione causari. Sic calor existens in igne, sensibiliter alterat lignum, quod calefacit, adeò ut lignum tunc vi ignis calefacientis, sensibiliter alteretur, id est, ab una qualitate sensibili contraria,

adh alteram qualitatem sensibilem contrariam, nimirùm à frigore ad calorem, successivè moveatur. Calor verò in ligno ex tali alteratione sensibilli causatur. Omnis autem qualitas ad hanc speeciem pertinens, id est, omnis qualitas per se semsibilis, alterationem intentionalem causat in sennsu, adeò ut immittat in sensum speciem intentionalem objecti sensibilis repræsentativam, ratione cujus alteratur sive mutatur sensus, novam formam intentionalem acquirendo. Hinc aliiqui Philosophi hanc speciem definiunt: *Qualitatem alterationem sensibilem causantem, vel ab alteratione sensibili causatam.*

Dividitur autem ista species in passionem, & passibilem, aut patibilem, qualitatem. Passio, prout hìc usurpatur, *est qualitas per se primò sensibilis citò transiens*; ut rubor ex verecundia, vel pallor ex metu. Patibilis verò qualitas *est ea, quæ diu in subjecto permanet*; ut rubor ex sanguinea complexione, aut pallor ex melancholico temperamento. Hæc autem divisio adæquata estit: omnis quippè qualitas sensibilis, in ista speciee collocata, vel est citò transiens, vel diu permanens; & sic, aut est passio, aut est patibilis qualitas. Citò transiens qualitas rectè *passio* nuncupatur; quoniam passionis nomen designare solet id, quod correspondet actioni, quæ citò transit. Qualitas verò permanens congruenter *patibilis* dicitur; quoniam hoc nomen *patibile* significat aliquid habituale, ac proinde permanens. Qualitas autem sensibilis in ista specie collita, *passio*, aut *patibilis*, appellatur; quia sensus ab illa patitur, speciem intentionalem ab ea recipiendo.

Quæres, quomodò passio, & patibilis qualitas, differant? Respondeo cum Philosophis communiter, eas essentialiter & specificè non distingui, sed accidentaliter tantùm. Etenim apud Aristotelem hic, in eo solùm discriminantur, quòd patibilis qualitas sit diuturnior, & passio

minùs durans; id autem discrimen est dumtaxat accidentale. Hinc Philosophus 1. Ethic. cap. 6. ait, *album diuturnius* non differre specie ab *albo minùs durante*. Deinde quæ per accidens solùm discrepant, accidentaliter tantùm distinguuntur; ut patet: passio verò, & patibilis qualitas, per accidens tantummodò discrepant; quòd enim pallor, v. g. citò transeat, & sit passio; vel diu permaneat, & sit patibilis qualitas, per accidens est respectu palloris; ex eo videlicet, quòd extrinseca palloris causa citò transeat, vel diu permaneat: ad quod utique per accidens se habet pallor. Insuper, cùm formalis effectus sit ipsa forma ut communicata subjecto; formæ, quæ sunt diversæ speciei, debent formales effectus diversæ speciei præstare: passio verò, & patibilis qualitas, non præstant effectus formales diversæ speciei, sed potiùs eumdem habent formalem effectus: sic pallor, sive transeat, sive permaneat, & ita, sive sit passio, sive sit patibilis qualitas, constituit formaliter *pallidum*.

§. UNICUS.

Quædam objectiones solvuntur.

OBjic 1. si species ista rectè definiretur: *Qualitas per se primò sensibilis*; omnes qualitates in specie illa collocatæ deberent esse per se primò sensibiles: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. liquet. Prob. min. Aristot. in hoc ca. ponit expresse in hac specie passiones animæ; ut iram, gaudium, &c. item amentiam, & insaniam; hæc autem & similia non sunt per se primò sensibilia respectu sensuum externorum; cùm sint internæ affectiones animæ, quæ per se primò à nullo sensu externo percipi possunt.

Respondeo distinguendo maj. si species &c.

om-

omnes qualitates in ſpecie illa ratione ſui collocatæ, deberent &c. concedo; omnes qualitates in ſpecie illa, ratione alicujus concomitantis, vel conſequentis collocatæ, deberent &c. nego. Paſſiones verò animæ, ut ira, gaudium, &c. item mœntia, & inſania, non ponuntur in ſpecie illa ratione ſui, ſed duntaxat ratione alicujus concomitantis, vel conſequentis, nempè ratione qualitatis per ſe primò ſenſibilis, cauſatæ per alterationem corporalem illas animæ affectiones concomitantem, vel conſequentem.

Inſt. Ariſtoteles hìc docet, iram pertinere ad hanc ſpeciem, quatenus denominat hominem iracundum: atqui ira denominat hominem iracundum ratione ſui, non verò ratione qualitatis ſenſibilis concomitantis vel conſequentis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. Ariſtot. hìc docet, iram pertinere cauſaliter vel occaſionaliter ad hanc ſpeciem, quatenus, &c. concedo: docet, iram pertinere formaliter ad hanc ſpeciem, quatenus &c. nego. Itaque dupliciter dici poteſt ira ad iſtam qualitatis ſpeciem ſpectare, nempè, vel formaliter, adeò ut ſit qualitas formaliter & immediatè in ea ſpecie repoſita: vel cauſaliter aut occaſionaliter, ita ut ſit cauſa vel occaſio ejus, ad quod ſequitur qualitas per ſe primò ſenſibilis, directè in præſenti ſpecie collocata. Ira ergo, quatenus denominat hominem *iracundum*, & prout eſt interna animæ paſſio, formaliter & immediatè ad iſtam qualitatis ſpeciem non pertinet; ſed cauſaliter ſolùm aut occaſionaliter, inquantùm eſt cauſa vel occaſio alterationis corporalis, ad quam in corpore qualitas per ſe ſenſibilis, v.g. rubor, vel pallor, conſequitur. Et conceſſa min. diſtinguo conſequens diſtinctione data.

Objic. 2. ſi ſpecies iſta rectè definiretur: *Qualitas per ſe primò ſenſibilis*, color foret qualitas ſpatibilis, directè in hac ſpecie poſita, quia eſt per

se primò sensibilis; atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. est perspicua. Prob. min. intantùm color est sensibilis, inquantùm passionem seu alterationem efficit in sensu, imprimendo ipsi speciem intentionalem: atqui color non est qualitas patibilis, quia passionem efficit in sensu; ut asserit Philosophus loco citato: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. concessa ma. distinguo min. atqui color non est qualitas patibilis propriè strictèque alterans, quia passionem efficit in sensu, concedo: atqui color non est qualitas patibilis propriè ac strictè prædicamentalis, quia passionem &c. nego.

Itaque color prout est patibilis qualitas, dupliciter considerari potest; nempè prout alterans, & prout prædicamentalis. Non est igitur propriè strictèque alterans, ex eo, quòd passionem seu alterationem efficiat in sensu; hæc quippè alteratio propriè dicta strictaque non est: in alteratione enim propriè ac strictè nuncupata debet subjectum successivè à qualitate contraria ad qualitatem contrariam transire; dum autem sensus, nempè visus, alteratur, speciem intentionalem à calore impressiam recipiendo, non transit à qualitate contraria ad qualitatem contrariam, sed à privatione speciei intentionalis ad speciem intentionalem; totumque alterationis opus tunc fit unico instanti. Cæterùm color, quatenus qualitas per se primò sensibilis est, & passionem aut alterationem intentionalem efficit in sensu, ipsi speciem intentionalem imprimendo, est vera patibilis qualitas prædicamentalis, quæ propriè, strictè, ac directè, in prædicamento qualitatis, & in tertia ejus specie, reponitur; quoniam, ut talis, (prout ex dictis constat) componitur ex genere & differentia, ex quibus ista qualitatis species coalescit.

Objic. 3. legitima tertiæ speciei prædicamenti qua-

tis qualitatis definitio non debet qualitatibus alterius speciei convenire; ut patet: atqui allata definitio competit qualitatibus alterius speciei: ergo &c. Prob. min. pulchritudo, & deformitas, ad primam qualitatis speciem spectant; cùm substantia benè per pulchritudinem, sæ malè per deformitatem, disponatur: illa autem definitio convenit pulchritudini ac deformitati, cùm pulchritudo & deformitas sint sensibiles, utpotè quæ per visum & tactum sentiuntur.

Respondeo concessa ma. negando min. præfata enim definitio est hæc: *Qualitas per se primò sensibilis.* Licèt autem pulchritudo & deformitas quæ ad primam speciem spectant, item forma Turris, & figura Leonis, quæ ad quartam speciem pertinent, aliaque hujusmodi, sint sensibilia; non tamen per se primò, seu tamquam propria & specificativa sensuum externorum objecta; sed tantùm per se secundò, id est, tamquam accidentia quædam objecta illa concomitantia: color namque, v. g. est proprium ac specificativum objectum visus; pulchritudo autem, deformitas, forma, figura, & ejusmodi, colorem concomitantur.

Objic. 4. si hæc qualitatis species foret definienda: *Qualitas per se primò sensibilis*: sequeretur, omnem qualitatem per se primò sensibilem esse in specie ista reponendam; ut liquet satis: atqui non omnis qualitas per se primò sensibilis est in hac specie reponenda: ergo &c. Prob. min. exemplo caloris in homine febrem habente: calor enim iste per se primò à tactu sensibilis est, ut constat; & tamen quia malè subjectum afficit, ad primam speciem qualitatis spectat.

Respondeo concessa ma. negando min. licèt enim calor in homine febricitante, secundùm id, quod per accidens accipit à febri, accidentaliter ad primam qualitatis speciem reduci possit,

eo quòd ita sumptus malè subjectum disponat: attamen secundùm naturam suam consideratus, essentialiter ac directè ad tertiam speciem spectat quoniam sic acceptus, est essentialiter ac per se primò sensibilis.

Objic. 5. habitus, & dispositio, essentialiter differunt; ut ex dictis patet: ergo etiam patibilis qualitas, & passio. Prob. conseq. ratio, ob quam habitus, & dispositio, essentialiter distinguuntur, est, quia habitus est difficilè mobilis, dispositio verò facilè mobilis est: patibilis verò qualitas dia permanens in subjecto, difficilè ab eo mobilis est; ut liquet in pallore ex melancholico temperamento proveniente: passio autem est facilè mobilis; ut patet in pallore orto ex metu.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd habitus quoad rem, ex natura & essentia sua, est difficilè mobilis; dispositio autem quoad rem, ex sua natura ac essentia, facilè à subjecto mobilis est; prout explanatum est suprà. Quòd autem patibilis qualitas diu perseveret, sitque difficilè mobilis; id ex intrinseca ejus natura non oritur, sed ab extrinseco hoc procedit; ex eo nimirum, quòd extrinseca ejus causa efficiens diu permaneat: similiter, quòd passio transeat citò, & sit mobilis facilè; id ex ipsius essentia non nascitur, sed hoc ex extrinseca illius causa efficienti subitò transeunti proficiscitur dumtaxat.

Inst. lux in sole est ex natura rei difficilè mobilis; lumen verò in aere ex natura rei facilè mobile est: atqui lux in sole est patibilis qualitas, lumen autem in aere est passio: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. lux in sole est ex extrinseca natura rei difficilè mobilis; lumen verò in aere ex extrinseca &c. concedo: lux in sole est ex intrinseca natura rei difficilè mobile; lumen verò in aere ex intrinseca ejus natura, &c.

&c. nego: in luce igitur, quæ in sole est, vel in lumine, quod est in aere, duplex est distinguenda natura, nimirum una intrinseca, extrinseca altera. Prior est ipsa lucis aut luminis essentia. Posterior autem est natura subjecti, in quo lux aut lumen existit. Si ergo subjecti natura spectetur, lux solis est ex natura rei difficilè mobilis, lumen verò in aere ex natura rei facilè mobile est; natura quippe solis exigit lucem, sicut proprietatem sibi necessariò conjunctam, & inseparabilem, ac proinde difficilè ab ea mobilem: aer verò ex sua natura capax est luminis tamquam formæ adventitiæ, separabilis, facilèque mobilis. Si autem lucis vel luminis natura intrinseca, seu essentia, consideretur; lux sive lumen, est qualitas ex sua natura abstrahens ad hoc, quòd sit diu permanens, ac difficilè mobilis; vel citò transiens, facilèque mobilis.

Dices: passio non est qualitas: ergo non est ejusdem speciei cum patibili qualitate. Consequens patet. Prob. ant. homo à passione propriè & simpliciter non denominatur qualis; sic v. g. à pallore citò transeunte propriè & simpliciter non denominatur pallidus; ut expresse docet Aristoteles: ergo passio non est propriè & simpliciter qualitas.

Respondeo distinguendo antec. passio non est qualitas, quoad statum perfectum, concedo: non est qualitas quoad rem aut naturam, nego: licèt enim passio non obtineat statum perfectum seu permanentem qualitatis, ipsi tamen natura qualitatis prædicamentalis revera competit. Unde neganda est conseq. etenim quamvis patibilis qualitas sit in statu perfecto ac permanenti, passio verò in statu imperfecto & transeunti; nihilominùs sunt reipsa ejusdem naturæ specificæ: Quam doctrinam tradit Cajetanus. Ad prob. ant. distinguo ant. homo à passione propriè & simpliciter, quoad communem modum loquendi

hominum, non denominatur *qualis*, concedo: cùm enim homines parvam paſſionis durationem pro nihilo ducant, non cenſent, ſubjectum à qualitate citò tranſeunti, propriè & ſimpliciter, denominari *quale*: homo à paſſione propriè & ſimpliciter quoad realem qualitatis affectionem, non denominatur *qualis*, nego; quamvis enim qualitas, quæ eſt paſſio, tranſeat citò; realiter tamen ſubjectum verè afficit, propriè & ſimpliciter loquendo.

Articulus Quintus.

Explicatur ultima qualitatis ſpecies.

Ultima ſpecies prædicamenti qualitatis ſolet in *formam & figuram* dividi. *Forma* verò multipliciter uſurpatur. Primò univerſaliſſimè, prout formam ſubſtantialem, & formam accidentalem, comprehendit: hinc non ſolùm anima rationalis, verùm etiam ſcientia, dici poteſt hominis forma. Secundò ſtrictiùs, prout deſignat formam ſubſtantialem, quæ ſpecialiter *forma* nominatur; & in hoc ſenſu dici poteſt unicam eſſe in homine formam, nimirum animam rationalem, quæ eſt ſubſtantialis forma hominis. Tertiò, prout denotat pulchritudinem, quæ ex debita partium proportione & ordine reſultat: hinc homines *formoſi* nuncupantur, & Pſalmo 44. de Chriſto dicebat Regius Propheta: *Speciоſus forma præ filiis hominum*. Quartò demùm ſumi poteſt pro diſpoſitione, proportione, & ordine partium quantitatis, in ordine ad ſe, quæ pulchritudinis radix eſt. Et de forma hoc ultimo modo ſumpta, hìc erit ſermo.

Figura multifariè etiam accipi poteſt. Primò rhetoricè, prout figuram Rhetoricam deſignat. Secundò, prout figuram ſyllogiſticam apud Logicos ſignificat. Tertiò ſumitur pro ſigno alicujus rei futuræ: ſic immolatio Agni Paſchalis in

Ve-

Veteri Lege erat Dominicæ Passionis figura. Quartò accipitur interdum pro imagine; sic Christus vocatur figura substantiæ Patris æterni.

Denique apud D. Thomam in 3. sent. dist. 16. q. 2. ar. 1. ad 1. figura definitur: *Qualitas exterminatione quantitatis resultans*. Ad cujus definitionis intelligentiam, advertendum est, duplicem terminationem inesse quantitati. Unam intrinsecam, extrinsecam alteram: sic v. g. intrinseca lineæ terminatio consistit in punctis, quibus ipsa intrinsecè terminatur. Intrinseca autem terminatio superficiei sita est in lineis ipsam intrinsecè terminantibus. Extrinseca verò quantitatis terminatio, est figura, quæ intrinsecam ejus terminationem consequitur; nam figura, v. g. quadrangula, constans quatuor angulis, supponit quatuor lineas suis punctis terminatas: cubus verò supponit sex superficies suis terminatas lineis, quibus superveniens, eas ordinat ac disponit, & in specie cubi constituit. Atque ita de similibus figuris. De figura verò quarto modo sumpta hic agitur.

Quomodo autem differant forma, & figura, difficilè satis explicatur. Dicendum tamen est inprimis, cum D. Thoma lib. 7. Phys. lect. 5. formam, & figuram, in eo differre, quòd figura importat terminationem quantitatis, ex qua resultat, modo dicto. Est enim figura, quæ termino, vel terminis, comprehenditur; sic circulus unico termino, seu unica linea, clauditur; quadratum quatuor terminis, seu lineis; & ita de aliis figuris. Forma verò, inquit, dicitur, quæ dat esse specificum artificiato: hujusmodi est forma domus, quæ prout domum in suo esse specifico constituit, debet *forma* nuncupari.

Secundò dici potest, cum eodem S. Doctore 3. contra Gent. cap. 105. formam & figuram in hoc discrepare, quòd forma se habeat physicè, ita ut in composito physico cum accidentibus sensibilibus conjungatur: figura verò se habeat ma-

etenim sicut in continua quantitate, figura quadrata consurgit ex ductu unius lineæ rectæ in latus, secundùm propriam longitudinem; ita in numero senario ex ductu numeri ternarii in se ipsum intelligitur consurgere figura quadrata. Cæterùm, propriè loquendo, nomen figuræ, soli quantitati continuæ debet concedi.

Quæres, utrum forma, & figura, sint revera qualitates, an aliquid aliud? Respondet Scotus in 4. Sent. dist. 12. q. 4. n. 19. figuram nihil importare ultra quantitatem, nisi relationem partium ad se invicem, vel terminorum includentium partes; quæ relatio, & consequenter figura, ex mente Scoti, mutari potest, manentibus iisdem partibus quantitatis, in se, & in toto. Oviedo autem in Metaph. controvers. 8. punct. 2. n. 10. ait, figuram mathematicam non distingui ab *ubi* intrinseco, seu à præsentia motu locali acquisita, vi cujus res in loco constituitur.

Respondet verò D. Thomas in 3. dist. 16. q. 2. a. 1. & 7. Phys. lect. 5. & 1. 2. q. 4. art. 2. & alibi, ac docet, formam, & figuram, esse reipsa qualitates, à quantitate cæterisque accidentibus distinctas. D. Thomam sequuntur communiter Thomistæ; imò & Suarez, aliique plures recentiores. Hanc sententiam approbat Aristoteles hìc, affirmans, formam, & figuram, esse qualitates, & per eas subjectum denominari *quale*, sicut per alias qualitates denominatur *quale*; ex mente ergo Philosophi, forma, & figura, non minùs verè sunt qualitates, quàm cæteræ. Ratio etiam id suadet; nam ea accidentia verè proprièque sunt qualitates, quæ sub quarta qualitatis specie verè atque propriè continentur, ut patet: apud Peripateticos autem, forma, & figura, sub quarta qualitatis specie verè ac propriè continentur, adeò ut species illa in formam, & figuram, sicut in membra, verè & propriè naturam ejus participantia, ab illis dividatur.

Articulus Sextus.

Proprietates qualitatis exponuntur.

In secunda hujus capitis parte triplicem assignat Philosophus qualitatis proprietatem. Prima est, quòd qualitas habeat contrarium: peculiare enim est qualitati, ut in ea oppositio contraria strictè sumpta inveniatur. In aliis verò rebus oppositio contraria tantùm latè accepta, & secundùm aliquam metaphoram, imitationem, & proportionem ad eam, quæ inter qualitates est, reperitur. Hinc calor & frigus, humiditas & siccitas, albedo & nigredo, &c. propriè contrariantur. Et meritò; nam contraria propriè dicta sunt ea, quæ inter se sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt: calor autem & frigus, &c. sub eodem genere qualitatis inter se maximè distant pugnantque, & se mutuò de subjecto deturbant.

Dices: vera proprietas qualitatis debet omni qualitati convenire: atqui habere contrarium, non competit omni qualitati: ergo &c. Min. est certa. Etenim figuræ, v. g. triangulo, vel potentiæ naturali, v. g. intellectui, nihil propriè contrarium est; ex Arist. etiam, coloribus mediis, ut rubeo, viridi, flavo, fusco, &c. sicut & luci, nihil propriè contrariatur.

Respondeo distinguendo maj. vera qualitatis proprietas quarto modo, debet &c. concedo: vera qualitatis proprietas primo modo, debet &c. nego. Proprium quippè quarto modo illud est, quod convenit omni, soli, & semper. Proprium verò primo modo est id, quod convenit soli, sed non omni. Habere autem contrarium strictè sumptũ, est proprium qualitatis primo modo duntaxat.

Quæres, cur flavum & fuscum, & alii colores medii disconvenientes, propriè non contrarientur inter se?

Res-

diversæ speciei, item &c. sunt dissimiles impropriè ac secundùm quid, concedo: propriè & simpliciter, nego. Etenim duæ substantiæ ejusdem speciei, verb. grat. dicuntur similes, quatenus in differentiis specificis conveniunt; duæ verò substantiæ diversæ speciei dici possunt dissimiles, in quantùm in differentiis specificis disconveniunt.

Differentiæ autem specificæ sunt qualitates impropriè, secundùm quid, & ex quadam metaphora tantùm, quæ in hoc sita est, quòd sicut qualitas propriè dicta determinat subjectum in se ad tale esse accidentale; sic quælibet differentia specifica determinat genus in se ad tale esse specificum. Et ita semper verum est, propriùm esse qualitatum, ut ratione sui sint similes vel dissimiles simpliciter.

Dices iterum: si duæ qualitates possent similitudinem formalem fundare, id præstare valerent, vel ratione unitatis in essentia specifica, vel ratione unitatis seu convenientiæ in eodem intensionis gradu: atqui neutrum dici potest: ergo &c. Maj. perspicua est. Prob. min. & primò quidem dici nequit, quòd formalem similitudinem fundare possint ratione unitatis in essentia specifica; nam duæ substantiæ ejusdem speciei, unitatem in essentia specifica obtinent, & tamen similitudinem formalem propriè fundare nequeunt; ut ex dictis constat. Non potest etiam dici, duas qualitates posse formalem similitudinem fundare ratione unitatis aut convenientiæ in eodem intensionis gradu; alioquin namque figuræ, & potentiæ naturales, quæ intensionis incapaces sunt, similitudinem formalem fundare non possent.

Respondeo, qualitates fundare similitudinem formalem, seu relationem similitudinis, primariò ratione unitatis in essentia specifica,

non-

noonnumquam secundariò ratione unitatis in eodem intensionis gradu, quando qualitates sunt intensionis capaces. Ex axiomate autem Aristotelico: *Unum in substantia facit idem, unum in quantitate facit æquale, & unum in qualitate facit simile*: & ideò sola unitas in entia specifica, propriè ac simpliciter naturam qualitatis participante, formalem similitudinis relationem fundare potest; unitas verò illa est quidem in duabus qualitatibus specificè convenientibus, non tamen in duabus substantiis ejusdem speciei.

Instab. duæ quantitates non censentur formaliter æquales, nisi in pari extensione unitatem habeant: ergo pariter duæ qualitates censeri non debent formaliter similes, nisi in eodem intensionis gradu unitatem obtineant.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd homines, ex communi usu, non existimant, duas quantitates simpliciter convenire, nisi sint paris extensionis; ut autem quantitates sint formaliter æquales, debent inter se simpliciter convenire. At eo ipso, verb. grat. quòd duo parietes albi habeant qualitates ejusdem speciei, nempè duas albedines, putant homines, ex communi judicio, illos simpliciter in qualitate convenire; nec exigere solent, ut eundem intensionis gradum obtineant.

Articulus Septimus.

De Prædicamenti qualitatis coordinatione.

SUpremum hujus prædicamenti genus est prædicamentalis qualitas generaliter sumpta, quæ in quatuor enumeratas & explanatas species distribuitur. Prima species in habitum, & dispositionem, dividenda est. Habitus alius est à Deo infusus, & alius à nobis acquisitus. Prior sub se gratiam habitualem, fidem, spem, charitatem, dona Spiritus sancti, lumen gloriæ, lumen propheticum, cæteraſque virtutes supernaturales comprehendit.

Habitus à nobis per actus iteratos acquisitus, alius est intellectualis, & alius moralis. Prior ita dicitur, quia est in intellectu. Posterior verò in appetitu residet. Habitus intellectuales, alii sunt veri, ut habitus primorum principiorum, sapientia, scientia, prudentia, & ars: alii sunt falsi, ut error, & hæresis. Habitus moralis in bonum, & malum, subdividitur. Habitus moralis bonus varias virtutes morales, ut justitiam temperantiam, fortitudinem, &c. sub se complectitur. Habitus moralis malus in varia vitia est dividendus. Cæterùm habitualis error, & habituale vitium, non sunt habitus propriè dicti, & quoad rem seu naturam, quasi obtineant propriè dictam habitus naturam: sed dici possunt habitus impropriè solùm, & quoad statum; ut alibi expositum est.

Dispositio verò in corporalem, seu ad corpus pertinentem, & in spiritualem, seu ad spiritum aut animam spectantem, dividi potest. Prior subdividitur in operativam, & in non operativam. Prima continet omnes facilè mobiles habilitates corporis ad operandum; cujusmodi sunt habilitates, quæ in quibusdam corporibus inve-

niun-

nniuntur, ad saltandum, pingendum, scribendum &c. sub dispositione autem corporali non operativa, pulchritudo, deformitas, morbi &c. coontinentur. Dispositio verò spiritualis in opinionem, fidem humanam, suspicionem, & similes qualitates spirituales facilè mobiles, dividi potest.

Secunda qualitatis species in potentiam, & impotentiam, adæquatè dividitur. Potentia in activam, & passivam, subdividitur. Sub potentia passiva inveniuntur Character baptismatis, diaphaneitas, & similes potentiæ accidentales passivæ, per se primò ac immediatè ad recipiendum ordinatæ. Potentia verò activa in potentiam agendi, & potentiam resistendi, est dividenda. Sub ista potentia, durum, molle, solidum, fragile, &c. continentur. Potentia agendi dividitur in potentiam immanentem, cujus nempe operatio manet intra principium proximum, à quo elicitur: & in potentiam transeuntem, cujus scilicet actio transit ad *subjectum* extermum, in eoque recipitur.

Potentia immanens distribuitur in vegetativam, cognoscitivam, & appetitivam. Vegetativa in generativam, nutritivam, & augmentativam, est subdividenda. Potentia cognoscitiva, in intellectivam, & in sensitivam, dividatur necesse est. Sub intellectiva, intellectus angelicus, & humanus intellectus; sub sensitiva verò, sensus, tum interni, tum externi, comprehenduntur. Species impressa, id est, imago aut similitudo, quæ ab objecto imprimitur potentiæ cognoscitivæ, ut vices gerat objecti, & loco ipsius concurrat cum potentia cognoscitiva ad cognitionem producendam, congruenter ad potentiam reducitur, utpote ejus complementum & com· principium. Species expressa potest etiam ad potentiam revocari, quoniam nihil aliud est, quàm actualis imago objecti intra potentiam cognoscitivam posita, ad modum termini intrinseci,

ci, quem intra se actu contemplatur. Alii speciem expressam ad dispositionem reducunt, ut potè facilè mobilem; transit enim cum actuali cognitione; in quo differt à specie impressa quæ permanet transacta cognitione.

Potentia appetitiva dividitur in rationalem, & sensitivam. Prior dicitur *voluntas*, & Angelicam, humanamque voluntatem, complectitur. Posterior autem solet *appetitus sensitivus* nuncupari. Duplex est, nempè concupiscibilis, & irascibilis; prout suo loco exponetur. Potentia verò transiens comprehendit eas omnes potentias, quarum actiones ad subjecta externa transeunt, in ipsisque formaliter recipiuntur: hujusmodi sunt potentia calefactiva in igne, potentia frigefactiva in glacie, &c.

Tertia species qualitatis, quæ definitur; *Qualitas per se primò sensibilis*, eas omnes qualitates sub se continet, quæ per se primò, seu ratione sui, à sensibus externis percipiuntur. Hæ autem qualitates sunt, color, qui est proprium visus objectum; sicut & lux, quæ ad idem objectum spectat; sonus, qui est proprium objectum auditus; odor, circa quem olfactus primariò versatur; sapor, qui per se primò à gustu sentitur; calor, frigus, humiditas, & siccitas, quæ primarium tactus objectum constituunt. Color, sonus, odor, & sapor, in alias species inferiores subdividuntur. Calor verò, frigus, humiditas, & siccitas, sunt species infimæ. Dicunturque *primæ qualitates*; quoniam omnes aliæ qualitates sensibiles, vel ex eis resultant, sicut illarum pedissequæ; ut *raritas*, & *levitas*, sequuntur calorem; *densitas* verò & *gravitas* sequuntur frigus: vel ex earum præmixtione fiunt, ut colores, odores, sapores, &c.

Quarta tandem qualitatis species sub se complectitur omnes formas artefactorum, v. g. cathedræ, domus, turris, &c. item omnes figuras, tam rerum naturalium, v. g. hominis, leonis,

De sex

nis, &c. quàm eas
siderantur. Figura a
viditur in planam,
distribuitur in circul
drangularem, &c. Fi
est in sphæricam, &
tum &c.

QUÆST

De sex ultimi

AUthor Gr
Porretanus
Aristotelis
esse circa
libellum
De sex principiis; und
nominatus est. Sex ul
cut sunt minimæ ent
fectionis. Ideòque pri
tantiæ, quantitatis,
differendum fuit, qu
mentis. Hæc autem p
quæ necessitatis, in
qui perpauca de illis t
do autem in scholis
prius de hujusmodi p
si, & deinde de i
dum erit.

O SEXTA.

prædicamentis.

cius, nomine *Gilbertus*
, ſupplere volens, quæ
doctrinæ videbantur de-
ſex iſta prædicamenta,
diidit, cui Titulus eſt:
Author ſex principiorum
ima verò prædicamenta,
tatis, ita & minimæ per-
is de prædicamentis ſub-
qualitatis, & relationis,
mi de aliis ſex prædica-
ædicamenta non eſſe ma-
nuat ſatis Philoſophus,
radidit nobis. Ex metho-
communiter uſurpata,
ædicamentis in commu-
ſibus in particulari agen-

O AR-

Articulus Primus.

In quo eſſentialiter ſita ſint ſex ultima prædicamenta?

Circa hanc difficultatem quatuor ſunt Philoſophorum ſententiæ. Prima docet, ſex ultima prædicamenta conſiſtere eſſentialiter in ſolis denominationibus extrinſecis; ita ut *ubi*, v. g. nihil aliud ſit, quàm extrinſeca quædam denominatio deſumpta à loco continente locatum; *quando*, ſit denominatio extrinſeca proveniens à tempore menſurante; *habitus*, ſit extrinſeca denominatio orta à veſte adjacente; & ſic de cæteris. Hanc ſententiam docent Heru. Javellus Conrad. Joann. Martin. & Maſius, qui plures alios adducit. Imò eam tradere videtur D. Thom. opuſc. 48. tract. 6. ca. 1. item lib. 3. Phyſic. lect 5. & lib. 5. Metaph. Lect. 9.

Secunda ſententia aſſerit, ſex ultima prædicamenta eſſe relationes quaſdam, quas appellat extrinſecùs advenientes, hoc eſt, ex aliquo extrinſecùs adjacente reſultantes. Sic in ejus doctrina, *ubi* nihil aliud eſt, quàm relatio corporis locati ad locum ambientem, ex quo oritur; & ita de reliquis. Hanc ſententiam defendunt Scotus, & ejus Diſcipuli.

Tertia affirmat, ſex ultima prædicamenta conſiſtere in aggregato quodam ex abſoluto & relativo. Ita docuerunt aliqui antiqui Philoſophi apud Heru. quodl. 1. q. 9.

Quarta tandem affirmat, ſex ultimas categorias eſſe entitates ſeu formalitates quaſdã intrinſecas rebus, atque abſolutas, quæ reſultant ex aliquo extrinſeco, à quo eſſentialiter dependent; ſic, v. g. *ubi* eſt accidentalis quædã entitas aut formalitas realis, abſoluta, & intrinſeca rei locatæ, quæ reſultat ex loco circumſcribente, ab eoque eſſentialiter dependet. Illam ſententiam tu-

entur

entur Capreolus, Soncin. Aravius, Complut. Lerma, Gonz. Joan. à S. Thoma, Ortizius, alique Thomistæ communiter.

§. I.

Difficultas explanatur.

DIco 1. sex ultima prædicamenta non sunt meræ denominationes extrinsecæ. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma variis in locis. In primis enim 5. Metaph. lect. 17. ait, sex ultima prædicamenta esse *respectus quosdam transcendentales ad aliquid extrinsecum*: transcendentalis verò respectus est intrinsecus rei, quæ aliud respicit; ut patet in transcendentali respectu potentiæ auditivæ ad sonum, qui utique intrinsecus est animali sonum audienti.

Præterea 1. 2. q. 49. a. 1. & 5. Metaph. lect. 20. dicit, *habitum* esse aliquid medium inter vestem & hominem vestitum; denominatio autem extrinseca non est propriè quid medium inter subjectum extrinsecè denominatum, & formam extrinsecè denominantem; sed est ipsa forma pro-rextrinsecè denominans subjectum.

Insuper S. Doctor in 4. dist. 16. q. 13. a. 1. quæstiunc. 1. asserit, *ubi* & *quando* non esse locum & tempus, sed aliquid ex illis in subjecto relictum: quod verò relinquitur in subjecto, intrinsecè ipsi subjecto inest.

Demùm 5. Metaph. lect. 20. affirmat ex Arist. quòd supra *ubi* addere dispositionem partium corporis locati in ordine ad locum; quæ quidem dispositio existit in corpore locato: manifestum est autem, id esse intrinsecum subjecto, quod existit in illo: & 5. Metaph. lect. 20. nec non 1. 2. q. 45. art. 1. expressè asserit, *actionem*, & *passionem*, esse aliquid medium inter agens, & passum; ac proinde sentit, actionem non esse denominationem extrinsecam à passo provenientem,

...lanatione : etenim ex communi Pe-
ripateticorum doctrina, sex ultimæ categoriæ sunt
sex prædicamenta specialia, à quatuor præce-
dentibus distincta: atqui hoc non esset dicendum,
si forent meræ denominationes extrinsecæ: ergo
&c. Prob. min. exemplo *habitus*; si enim foret
mera denominatio extrinseca à veste desumpta,
speciale prædicamentum à prædicamento sub-
stantiæ distinctum non constitueret; etenim sicut
vitio extrinsecè denominans parietem visum, &
extrinseca denominatio *visæ*, in ipso pariete, duo
prædicamenta specialia distinctaque non statu-
unt, ut patet: sic etiam vestis extrinsecè deno-
minans hominem vestitum, & extrinseca deno-
minatio *vestiti*, in ipso homine (in qua, secundùm
Adversarios, consistit categoria habitus) duo
specialia & distincta prædicamenta non extruunt;
sed quemadmodùm vestis ad prædicamentum
substantiæ spectat, ita & habitus ad idem prædi-
camentum pertineret, saltem reductivè; deno-
minatio quippè extrinseca reducitur ad prædica-
mentum formæ extrinsecæ, ex qua oritur.

Explicatur amplius. Apud Peripateticos, de-
cem prædicamenta sunt decem suprema genera
inter se primò diversa: atqui non essent inter se
primò diversa, si sex ultima prædicamenta forent
meræ denominationes extrinsecæ: ergo &c. Prob.
min. forma extrinsecè denominans, & denomi-
natio extrinseca ex ea proveniens, non possunt
dici inter se primò diversæ; quandoquidem ex-
trinseca denominatio reipsa nihil aliud est,
quàm forma extrinseca, ut extrinsecè denomi-
subjectum; prout fatentur omnes: atqui si sex
prædicamenta in meris denominationibus ex-
trinsecis consisterent, unum prædicamentum

esset

...forma illa proce-
...: ergo &c. Min. ex dictis liquet: nam
...pud Adversarios, vestis, verb. grat. quæ ad
...rædicamentum substantiæ pertinet, se habet
... forma extrinsecè denominans hominem ve-
...um; prædicamentum verò *habitus* est mera
...ominatio extrinseca *vestiti*, petita à veste
...ini adjacente.
...co 2. sex ultima prædicamenta non sunt
...aliter reales relationes secundùm *esse*.
...o. 1. ratione fundamentali: realis relatio
...im *esse* communiter à Philosophis essen-
...Nefinitur: *Accidens reale, cujus totum es-*
...ota essentia) *est ad aliud* (seu ad termi-
...*nbere*: atqui sex ultima prædicamenta
essentialiter accidentia realia, quo-
...m *esse*, &c. ergo &c. Min. facilè
...exemplis: etenim *actio*, verb. grat.
...cat essentialiter *esse ad aliud*; sed *esse*
...mpè *esse ab agente*; passio, *esse in*
...do, *esse in tempore*; ubi, *esse in loco*;
...eris.
...sex ultima prædicamenta forent
...aNes relationes secundùm *esse*, so-
...icamento relationis reponenda,
...nes substantiæ reales spectant ad
...n substantiæ, ita omnes relatio-
...dùm *esse* ad prędicamentum rela-
...atqui sex ultima prædicamenta
...camento relationis reponenda;
prædicamenta à prædicamento
...non essent: ergo &c.
...us in 4. dist. 13. quæst. 1. rela-
...intrinsecùs advenientes; &
...cuis adveniunt: alleritque,
...fundamento cum termino,
...stantque ad relationis prx-
...rò, relationes extrinse-
...s, quæ, etiamsi fundamen-

tum & terminus ponantur, non statim consequuntur. Docetque, has relationes non esse in prædicamento relationis reponendas. Sex ultima autem prædicamenta sunt ex mente Scoti relationes, non intrinsecùs, sed extrinsecùs dumtaxat, advenientes.

Sed contrà sic argumentor. Vel relationes illæ sunt rationis, vel reales? si sint relationes rationis tantùm, specialia prædicamenta non constituunt; prædicamentum enim propriè dictum, apud Philosophos est series entium realium sub uno genere supremo positorum. Si verò dicant adversarii, sex ultima prædicamenta esse reales relationes; quæritur ab eis, an sint puri respectus reales ad terminum, quorum totum esse sit ad aliud se habere; vel sint entitates reales, simpliciter absolutæ, rebus intrinsecè inhærentes, aliquid tamen extrinsecum connotantes? Si hoc secundum dicatur, erit sententia nostra in quarta conclusione stabilienda. Si autem primum dicant Adversarii, sex ultima prædicamenta erunt prædicamentales relationes, in prædicamento relationis collocatæ; quandoquidem apud Peripateticos, relatio prædicamentalis nihil aliud est, quàm purus respectus realis ad terminum, cujus totum esse est ad aliud se habere.

Deinde, prædicamentum *ubi*, v. gr. non rectè à Scoto, relatio extrinsecùs adveniens, appellatur. Nam relatio extrinsecùs adveniens, prout eam exponit Scotus, est, quæ, etiamsi fundamentum & terminus ponantur, non statim resultat; ejusmodi verò non est *ubi*: etenim fundamentum, ex quo emanat *ubi*, seu formalis præsentia corporis in loco, est entitas corporis locati; terminus verò ejus est locus, ad quem præsentia illa terminatur: positis autem entitate corporis locati, & loco circumscribente ac terminante corpus locatum, statim in hujusmodi corpore resultat *ubi*, seu formalis præsentia ejus in loco; ut patet.

Dico

Dico 3. sex ultimæ [illegible] ens reali
unit essentialiter in [illegible] ens per se
lativo; id est, in [illegible] aut per aggre-
soluta, & ex reali [illegible] ergo &c. Sanè,
atio est, quia unum [illegible] ex entibus inter
est ens per se unum; [illegible] entibus verò inter
prædicamentis communi [illegible] modò per accidens
cluduntur: atqui aggre[illegible] autem, & *relati-*
lativo, seu ex entitat[illegible]
latione secundùm esse [illegible]
unum, sed per accidens [illegible] patet [illegible]
tionem solùm; ut [illegible]
quod per se unum est, ex [illegible]
coordinatis resultare; [illegible]
e disparatis unus tantummodò [illegible]
consurgere potest: *absolutum* [illegible]
, disparatè se habent.

Dico 4. sex ultimæ categoriæ sunt entitates aut formalitates quædam absolutæ, rebus intrinsecæ, & ab aliquo extrinseco dependentes. Quòd in primis sex ultimæ categoriæ sint entitates rebus intrinsecæ, colligitur ex variis D. Thomæ testimoniis suprà notatis, quibus insinuatur, sex ultima prædicamenta non esse denominationes extrinsecas; quod etiam ibidem probatum est: si autem sex ultimæ categoriæ non sint denominationes extrinsecæ, superest, ut sint entitates vel formalitates intrinsecè rebus inexistentes.

Prob. ratione fundamentali. Etenim accidens subjecto inhærens, est entitas accidentalis subjecto intrinseca; ut patet: atqui sex ultimæ categoriæ sunt accidentia subjectis inhærentia: ergo &c. Prob. min. apud Peripateticos, ens reale dividitur adæquatè in ens reale per se subsistens, & in ens reale subjecto inhærens. Primum constituit substantiæ prædicamentum. Alterum verò subdividitur in novem prædicamenta accidentalia; nimirum in quantitatem, relationem, qualitatem, actionem, passionem, ubi, situm, quan-

quando, & habitum; quæ proinde sunt accidentia subjecto inhærentia. Dixi verò, sex ultimas categorias esse entitates, aut formalitates, sive modalitates; non quia sint modi strictè sumpti; quoniam ex communi Philosophorum doctrina, modi strictè dicti, sunt entia omninò incompleta; ens verò directè prædicamentale sit ens completum, apud omnes necesse est; sed quia sex ultimæ categoriæ cum categoriis substantiæ, quantitatis, & qualitatis, comparatæ, debilem planè habent entitatem; sicque ad conditionem modi, qui debilissimæ entitatis est, propè accedunt.

Quòd verò sex ultima prædicamenta sint entitates simpliciter absolutæ, colligitur satis ex tertia conclusione, in qua ostensum est, sex ultimas categorias non esse relationes secundùm *esse*, quæ dumtaxat sunt relationes propriè ac simpliciter dictæ.

Cæterùm indubitatum est, sex ultima prædicamenta esse relationes secundùm *dici*, & transcendentales. Etenim relatio secundùm *dici* & transcendentalis est entitas absoluta, connotans aliquid extrinsecum, adrò ut dici, intelligi, & explicari nequeat, nisi per ordinem ad illud: ejusmodi autem sunt sex ultima prædicamenta. Nam *ubi*, v.g. dici, intelligi, & explicari non potest, nisi per ordinem ad locum; *quando*, nisi per ordinem ad tempus: & ita de aliis. Imò, ut infrà constabit, *ubi* essentialiter definitur per ordinem ad locum; sicut & *quando*, per respectum ad tempus; & sic de cæteris. Ac proinde sex ultima prædicamenta essentialiter ab aliquo extrinseco dependent.

§. II.

Quædam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra 1. concluſ. D. Thomas 1. p. quæſt. 110. art. 3. ſic ait: *Mobile ſecundùm locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet ad locum.* Si autem *ubi* prædicamentale adveniens mobili, foret quid ipſi intrinſecum, mobile eſſet in potentia ad aliquid intrinſecum, eo tempore, quo *ubi* prædicamentale nondum haberet.

Reſpondeo, exponendo D. Thomam. Vult igitur tantùm S. Doctor, mobile, quod acquirere poteſt *ubi*, ſive præſentiam in novo loco, non eſſe in potentia ad aliquid purè intrinſecum, benè tamen ad aliquid intrinſecum connotans eſſentialiter locum extrinſecum. Et eodem modo exponendus eſt Angelicus Doctor, dum ait, quòd per motum ad locum, quia *ubi* prædicamentale terminatur, nihil mutatur in eſſe. Dicendum enim eſt, nihil mutari in eſſe, modo purè intrinſeco; benè tamen modo intrinſeco, ad locum extrinſecum ordinato.

Inſt. D. Thomas 1. contra Gent. cap. 3. ſic loquitur: *Aliquando denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum; ut à loco dicitur aliquid eſſe alicubi*, &c. ergo *ubi* non eſt entitas corpori locato intrinſeca, realiter ab ipſo & à loco diſtincta.

Reſpondeo exponendo & diſtinguendo allata D. Thomæ verba: Aliquando mediatè denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, ut à loco mediatè dicitur aliquid eſſe alicubi, concedo: aliquando immediatè denominatur &c. ut à loco immediatè dicitur aliquid eſſe alicubi, nego; licèt enim corpus locatum verè à loco denominatur eſſe alicubi, non tamen immediatè,

sed solùm mediante entitate aut formalitate illi intrinseca, quæ resultat ex loco, qui extra ipsum est.

Urgeb. Commune axioma est, entitates non esse multiplicandas sine necessitate: atqui nulla necessitas est multiplicandi aut ponendi entitates subjecto intrinsecas, & à connotato extrinseco distinctas, in quibus sex ultima prædicamenta consistant: ergo &c. Prob. min. hoc ipso, quòd corpus est in loco, statim denominatur præsens in eo, remoto *ubi* intrinseco corpori locato, & distincto à loco: ergo *ubi* illud sine necessitate ponitur.

Respondeo concessâ ma. negando min. quamvis enim eo ipso, quòd corpus sit in loco, denominetur præsens in eo materialiter, seu in potentia proxima; attamen non denominatur præsens formaliter, aut in actu, nisi mediante *ubi* intrinseco corpori locato, & distincto à loco, quod rectè dici potest formalis præsentia corporis in loco.

Objic. 2. D. Thomas 3. Phys. lect. 5. & lib. 11. Metaph. lect. 9. & 2. contra Gent. cap. 13. n. 2. & in 2. dist. 7. q. 3. ar. 1. ad 3. & in 4. Dist. 44. q. 2. art. 3. quæstiuncula 3. ait expressè, sex ultima prædicamenta esse aliquid extrinsecum: ergo censet, esse denominationes extrinsecas.

Respondeo negando conseq. etenim ex D. Thoma, sex ultima prædicamenta sunt aliquid extrinsecum, non in recto, sed in obliquo solùm ac de connotato; ita ut, licèt in se ipsis sint entitates aut formalitates subjecto intrinsecæ, essentialiter tamen aliquid extrinsecum connotent, ab ipsoque dependeant; ut suprà explanatum est. Ex quo habetur, quomodo sit intelligendus D. Thomas, dum locis citatis ait, sex ultima categorias tanquam aliquid extrinsecum prædicari. Etenim prædicantur tamquam aliquid extrinsecum in obliquo ac de connotato; sed in recto, sicut aliquid intrinsecum, enunciantur.

Objic. 3. diversæ denominationes extrinsecæ possunt diversa & specialia prædicamenta constituere: ergo nihil impedit, ne sex ultima prædicamenta sint meræ denominationes extrinsecæ. Coonseq. ex dictis liquet. Prob. ant. ad constituenda diversa prædicamenta sufficiunt diversa prædicata: atqui diversæ denominationes extrinsecæ sunt diversa prædicata: ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo maj. ad constituenda diversa prædicamenta sufficiunt diversa prædicata, quæ sint primò diversa ab aliis prædicamentis, concedo; quæ ab illis non sint primò diversa, nego: si verò sex decimæ categoriæ forent puræ denominationes extrinsecæ, non essent à quatuor præcedentibus primò diversæ; prout suprà ostensum est.

Objic. 4. contra 2. concluf. sex ultima prædicamenta sic se habent, ut sine terminis extrinsecè connotatis esse nequeant; quandoquidem essentialiter ab illis dependent, ut ex superiùs dictis liquet: ergo sunt relationes secundùm *esse*. Consequ. ex eo perspicua videtur, quòd relatio secundùm *dici*, & relatio secundùm *esse*, in hoc apud Peripateticos discrepent, quòd prior sine termino esse possit, non autem posterior.

Respondeo distinguendo ant. sex ultima prædicamenta sic se habent, ob debilitatem suæ entitatis, ut &c. concedo: sic se habent, ob conditionem puri respectus, ut &c. nego ant. & conseq. Itaque in hoc discrepant relatio secundùm *dici*, & relatio secundùm *esse*, quòd ista est purus ad terminum respectus, qui proinde perit necessariò, pereunte termino; at relatio secundùm *dici* est ens in se simpliciter absolutum, connotans tamen terminum extrinsecum, in ordine ad quem necessariò dicitur, aut explicatur: & quamvis interdum sine illo existere queat; nonnumquam tamen, ob debilitatem suæ entitatis, in sui existentia ab existentia ter-

mini dependet; hocque modo ſe habent ſex ultima prædicamenta.

Articulus Secundus.

De actione, & paſſione.

NOtandum eſt ex D. Thoma 1. p. q. 18. a. 3. ad 1. & qu. 41. ar. 1. actionem, aliam eſſe immanentem, & aliam tranſeuntem. Prior eſt, quæ manet in potentia proxima, à qua elicitur: ejuſmodi eſt intellectio, quæ remanet in intellectu ipſam eliciente; ejuſmodi etiam ſunt volitio, quæ in voluntate, & actiones ſenſuum, tum internorum, tum externorum, quæ in his ſenſibus permanent. Poſterior verò eſt, quæ ad ſubjectum externum tranſit; hujuſmodi ſunt caleſactio, & frigefactio, quæ ad externum ſubjectum caleſactum, vel frigefactum, tranſeunt.

Notandum eſt iterum, actiones immanentes ſemper eodem modo non ſe habere: quædam enim ſteriles ſunt, quæ nullum effectum producunt; ejuſmodi ſunt viſio beatifica (qua Beati in Cœlo Deum, prout in ſe eſt, intuentur) & actiones ſenſuum externorum: aliæ fecundæ ſunt, adeò ut intra potentiam activam, ex qua immediatè emanant, aliquem præſtent effectum; hujuſmodi eſt intellectio naturalis, quæ in mente noſtra efficit *verbum*, id eſt, formalem objecti repræſentationem actualem; talis etiam eſt actio imaginationis, aut phantaſiæ, quæ producit *idolum*, hoc eſt, imaginem intentionalem, in qua imaginatio aut phantaſia objectum ſuum actu conſiderat.

Notandum eſt rurſus, actionem tranſeuntem eſſe duplicem. Alia ſiquidem eſt formaliter tranſiens, & alia virtualiter tranſiens ſolùm. Prior eſt, quæ formaliter, ſeu ſecundùm formalem & intrinſecam entitatem ſuam, tranſit ad ſubjectum exter-

externum, in eoque recipitur; ejusmodi est calefactio, quæ in ligno calefacto formaliter suscipitur. Posterior verò est, quæ secundùm formalem entitatem suam permanet quidem in potentia, à qua proximè elicitur; virtualiter tamen transit ad subjectum à potentia illa distinctum, quatenus in eo producit effectum, in quo virtualiter continetur: talis est actus imperii efficacis, quo Angelus movet Cœlum: hic siquidem actus formaliter in Angelico intellectu imperante remanet, licèt ratione motus, virtualiter ad Cœlum transeat.

Notandum est tandem, duplicem actum in agente esse distinguendum: scilicet primum, & secundum. Agens dicitur esse in actu primo, cum omnia requisita ad aliquid producendum obtinet; nondum tamen actualiter agere, seu actionem exercere concipitur. Quando verò agit de facto, dicitur esse in actu secundo. Sic v. g. ignis applicatus ligno sicco, [illegible] [illegible], quæ concipiuntur [illegible] ex parte ignis, tum ex parte ligni, ad combustionem [illegible] necessaria, dicitur esse in actu primo ad lignum comburendum: [illegible] [illegible] exercet, dum [illegible] lignum comburit, est in actu secundo. [illegible].

Variæ assignantur definitiones actionis. Prima est hæc: *Actio est actus [illegible]*. Quæ definitio [illegible]. Secunda est illa: *Actio est [illegible]*. [illegible] est ejusmodi: *Actio est [illegible]*. Quarta est hæc: *Actio est [illegible] efficientis*. Ubi actus primus [illegible] actum secundum. Conditiones verò causæ efficientis est actuale ejus exercitium, quo actu [illegible] producit effectum. Hinc [illegible] *Accidens, [illegible]*. Ultima definitio actionis est illa: *Actio est [illegible]*.

secundùm quam denominamur agere in subjectam materiam. Quam definitionem tradit hic Gilbertus, & admittit Div. Thomas opusc. 48. tract. 6. cap. 1. quæ apud quosdam authores his exprimitur verbis: *Actio est forma, secundùm quam in id, quod subjicitur, agere dicimur*. Cujus definitionis iste est sensus: Actio est formale seu actuale exercitium, quo denominamur seu dicimur in, seu circa, subjectum externum actu agentes.

Ex dictis facilè colligitur, quomodo passio sit definienda. Primò enim sic definiri potest: *Passio est actus secundus potentiæ passivæ*: id est, actuale exercitium potentiæ receptivæ. Secundò definitur: *Passio est ratio formalis, per quam causa passiva (seu receptiva) reducitur ad actum secundum*; hoc est, ad actuale exercitium recipiendi. Tertiò sic definitur: *Passio est ultimus actus patientis, ut patiens est*: seu ultimum exercitium subjecti ut recipientis. Quartò ita definitur: *Passio est causalitas causæ passivæ seu receptivæ*; id est, actuale ejus exercitium, quo de facto ab agente effectum recipit. Quintò definiri potest: *Accidens, quo subjectum constituitur actu recipiens*. Ultimò tamdem definitur: *Passio est forma, secundùm quam, subjecta materia, seu subjectum externum, denominatur, seu dicitur, ab agentes recipiens*. Cujus definitionis legitimus sensus hic est: passio est formale aut actuale exercitium passivum, quo externum subjectum denominatur suscipiens effectum ab agente.

§. I.

§. I.

Quid sint actio, & passio; & quæ actiones ac passiones in his prædicamentis ponantur?

QUid res sit, definitio ejus exponit; definitiones verò actionis & passionis suprà allatæ fuerunt, & explanatæ. Cæterùm, ut amplius pateat, in quo actionis & passionis quidditas verè consistat.

Advertendum est, quòd dum agens operatur, & suum producit effectum, plura occurrunt. In primis enim occurrit suppositum producens, v. g. ignis calefaciens. Deinde sequitur effectus, v. g. calor productus; est & egressus effectus à supposito producente, v. g. egressus caloris ab igne calefaciente; est quoque receptio effectus in aliquo subjecto, v. g. receptio caloris in ligno; est tamdem transitus subjecti ab uno termino ad alium terminum, verbi gratia à friggore ad calorem.

Suppositum producens est substantia per se subsistens; sicque ad prædicamentum substantiæ pertinet. Effectus productus distinguitur ab actione & passione, adeò ut per actionem ab agente egrediatur, & per passionem in subjecto recipiatur; transitus verò subjecti ab uno termino ad alium terminum dicitur *motus*, qui est postprædicamentum. Superest ergo, ut egressus effectus à supposito agente & producente, sit actio prædicamentalis, constituens quintum prædicamentum; & receptio effectus in subjecto, sit prædicamentalis passio, qua sextum prædicamentum constituitur. Unde quærenti, quid sit actio prædicamentalis? respondendum est: *Est activus egressus effectus ab agente*. Inquirenti verò quid sit passio prædicamentalis? est respondendum: *Est receptio effectus in subjecto*.

Con-

Controversia autem est inter Philosophos, quænam actiones sint prædicamentales? Quidam affirmant, actiones, tam immanentes, quàm transeuntes, esse in prædicamento actionis collocandas. Alii fatentur quidem, actiones immanentes, quæ nullum producunt effectum, non esse in hoc prædicamento ponendas; docent tamen, actiones immanentes, quæ effectum præstant, esse propriè prædicamentales. Hæc opinio apud Complutenses valdè probabilis est. Alii asserunt, solas actiones transeuntes esse in hoc prædicamento reponendas. Hanc sententiam tuentur Aravius, Joan. Martinez, Joan. à S. Thoma, & alii Thomistæ plurimi. Alii iterum distinguunt; concedunt quippè, actiones transeuntes successivas esse quidem prædicamentales; at id negant de actionibus transeuntibus instantaneis, cujusmodi est aeris illuminatio. Sic docet Soncinas 9. Phys. q. 21.

Dicendum est 1. actiones immanentes, quæ nullum præstant effectum, non pertinere propriè ac directè ad actionis prædicamentum. Ratio est, quia ex communi Peripateticorum doctrina, actio propriè ac directè prædicamentalis; & passio, quæ propriè directèque prædicamentalis est, sibi mutuò correspondent: atqui actioni immanenti, nullum effectum producenti, nulla correspondet passio prædicamentalis; quandoquidem passio ista nihil aliud est, quàm producti effectus receptio in subjecto: ergo &c.

Dicendum est 2. actiones immanentes, quæ effectum producunt intra potentiam, á qua eliciuntur, non esse propriè prædicamentales. Ratio est, quia illa tantùm actio propriè prædicamentalis est, cui convenit definitio actionis prædicamentalis: atqui hæc definitio non competit prædictæ actioni immanenti: ergo &c. Prob. min. cùm in Scholis Peripateticis, Gilbertus Porretanus hic Magistri nomen obtinuerit, præcipua legitimaque actionis prædicamentalis definitio ea

est,

est, quam ipse tradit; nempè ista: *actio est formalis, secundùm quam denominamur agere in subjectam materiam*; id est, in subjectum externum: autqui ista definitio nequaquam convenit præfatæ actioni immanenti; quandoquidem secundùm illam non agimus in subjectum externum, sed intra nos, aut intra potentiam internam, dumtaxat operamur, modo purè immanenti: ergo &c.

Dicendum est 3. actiones formaliter transeuntes esse propriè & directè prædicamentales. Hæc conclusio certissima est, & evidentissima. Perspicuum enim omninò est, allatam ex Gilberto actionis prædicamentalis definitionem illi competere; manifestum etenim est planè, v. g. ignem per calefactionem agere in subjectam materiam, seu in subjectum externum, v. g. in lignum, quod calefacit.

Dicendum est 4. esse valdè probabile, actiones creatas virtualiter transeuntes, quibus agens creatum producit effectum in subjecto externo, in prædicamento actionis verè, propriè, ac directè, collocari. Dixi, actiones creatas; quia increata Dei actio virtualiter transiens, qua esse creaturis tribuit conservatque, in accidentali prædicamento actionis minimè ponitur, quoniam entitativè cum Dei substantia identificatur: nam quòd in agente creato, actio entitativè ab ejus substantia distinguatur, ex eo provenit, quòd substantia agentis creati non est sufficientis actualitatis, ut sit actio ipsa, qua in actu secundo constituitur; increata verò Dei substantia per se ipsam infinitæ est actualitatis.

Quòd verò actiones creatæ virtualiter transeuntes, effectum in subjecto externo producentes, sint verè, propriè, ac directè prædicamentales, ex eo suadetur, quòd traditam à Gilberto actionis prædicamentalis definitionem, verè, propriè, ac directè participent; etenim agens creatum per eas verè, propriè, ac directè, denominatur

ope-

operans in ſubjectum externum, in quo effectum producit: ſic, v.g. probabile eſt valdè efficacem imperii actum, quo Angelus movet Cœlum, verè, propriè, ac directè ad hoc prædicamentum pertinere.

Dicendum eſt 5. actiones tranſeuntes inſtantaneas, eſſe directè prædicamentales, ſive directè in actionis prædicamento collocandas. Ratio eſt, quoniam actio tranſiens inſtantanea dicitur illa, quæ non habet partes, quarum una ſuccedat alteri; ſed tota tranſit unico inſtanti, effectumque in ſubjecto externo producit; cujuſmodi eſt aeris illuminatio; aer quippè uno inſtanti illuminatur, lumenque à ſole illuminante & producente recipit: atqui talis actio directè prædicamentalis eſt: ergo &c. Min. ex eo ſuadetur, quòd ejuſmodi actioni directè proprièque convenit relata ex Gilberto definitio actionis prædicamentalis; quandoquidem ſecundùm illam, agens directè ac propriè circa ſubjectum externum operatur.

Dicendum eſt 6. emanationem proprietatis ex eſſentia non eſſe actionem propriè prędicamentalem. Ratio eſt, quia ſola actio propriè dicta, propriè poteſt prædicamentalis actio nuncupari; ut patet: atqui emanatio proprietatis ex eſſentia non eſt actio propriè dicta, ſed impropriè dicta ſolùm, ſeu ſimplex reſultantia; ut communiter loquuntur Philoſophi: ergo &c.

Ex dictis colliges, quænam paſſiones ſint propriè prædicamentales. Etenim cùm actio prædicamentalis, & paſſio prædicamentalis, ſibi mutuò correſpondeant; tot ſunt paſſiones prædicamentales propriè dictæ, quot actiones propriè prædicamentales inveniuntur: ut autem ex dictis conſtat, ſola actio formaliter vel virtualiter tranſiens, effectum in ſubjecto externo producens, ſive ſucceſſiva ſit, ſive inſtantanea, propriè prædicamẽtalis eſt; ideòq; ſola paſſio correſpõdens ejuſmodi actioni dicẽda eſt propriè prędicamẽtalis.

§. II.

§. II.

Præcipuæ objectiones solvuntur: coordinatio hujus duplicis prædicamenti, & ejus propriætates, explicantur.

OBjic. 1. actio nihil aliud est, quàm causalitas causæ efficientis; ut ex dictis liquet: atqui causalitas causæ efficientis non est speciale prædicamentum: ergo &c. Prob. min. causalitas causæ materialis, vel causæ formalis, speciale prædicamentum non constituit: ergo neque causalitas causæ efficientis.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. neg. paritatem: disparitas est, quòd causalitas causæ materialis, vel formalis, non est specialis entitas, ab entitate ejusmodi causæ distincta; sed materialis causa immediatè per suam entitatem recipiendo, & causa formalis immediatè per suam entitatem informando, causant: necesse autem est, ut speciale prædicamentum specialem obtineat entitatem; quandoquidem decem prædicamenta sunt decem entitates supremæ, interse primò diversæ, sub quibus cæteræ entitates comprehenduntur. Causalitas verò causæ efficientis creatæ, quæ est actus ejus secundus, entitativè ab ipsa distinguitur; nulla enim causa efficiens creata, in suæ entitatis sufficientis est actualitatis, ut per se ipsam sit suus actus secundus; & idcò specialem importat entitatem, ab entitate efficientis causæ distinctam, quæ speciale prædicamentum constituit.

Inst. si actio specialem haberet entitatem, hæc entitas deberet esse accidentalis; prædicamentum quippè actionis inter prædicamenta accidentalia recensetur: atqui actio non importat entitatem accidentalem: ergo &c. Prob. min. entitas accidentalis est entitas inhærens subjecto: atqui actio non habet entitatem subjecto inhærentem: actio

actio siquidem, ut talis, ordinem non importat ad subjectum; sed agens, ex quo egreditur: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. concessa iterum maj. nego min. quamvis enim, si actio accipiatur ut id, quo agens agit, non exprimat ordinem ad subjectum, sed ad agens, à quo procedit; attamen si spectetur, prout est id, quod à parte rei existit, importat respectum ad subjectum, cui inhæret & inexistit.

Objic. 2. omne ens reale creatum debet ad aliquod prædicamentum pertinere; ac proinde actio immanens creata nullum præstans effectum, quæ utique est ens reale creatum, ad aliquod prædicamentum spectat: atqui non ad aliud, quàm ad prædicamentum actionis: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. actio quippè immanens, nullum producens effectum, v.g. visio exterior, reductivè pertinet ad prædicamentum, & ad speciem potentiæ, cujus est actus secundus, & actuale complementum; nempè ad prædicamentum qualitatis, & ad secundam ejus speciem.

Inst. ea actio propriè prædicamentalis est, quæ propriè participat actionis prædicamentalis definitionem: atqui ejusmodi est actio purè immanens, nullum producens effectum: ergo &c. Prob. min. actio prædicamentalis superiùs definita est: *Actus secundus potentiæ operativæ*: hæc autem definitio propriè competit actioni purè immanenti, & nullum effectum producenti.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. respondeo cum distinctione: actio prædicamentalis superiùs definita est: *Actus secundus &c.* modo transeunti ad subjectam materiam, seu ad subjectum externum, concedo: modo purè immanenti, nego. Præfata autem actio est actus secundus potentiæ operativæ, modo purè

imma-

i immanenti, non verò modo ad [illegible] ex-
ternum transeunti.

Objic. 3. causalitas causæ efficientis est verè proprièque actio [illegible] atqui actio immanens, quæ est [illegible] à qua elicitur, est causalitas causæ efficientis: ergo &c. Ma. ex eo evidens videtur, quod prædicamentalis actio definitur [illegible] causæ efficientis. Min. verò manifesta [illegible] causalitas causæ efficientis, apud Peripateticos, est id, quo efficiens causa suum producit effectum; hujusmodi autem est actio immanens, effectum intra potentiam, à qua elicitur, producens.

Respondeo distinguendo ma. causalitas causæ efficientis, effectum in subjecto externo producentis, est verè &c. concedo: causalitas causæ efficientis, effectum in potentia interna producentis, est verè &c. nego: porrò [illegible] actio immanens est causalitas causæ efficientis, effectum, non in subjecto externo, sed in potentia interna præstantis.

Inst. actio verè ac propriè dicta, est in prædicamento actionis collocanda: atqui actio immanens, est verè ac propriè dicta actio: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. actio verè ac propriè dicta, in ratione causalitatis causæ efficientis, effectum in subjecto externo producentis, est in prædicamento &c. concedo: actio verè ac propriè dicta, in ratione actus secundi tantùm, est in prædicamento &c. nego: licet autem prædicta actio immanens, sit verè ac propriè dicta actio in ratione actus secundi, quoniam verè ac propriè est actus secundus potentiæ proximè operativæ; attamen dicenda non est actio verè proprièque in ratione causalitatis causæ efficientis effectum in subjecto externo producentis, quia, ut supponitur, nullum effectum in subjecto externo revera producit.

Objic. 4. cum Sonc. Actio directè prædicamentalis, debet esse motus [illegible]

[illegible]

Motus ut ab agente: sicut & passio: *Motus ut in passo*: atqui actio transiens instantanea non est motus; etenim motus est aliquid successivum, quod unico instanti nequit fieri: ergo &c.

Respondeo ex D. Thoma 3. Phys. Lect. 2. & lib. 5. Lect. 2. distinguẽndo ma. actio directè prædicamentalis, debet esse motus, vel strictè, vel latè sumptus, concedo: debet semper esse motus strictè acceptus, nego. Itaque motus dupliciter accipi potest; nimirum vel strictè, vel latè: priori modo sumptus, est successivus subjecti ab uno termino positivo, ad alium terminum positivum, transitus: posteriori autem m do acceptus, est mutatio subjecti à carentia formæ ad formam, vel à forma ad carentiam formæ. Quamvis verò actio directè prædicamentalis sit quandoque successivus subjecti ab uno termino positivo ad alium terminum positivum transitus; ut patet in calefactione, qua lignum transit successivè de frigido in calidum: attamen ad rationem actionis directè prædicamentalis absolutè sufficit, ut sit mutatio subjecti externi à privatione formæ ad formam, sive à carentia effectus ad effectum recipiendum; quæ quidem mutatio instanti unico fieri potest.

Dividitur autem actio generalissimè sumpta in immanentem, & transeuntem. Si sit purè immanens, propriè prædicamentalis non est; (ut probavimus suprà) ipsaque subdividitur in cognoscitivam, & appetitivam. Actio cognoscitiva dividi potest in sensitivam, & intellectivam. Sensitiva subdividitur in actiones sensuum, tum internorum, tum externorum. Appetitiva verò subdividenda est in volitionem, & appetitionem sensitivam.

Actio transiens, quæ propriè prædicamentalis est, distribuitur in formaliter transeuntem, & virtualiter transeuntem. Item in successivam, & instantaneam. Actio transiens rursus dividitur in artificialem, & naturalem. Prior subdividenda

est

est in varias actiones artium: ut sunt pingere, saltare, canere, &c. Posterior subdividitur in accidentalem, & substantialem. Actio accidentalis est, quæ ad accidens terminatur; ejusmodi est calefactio, cujus terminus est calor. Actio substantialis est, quæ terminum habet substantialem; hujusmodi est generatio substantialis, quæ ad formam substantialem terminatur. Utraque subdividitur in alias species, quas hic recensere necesse non est. Cùm autem passio correspondeat actioni, ut ex dictis liquet, dividenda est juxta varias actionis divisiones. Ex qua doctrina facillè infertur, quomodo utrumque actionis & passionis prædicamentum sit coordinandum; ejus siquidem coordinatio ex divisione actionis & passionis prædicamentalis colligenda est.

Proprietates verò actionis, duæ ab Aristotele hîc assignantur. Prima est, quòd habeat contrarium. Secunda est, quòd magis & minùs suscipere possit. Hoc autem intelligendum non est de actione in se ipsa, sed de ea ex parte termini considerata; ita ut tunc actio habeat contrarium, cùm terminatur ad qualitatem alteri contrariam; talis est calefactio, cujus terminus est calor, cui contrariatur frigus; tunc etiam magis, & minùs, suscipere potest, quando ejus terminus suscipere magis, & minùs, seu intendi, & remitti, potest; qualis est etiam calefactio ad calorem terminata; calorem enim magis, & minùs suscipere, seu intendi, & remitti posse, certum est.

Gilbertus etiam duas assignat actionis proprietates. Prima est, quòd actio sit semper conjuncta motui; quæ proprietas venit intelligenda de motu, vel strictè, vel latè sumpto; ut ex dictis constat. Secunda est, quòd actio prædicamentalis inferat passionem in subjecta materia, seu in subjecto externo: nam, ut superiùs dictum est, prædicamentalis actio debet effectum in subjecto externo producere, qui quidem effectus in subjecto illo recipiatur necesse est. Igitur ex actione

præ-

prædicamentali rectè infertur, dari in externo ſubjecto paſſionem, ſeu effectus de novo producti receptionem.

Articulus Tertius.

De prædicamento ubi.

Ubi generaliter ſumptum eſt formalis præſentia rei in loco, ſive id, quo res in loco formaliter præſens conſtituitur, & per quod reſpondemus ad quæſtionem, *ubi res ſit*. Dividi autem poteſt in *ubi* increatum, & *ubi* creatum. Primum eſt, quo Deus increatus ubique eſt; *ubi* verò creatum eſt id, quo creatura in loco determinato formaliter præſens redditur; ſoletque *ubi definitivum* appellari, eo quòd creatura per tale *ubi* ad unum locum definitur ſive determinatur; adeò ut ita ſit in illo loco, ut ſimul non ſit in altero.

Ubi creatum ſubdividi poteſt in *ubi* circumſcriptivum, & *ubi* definitivum ſpecialiter dictum. Primum eſt, quo res ſic eſt in loco, ut tota correſpondeat toti loco, & ſingulæ ejus partes reſpondeant ſingulis partibus loci. Hoc ſiquidem eſt propriè à loco circumſcribi. Illud verò *ubi* proprium eſt rerum corporearum partes habentium. *Ubi* verò definitivum ſpecialiter dictum eſt, quo res tota eſt in toto loco, & tota in qualibet parte loci; eſtque *ubi* rerum aut creaturarum ſpiritualium; cùm enim indiviſibiles ſint, & nullas habeant partes, loca occupant, non modo diviſibili, ſeu ſecundùm partes; ſed modo indiviſibili, & ſecundùm ſe totas. Addi poteſt *ubi* Sacramentale, quod eſt præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, ſeu præſentia ſubſtantiæ eorum ſub accidentibus Euchariſticis.

Quæritur ergo in primis, quid ſit *ubi* prædicamentale; ſupponendo tamen ex dictis in a. 1.

ubi

ubi prædicamentale non esse puram denominationem extrinsecam à loco desumptam. Deinde difficultas est, utrum *ubi* increatum, *ubi* spirituale, seu *ubi* definitivum specialiter dictum, & *ubi* Sacramentale, sint in hoc prædicamento reponenda; & an in una re locata unicum *ubi* reperiatur.

§. I.

Tota difficultas explicatur.

DIco 1. *ubi* prædicamentale non constitit essentialiter in præsentia intrinseca corporis in loco, qua corpus per suam entitatem intrinsecam, absque aliquo superaddito à loco proveniente, & ab ipso dependente, sit formaliter præsens in loco: hæc conclusio est contra Suarez, & aliquos alios Recentiores.

Ratio est, quia corpus dupliciter accipi potest; nimirum, vel physicè, vel mathematicè: atqui *ubi* prædicamentale essentialiter non constat in intrinseca præsentia corporis in loco, sive corpus physicè, sive mathematicè usurpetur: ergo &c. Prob. mi. corpus sumitur physicè, dum accipitur pro physico ex materia, & forma substantiali, composito: spectatur verò mathematicè, dum usurpatur pro quantitate longitudinem, latitudinem, & profunditatem habente. *Ubi* autem prædicamentale essentialiter situm non est in intrinseca physici, ex materia, & substantiali forma, compositi præsentia: etenim hæc præsentia, ut ajunt Adversarii, est ipsa intrinseca entitas substantialis illius compositi, prout connotat locum, cui adest; entitas verò substantialis non constituit essentialiter prædicamentum accidentale, quale est prædicamentum *ubi*; sed ad prædicamentum substantiæ pertinet.

Ubi prædicamentale non est etiam essentialiter in-

intrinſeca præſentia quantitatis longitudinem, latitudinem, & profunditatem habentis; quandoquidem præſentia illa, apud Adverſarios, eſt etiam intrinſeca quantitatis entitas, prout locum connotat; intrinſeca verò quantitatis entitas nequaquam conſtituit eſſentialiter prædicamentum à prædicamento quantitatis diſtinctum, cujuſmodi eſt *ubi* prædicamentale.

Dico 2. *Vbi* prædicamentale à Gilberto rectè ſic definitur: *Vbi eſt circumſcriptio corporis, à circumſcriptione loci proveniens*. Hæc definitio communis eſt apud Philoſophos, eo quòd Gilbertus circa ſex ultima prædicamenta, Magiſtri nomen obtinuit. Ad cujus definitionis intelligentiam. Advertendum eſt, ex doctrina Gilberti tradita in definitione illa, diſtinguendam eſſe duplicem corporis locati circumſcriptionem: unam ſcilicet intrinſecam, & ipſi corpori locato inhærentem; alteramque extrinſecam, Hæc circumſcriptio non diſtinguitur à loco circumſcribente & ambiente corpus locatum. Prior autem circumſcriptio nihil aliud eſſe poteſt, quàm accidens quoddam inhærens corpori locato, ab extrinſeca loci circumſcriptione procedens.

Hinc *ubi* prædicamentale clariùs definiri poteſt: *Accidens completum, corpori locato inhærens, atque ab extrinſeca circumſcriptione loci proveniens; quo præſens in loco, modo circumſcriptivo, formaliter denominatur*: ex eo, quòd *ubi* prædicamentale ſit accidens completum, convenit cum aliis octo prædicamentis accidentalibus, quæ in primis ſunt accidentia; ob hanc quippe rationem, appellantur prædicamenta accidentalia: ſunt verò accidentia completa, quoniam ſola entia completa à Peripateticis in prædicamentis reponuntur. Per reliquas verò allatæ definitionis particulas, *ubi* prædicamentale à cæteris prædicamentis diſtinguitur, ita ut illæ particulæ nulli alteri prædicamento conveniant.

Ex utraque autem definitione allata, infertur

1. con-

III. contra Fonsecam, *ubi* increatum non esse prædicamentale. Infertur quoque, contra Suarez, Vasquez, Molinam, & plures alios Recentiores, *ubi* Angelicum, quo nempè Angelus formaliter in loco præsens est, ad hoc prædicamentum non pertinere. Idem sentiendum est de *ubi* Sacramentali, quo nimirum Christi Corpus cum sanguine præsens est in Eucharistiæ Sacramento, prout fide creditur.

Ratio generalis hujus doctrinæ est: quia illud *ubi* dumtaxat ad istud prædicamentum spectat, cui competit definitio *ubi* prædicamentalis; ut patet: atqui *ubi* increato, *ubi* Angelico, & *ubi* Sacramentali, definitio *ubi* prædicamentalis non convenit: ergo &c. Prob. min. definitio *ubi* prædicamentalis est ea, quam Gilbertus tradit, videlicet ista: *Vbi est circumscriptio corporis, à circumscriptione loci proveniens*: hæc autem definitio non competit in primis *ubi* increato, & *ubi* Angelico, sive *ubi* Dei, & *ubi* Angeli, cùm Deus & Angelus non sint corpora, quæ à loco circumscribi possint: tum etiam quia, ex communi Peripateticorum doctrina, tunc solùm aliquid propriè à loco circumscribitur, quando totum correspondet toti loco, & singulæ ejus partes respondent singulis partibus loci; proindèque illud solùm à loco circumscribitur, quod integrales habet partes integralibus partibus loci respondentes: Deus verò & Angelus, utpotè spirituales & incorporei, partibus integralibus, quæ corporeæ sunt, carent. Deinde, quod loco aliquo circumscribitur, finitum est, ita ut extra locum illum se non extendat; Deus verò simpliciter infinitus est.

Præfata definitio non convenit etiam *ubi* Sacramentali; quoniam *ubi* istud non est circumscriptio Corporis & Sanguinis Christi, à circumscriptione loci proveniens; alioquin Christi corpus & sanguis essent in Eucharistiæ Sacramento, modo circumscriptivo, id est, modo localiter ex-

extenſo ac diviſibili; adeò ut ejuſmodi corpus cum ſanguine foret totum in tota hoſtia, & ſingulæ ejus partes forent in ſingulis hoſtiæ partibus; quod eſt contra fidem, ſecundùm quam eſt totum in tota hoſtia, & totum in qualiber illius parte.

Supereſt ergo, ut ſolum *ubi* circumſcriptivum ſit propriè prædicamentale, quia ipſi ſoli relata ex Gilberto definitio *ubi* prædicamentalis convenit; prout conſideranti patebit. Unde ſupremum genus hujus prædicamenti eſt *ubi* circumſcriptivum generaliter ſumptum. Sub ipſo ſex ſpecies admittuntur: nimirum *ſurſum*, *deorſum*, *antè*, *retrò*, *dextrorſum*, & *ſiniſtrorſum*: id eſt, formalis præſentia localis ac circumſcriptiva, quam corpus obtinet, vel ſurſum, vel deorſum, vel antè, vel retrò, vel in dextra, vel in ſiniſtra parte aulæ. Doctrinam iſtam tradit Ariſtoteles 3. Phyſic. text. 45. his verbis: *Amplius omne corpus ſenſibile in loco eſt*: *loci* (id eſt, præſentia localis) *autem ſpecies & differentiæ ſunt ſurſum, & deorſum, antè, & retrò, dextrorſum, & ſiniſtrorſum*, &c. quæ verba exponit Angelicus Doctor ibidem Lect. 6. Hinc facilè colligitur hujus prædicamenti coordinatio; quæ nihil aliud eſt, quàm ordinata generum ac ſpecierum ejus poſitio & enumeratio.

Dico 3. in uno & eodem corpore eſt unicum numero *ubi* prædicamentale, ſive unica numero præſentia localis, qua & corpus & omnia ejus accidentia materialia conſtituuntur formaliter in loco præſentia.

Ratio eſt, quia cùm accidens accipiat unitatem numericam à ſubjecto, cui inhæret, (ut in Metaphyſica oſtendetur) accidens uni ſubjecto inhærens, ſit unum numero neceſſe eſt: ut autem ex dictis patet, *ubi* prædicamentale eſt accidens corpori locato veluti ſubjecto inhærens. Sanè in uno corpore ſufficit una numero quantitas ad conſtituendum totum corpus

cum

cum omnibus accidentibus corporeis extensum; cur ergo unum numero *ubi* prædicamentale satis non erit ad reddendum totum corpus, suis omnibus accidentibus materialibus affectum, formaliter in loco præsens?

§. II.

Quædam objectiones solvuntur, & proprietates hujus prædicamenti explicantur.

OBjic. 1. si *ubi* foret circumscriptio corporis à circumscriptione loci proveniens, numquam res esset ubicata, nisi ab aliquo corpore circumscriberetur; ut patet: atqui res nonnumquam ubicata est, licèt à nullo corpore circumscribatur: ergo &c. Prob. min. Suarez exemplo primi Cœli, quod secundùm superficiem convexam, seu exteriorem, à nullo superiori corpore circumscribitur, & tamen est ubicatum seu localiter præsens. Idem argumentum potest fieri de corpore Christi glorioso supra omnes Cœlos elevato: etenim ab alio corpore non circumscribitur, & nihilominùs *ubi*, sive præsentiam localem obtinet.

Respondeo concessa ma. negando min. quamvis enim primum Cœlum, secundùm superficiem convexam, & corpus Christi gloriosum, secundùm partem superiorem, sint ubicata, sive localiter præsentia negativè, sive aptitudinaliter; non tamen positivè, seu actualiter, ob defectum loci circumscribentis.

Inst. corpus gloriosum Christi existens suprà omnes Cœlos, posset deambulando moveri localiter: ergo posset *ubi* positivum acquirere; motus quippè localis ad *ubi* positivum de novo acquisitum terminatur.

Respondeo dato ant. negando consequentiam. Cùm enim *ubi* positivum & prædicamētale sit essentialiter circumscriptio corporis à circumscri-

versis rebus ubicatis &c. eo modo, quo diversæ sunt, concedo: alio modo, nego: unde quando res ubicatæ sunt adæquatè diversæ, necesse est, ut *ubi* sint adæquatè diversa: cùm autem res ubicatæ solùm inadæquatè distinguuntur, satis est, ut *ubi* earum inadæquatè distinguantur. Caput verò, venter, & pedes Petri, non sunt diversa adæquatè, id est, sicut plura tota, sed inadæquatè tantùm, hoc est, tanquam partes ejusdem corporis ubicati totalis; unde in illis sufficiunt diversa *ubi* inadæquata & partialia, quæ constituant *ubi* adæquatum & totale simpliciter unum.

Proprietates *ubi* duas assignat Gilbertus. Prima est, quòd *ubi* non habeat contrarium. Etenim *ubi* idem est ac præsentia localis, cui nihil propriè contrariatur; præsentia quippè localis, & localis absentia, non contrariè, sed privativè opponuntur.

Secunda est, quòd *ubi* non suscipiat magis, & minùs: neque enim idem corpus in eodem loco modò magis, & modò minùs præsens est. Addunt aliqui tertiam proprietatem, nempè immobilitatem; nam *ubi* seu præsentia localis sequitur conditionem loci; locum verò esse immobilem, in Physica patebit.

Articulus Quartus.

De prædicamento situs.

NOtandum est, triplicem esse partium quantitatis positionem. Prima est quoad distinctionem, secundùm quam partes quantitatis sic ponuntur, ut una distinguatur ab altera. Secunda est quoad præsentiam in loco, ratione cujus partes quantitatis sic in loco ponuntur, ut singulæ correspondeant singulis partibus loci. Tertia tamdem est quoad dispositionem ipsarum in loco, ratione cujus partes corporis quanti sic

in

in loco disponuntur, ut corpus illud vel stans, vel sedens, vel jacens, &c. dicatur. Prima partium quantitatis positio est ipsa quantitatis essentia; ut patet ex dictis in quæst. de quant. Secunda positio earumdem partium ad *ubi* circumscriptivum pertinet; ut etiam ex dictis præcedenti art. liquet. Tertia tandem illarum partium positio ad hoc prædicamentum spectat; ut statim constabit.

Notandum est iterum, dispositionem partium quantitatis esse duplicem. Alia siquidem est in ordine ad corpus quantum, ratione cujus partes illius disponuntur inter se juxta connaturalem ejusmodi corporis exigentiam; qua ratione in humano corpore, caput immediatè jungitur collo, collum humeris, & sic de aliis; quæ quidem dispositio provenit à quarta qualitatis specie, ut ex superiùs dictis liquet. Alia est dispositio partium quantitatis in ordine ad locum, modo explicato. Et de ista hìc est sermo. His prænotatis, facilè situs definitio intelligetur.

Itaque situs à Gilberto definitur; *Positio partium corporis, secundùm quam dicitur stare, sedere, jacere*, &c. ubi, ut patet, sermo est de positione partium corporis quoad dispositionem ipsarum in loco. Hinc ista communis definitio situs colligitur: *Situs est accidens completum, corpori quanto inhærens, quo integrales eius partes formaliter disponuntur in loco*. Quòd sit accidens completum & inhærens, est ratio ejus communis, in qua convenit cum aliis prædicamentis accidentalibus, quæ pariter sunt accidentia completa subjectis inhærentia. Per alias verò definitionis particulas exprimitur id, quo situs ab aliis prædicamentis distinguitur.

Ex doctrina illa infertur primò, situm solis rebus corporeis propriè competere; quoniam est positio seu dispositio partium corporis in loco. Infertur prætereà, *ubi*, & *situm*, realiter & essentialiter inter se differre, ac proinde duo

prædicamenta propriè distincta constituere. Est enim in primis sententia Aristotelis, decem prædicamenta simpliciter distincta admittentis. Suadetur etiam ex eo, quòd *ubi* prædicamentale, & *situs*, essentialiter ad diversos effectus formales ordinantur: nam formalis effectus *ubi* prædicamentalis, seu circumscriptivi, est constituere corpus circumscriptivè præsens in loco; eo modo nimirum, ut totum corpus respondeat toti loco, & singulæ illius partes correspondeant singulis partibus loci, abstrahendo ab hoc, quòd corpus ratione dispositionis partium suarum in loco, stet, vel sedeat, &c. Formalis verò effectus, ad quem *situs* essentialiter ordinatur, est ita corporis partes in loco disponere, ut stans, vel sedens, &c. denominetur; prout ex ejus essentiali definitione superiùs allata colligitur. Deinde, ea non sunt unum & idem realiter, sed potiùs realiter distinguuntur, quorum unum realiter manet, mutato realiter altero: ejusmodi autem sunt, *ubi*, & *situs*: si quis enim jaceat in curru per horam integram, tota hora illa in eodem situ realiter permanebit, ut ex dictis liquet; & tamen si localiter currus moveatur, sicuti commutabit locum realiter per motum localem, ita & immutabit *ubi*, quod ex loco resultabit.

Dices: ex eo, quòd res est in tempore, resultat unicum prædicamentum, nempè *quando*: ergo similiter ex eo, quòd corpus est in loco, unum dumtaxat resultat prædicamentum, non autem duo resultant prædicamenta, nimirum *ubi*, & *situs*. Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd res unico tantùm modo est in tempore, nimirum per existentiam aut correspondentiam ad tempus: at corpus est in loco duplici modo, nimirum modo circumscriptivo, & modo sic aut sic dispositio: ex priori modo resultat *ubi*, at ex posteriori consurgit *situs*.

Dividitur autem situs in naturalem, & in non natu-

turalem. Prior est, quem natura ipsa [illegible] præscripsit; sic v. g. natura os *hominis sublime* dedit, *calumque tueri*; pecudes verò pronas in terram formavit; arboribus radices deorsùm misit, ramos autem & folia sursum agere voluit. Situs verò non naturalis (quem alii præternaturalem, & alii accidentalem vocant, *i.* is est, qui à voluntate, aut ab arte, procedit, aut etiam casu contingit ut stare, sedere, jacere, corpus gesticulando inflectere, &c.

Dividitur quoque à B. Alberto Magno in rectum, & inflexum. Dividi quoque potest in æqualem, & inæqualem. In priori partes corporis æqualiter in loco disponuntur: posteriori autem est inæqualis partium corporis dispositio in loco. Sub situ æquali ponitur *lene*, & sub situ inæquali poni potest *asperum*; ut insinuat Arist. in prædicamento qualitatis. Hinc facile est, ferum aut coordinationem hujus prædicamenti assignare; etenim ex ejus divisione colligitur.

Tres verò proprietates situs assignat Gilbertus. Prima est, quòd non suscipiat magis, & minùs: æque enim idem corpus propriè est modò magis, & modò minùs *sedens*, vel *stans*. Secunda situs proprietas est, quòd non habeat contrarium: *sedere* quippè, & *stare*, non contrariantur propriè, sed potiùs relativè opponuntur, ita ut unum dicatur per relationem aut respectum ad alterum. Tertia tamdem proprietas, seu exigentia situs est, quòd semper sequatur ad substantiam materialem & quantam, prout talis modo est in loco; quod satis patet ex dictis.

Articulus Quintus.

De prædicamento quando.

ADvertendum est 1. tempus posse in spirituale, & in materiale, dividi. Hoc secundum est duratio rerum corporearum aut materialium ab intrinseco corruptibilium, nec non motuum & operationum earum. Tempus verò spirituale aut Angelicum, est duratio Angelorum, vel operationum motuumque ipsorum. Sicut autem *esse in loco*, non convenit Angelis propriè & univocè cum rebus corporeis, (propriè enim *esse in loco*, est circumscribi ab ipso, quod solis rebus corporeis & quantis, aut partes integrales habentibus, competit; ut patet ex dictis suprà) sed impropriè tantùm, analogicè, & metaphoricè, aut secundùm metaphoram & similitudinem cum rebus materialibus; quæ similitudo in hoc consistit, quòd sicut res materialis non distat à loco, à quo circumscribitur; ita similiter Angelus non est distans à loco, in quo operatur: sic etiam esse in tempore, non dicitur univocè & propriè de Angelis, per respectum ad res corporeas; sed analogicè solùm, impropriè, & metaphoricè, seu secundùm metaphoram & similitudinem aliquam cum rebus corporeis primo mobili subditis. Quæ similitudo sita est in eo, quod sicuti res corporea ab æterno non extitit, sed in determinata duratione intrinseca cœpit, cum subjectione ad durationem motus primi mobilis, qua extrinsecè mensuratur: ita similiter quilibet Angelus ab æterno non fuit, sed in determinata duratione ipsi intrinseca incœpit, cum dependentia ab æternitate extrinsecè & eminenter regulante.

Advertendum est 2. in re corporea motui primi mobilis ejusque durationi subjecta, duplex tempus esse distinguendum: nempè unum in-

intrinsecum, & aliud extrinsecum. Primum est intrinseca ejus duratio, seu persistentia & perseverantia in *esse*. Alterum verò est duratio motus primi mobilis, cui intrinseca rei corporeæ duratio subjicitur, quaque mensuratur. His præmissis; definitio *quando* prædicamentalis tradita à Gilberto facilè capietur.

Est autem hæc: *Quando est id, quod ex temporis adjacentia relinquitur*. Cujus definitionis sensus est iste: *Quando est accidens completum, resultans ex adjacentia temporis, quo res durans dicitur formaliter esse in determinato tempore*. Dum asseritur, esse accidens completum, assignatur ratio ejus communis, in qua cum reliquis prædicamentis convenit accidentalibus. Aliæ verò definitionis particulæ differentialem hujus prædicamenti ab aliis rationem exponunt. Et quidem in definitione illa sermo est de tempore extrinseco, quod est duratio motus primi mobilis: siquidem quod adjacet rei duranti, sit aliquid extrinsecum, ipsi adveniens, necesse est. Allatam verò *quando* prædicamentalis definitionem adducit ex Gilberto D. Thomas opusc. 49. eamque ibi approbat.

Illinc confutatur doctrina Suaris Disp. 52. Met. sect. 12. asserentis, *quando* prædicamentale nihil aliud esse, præter intrinsecam rerum durationem, seu intrinsecam earum in esse persistentiam. Nam, ut liquet ex definitione relata, *quando* prædicamentale relinquitur seu resultat ab extrinseco, proindèque non est duratio intrinseca rei durantis, quæ in ea à principio ipsi intrinseco procedit; itaque sicut ad *ubi* prædicamentale duo requiruntur, nimirũ locum circumscribens, & quantitas intrinseca rei locatæ & circumscriptæ; ita tamen ut *ubi* nec sit locus circumscribens, nec quantitas circumscripta, sed sit in re quanta, aliquid ex circumscriptione loci proveniens, ut ex suprà dictis liquet; ita pari modo ad *quando* prædicamentale duo exiguntur, videlicet tempus

extrin-

extrinsecè mensurans, & duratio intrinseca rei durantis, quæ per tempus intrinsecè mensuratur; sic tamen, ut *quando* neque sit tempus mensurans, neque duratio mensurata; sed sit in re durante aliquid ex extrinseca temporis mensuratione procedens. Unde Gilbertus definiens *quando* prædicamentale, sic ait: *Quando significat rationem ex temporis insidentia relictam, non tempus ipsum.* Et infrà ita rursus ait: *Quando est quædam affectio rebus addita, per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuras esse; non verò est tempus ipsum.* Ex doctrina autem tradita.

Infertur, non esse veram sententiam quorumdam Authorum asserentium, dari in Angelis, & in animabus beatis clarè Deum intuentibus, *quando* in prædicamento isto reponendum: etenim, prout ex Gilberto citato colligitur, *quando* prædicamentale essentialiter ex tempore extrinseco, seu ex duratione motus primi mobilis, resultat. Unde *quando* prædicamentale in iis tantùm rebus reperitur, quæ motui primi mobilis subjiciuntur: Angeli verò & animæ rationales beatæ, utpotè spiritus à corpore independentes, motui corporis, cujusmodi est primum mobile, non subduntur.

Species hujus prædicamenti desumuntur ex ordine ad diversas temporis partes. Unde supremum genus ipsius primò dividitur; in *quando*, quo res dicitur esse in tempore præsenti; in *quando*, quo res dicitur fuisse tempore præterito; & in *quando*, quo res dicitur futura esse: hinc Arist. cap. 4. hujus libri assignat, ut species istius prædicamenti, *heri*, *hodiè*, *superiori anno*, &c. Particula *hodiè* designat speciem infimam, quæ in alias inferiores non subdividitur. Altera particula *heri* denotat speciem subalternam, sub qua variæ species, ut *nudiustertius*, *superiori anno*, &c. continentur. Demùm *quando*, quo res dicuntur futuræ esse, est quoque species subalterna, sub qua etiam plures aliæ species comprehen-

tenduntur: ut, *cras*, *anno futuro*. [illegible] *hæ* verò diriſione facilè colligitur hujus prædicamenti coordinatio.

Proprietates quando prædicamentalis à Gilberto aſſignatæ, ſunt tres: nempè *non habere contrarium*; licèt enim *heri*, & *cras*, contrariè opponantur, non tamen contrariè: *non habere magis*, & *minùs*; nam Petrus hodie, *modò magis*, & *modò minùs*, non eſt; ac *heri tale*. 3. *quòd quando* conveniat ſolùm iis, quæ determinato incipiunt & durant tempore, quorum ex determinato tempore adjacente & conſtante reſultat.

Quæres, quare hoc prædicamentum appelletur *quando*? Reſpondeo, ita nuncupari, quia ut ipſum reſpondemus ad quæſtionem, *quando fuerit*, *fit*, *aut erit*? quemadmodum ad interrogationem, *ubi res ſit*? rectè per *ubi* prædicamentale reſponderur.

Articulus Sextus.

De prædicamento habitus.

ADvertendum eſt, habitum quamvis præſertim modis poſſe accipi. Primò quidem, pro habitate difficilè à ſubjecto mobiliter habente unum ſpectum benè vel malè ſe habet, ſecundum eſſur naturæ: habituſque in hunc ſenſum ad prædicamentum non ſpectat, ſed in qualitatis prædicamento reponitur; ut ex dictis patet. Secundò pro forma ſubſtantiali habita, & reluctante à materia prima: de qua, juxta communiorem axioma, dicitur: *A privatione ad habitum non eſt regreſſus*; nempè naturaliter. Semel materia prima ſemel privetur ſubſtantiali forma, quam habet, ad ipſam regredi; hæc ipſam naturaliter non petit. Habitus vero acceptus, ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinet. Tertiò pro veſte; interdum enim veſtis

Ex ista divisione facilè infertur hujus ultimi prædicamenti coordinatio.

Quæres, utrum habitus prædicamentalis soli conveniat homini, adeò ut brutis animalibus convenire non possit? Respondeo 1. in brutis animalibus, quæ à natura acceperunt indumenta proportionata, ut *pilos*, *lanam*, &c. vel arma sibi congruentia, ut *cornua*, *ungulas*, &c. propriè ratione illorum non inveniri prædicamentalem habitum: etenim habitus prædicamentalis, ex communi Peripateticorum doctrina, resultat ex indumento extrinseco adjacente corpori induto vel armato; *pili* verò, *lana*, *cornua*, *ungulæ* &c. non sunt extrinseca brutorum animalium indumenta; sed potiùs sunt intrinsecæ eorum partes integrales, ut patet satis.

Respondeo 2. cum D. Thoma opusculo 48. quòd dum animalia irrationalia, in ordine ad humanos usus, armis, aut vestibus extrinsecis induuntur, verè ac propriè in eis ex ejusmodi armis, vel vestibus ipsis adjacentibus, resultat prædicamentalis habitus. Sic equus *phaleratus*, vel *armatus*, interdum appellatur.

An autem dum res inanimatæ, v. gr. imagines, vel statuæ, vestiuntur, vel armantur, in eis emanet habitus? dubitant aliqui. Probabilius tamen est, quòd sicut res inanimatæ, impropriè tantùm vestiuntur, vel armantur, secundùm aliquam metaphoram, aut similitudinem ad res animatas; ita etiam in iis habitus ratione vestium, vel armorum, impropriè duntaxat & metaphoricè reperiatur, non verò propriè & prædicamentaliter.

Prima proprietas habitus est, quòd non habeat contrarium: non enim homini togato vel galeato aliquid propriè contrariatur. Secunda est, quòd non suscipiat magis, & *minùs*; nam idem homo, iisdem vestibus indutus, non est modò magis, & modò minùs, togatus.

Ali-

Aliquo tamen modo suscipere potest magis, & minùs; sic equites magis armati censentur, quàm pedites.

Articulus Septimus.

Quomodo prædicamenta inter se distinguantur?

Circa hanc difficultatem, tres sunt potissimùm Philosophorum sententiæ. Prima asserit, decem prædicamenta non debere distinguiri realiter; sed sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ à ratione aut intellectu cum fundamento à parte rei formatur. Hæc sententia tribuitur Soncinati, Javello, Durando, Vario, Aversæ, & aliis.

Secunda admittit quidem inter prædicamenta distinctionem ante omnem intellectus seu rationis operationem; sed tamen docet, hanc distinctionem non debere necessariò esse simpliciter realem; sed satis esse, ut sit formalis ex natura rei. Hanc sententiam tuentur Scotistæ.

Tertia sententia affirmat, inter decem prædicamenta reperiri distinctionem simpliciter realem. Ita docent communiter Discipuli D. Thomæ. His positis

Dico: decem prædicamenta realiter distinguantur. Hanc concl. tradit non obscurè Arist. primis enim 1. post. cap. 12. ait, decem prædicamenta non misceri inter se à parte rei: quæ ò à parte rei, seu realiter, non miscentur, à parte rei, seu realiter, distinguantur necesse est. Et ideò ibidem asserit, prædicamenta in nullo communicare: si verò realiter identificarentur, aliquo communicarent, nimirum in eadem entitate; forent quippè eadem entitas realiter. Unde 7. Top. cap. 1. docet, ea quæ in diversis prædicamentis aut categoriis collocantur, non esse esse unum & idem numero; ac proinde sub-

stan-

stantia, quantitas, qualitas, relatio &c. quæ in Petro, v. g. inveniuntur, quæque ad diversas categorias spectant, non sunt realiter entitas una & eadem numero, sed potiùs numero multiplex.

Deinde in quæst. de quant. probatum est, substantiam materialem, & quantitatem, realiter inter se distingui; ergo saltem prædicamenta substantiæ, & quantitatis, realiter ab invicem distinguuntur. In quæst. de relatione ostensum est quoque, dari distinctionem realem inter relationem prædicamentalem, & proximum ejus fundamentum; unde, cùm istud fundamentum sit quandoque substantia, nonnunquam quantitas, interdum qualitas, & aliquando actio, vel passio, ut ex ibidem dictis liquet; prædicamentum relationis realiter à prædicamentis substantiæ, quantitatis, qualitatis, actionis, & passionis distinguitur.

Præterea, novem prædicamenta accidentalia realiter à prædicamento substantiæ, seu à substantia prædicamentali, distingui, ex communi Peripateticorum doctrina, satis manifestè infertur: docent quippe Peripatetici, post Aristotelem, ens reale creatum completum, generaliter sumptum, dividi in ens per se subsistens, & in ens subjecto inhærens. Primum constituit substantiæ prædicamentum, alterum verò in novem prædicamenta accidentalia subdividitur: novem ergo prædicamenta ista, sunt entia subjecto per se subsistenti, scilicet substantiæ, inhærentia; unde cùm idem realiter nequeat sibi inhærere, novem illa prædicamenta realiter à substantia, cui realiter inhærent, & à qua realiter sustentantur, distinguantur necesse est.

Probatur rursus ratione generali: ea à parte rei, seu realiter, distinguuntur, inter quæ reperitur distinctio ex natura rei: atqui inter decem prædicamenta invenitur distinctio ex natura rei: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. inter illa re-

reperitur distinctio ex natura rei, quæ diversas obtinent naturas; ut patet: atqui decem prædicamenta obtinent naturas planè diversas: ergo &c. *Prob. min.* cùm definitio sit oratio explicans naturam rei, ex res diversas habent naturas, quarum diversæ sunt definitiones: atqui substantiæ, quantitatis, qualitatis, relationis, & reliquorum prædicamentorum, diversæ sunt planè definitiones; alia enim prorsus est definitio substantiæ, alia quantitatis, alia qualitatis, alia relationis, & sic de reliquis prædicamentis; ut patet ex superiùs dictis circa singula prædicamenta: ergo &c.

Dices cum adversariis: *Animalitas*, & *rationalitas*, in homine, sola ratione ratiocinata distinguuntur, prout docent communiter Discipuli D. Thomæ; & tamen diversas obtinent naturas, diversasque definitiones: ergo idem dicendum est de decem prædicamentis.

Sed contrà sic arguitur ex disparitate: Ideò *animalitas*, & *rationalitas*, in homine, realiter non distinguuntur, quia diversas naturas, & definitiones, solùm incompletas & inadæquatas obtinent; quatenus sunt dumtaxat partes, hæ rationes quædam partiales, incompletæ, & inadæquatæ, naturam hominis totalem, completam & adæquatam, secundùm intellectum concipientes; prout alibi explicatum est: ergo ideò, & definitiones decem prædicamentorum sunt completæ, totales, & adæquatæ; cum apud Peripateticos sola entia completa, totalia, & adæquata, directè in prædicamentis ponantur: decem ergo prædicamenta, ratione diversarum naturarum, & definitionum suarum, realiter distinguuntur; quamvis *animalitas*, & *rationalitas*, in homine, sola ratione ratiocinata, secundùm diversos conceptus intellectus incompletos, partiales, & inadæquatos, dumtaxat differant.

Probatur amplius: quæ sunt primò diversa,

ita-

lationis realiter ab ipsa minimè distinguitur: ergo substantia, quantitas, qualitas, actio, & passio, à relatione prædicamentali; sive prædicamenta substantiæ, quantitatis, qualitatis, actionis, & passionis, à prædicamento relationis realiter non distinguuntur. Isti etiam argumento responsum est in quæst. de relat. ubi demonstratum est, inter relationem prædicamentalem, & ejus fundamentum, realem inveniri distinctionem.

Objic. rursus alii: sex ultima prædicamenta sunt dumtaxat denominationes extrinsecæ; hoc autem posito, sequitur evidenter, ipsa ab aliis prædicamentis realiter non distingui: etenim juxta hanc doctrinam, *ubi* prædicamentale non distinguitur realiter à loco, sed est locus, prout extrinsecè denominat corpus *ubicatum*; locus autem ad prædicamentum quantitatis spectat. Similiter ex eadem doctrina sequitur, *habitum* prædicamentalem realiter à veste non distingui, sed potiùs esse vestem ipsam, prout corpus extrinsecè *vestitum* denominat; vestis verò ad prædicamentum substantiæ pertinet. Et ita de quatuor aliis prædicamentis accidentalibus.

Huic quoque argumento satisfactum est in articulo primo hujus quæst. ibi siquidem probatum est, sex ultima prædicamenta non esse meras denominationes extrinsecas; sed potiùs esse entitates aut formalitates quasdam intrinsecas rebus, modo ibi explicato.

Objic. 4. si prædicamenta quantitatis, & relationis, realiter distinguerentur, idem realiter in duobus illis prædicamentis poni non posset; sed quæ in eis ponerentur, realiter distinguerentur, necesse foret: atqui id dici nequit: ergo &c. Ma. perspicua est. Prob. min. ex Arist. in prædicamentis, cap. de qualitate, ubi expressè asserit, idem posse ad prædicamenta qualitatis & relationis pertinere; verba Aristotelis sunt hæc: *Præterea si quid idem & quale, & ad aliquid sit, in utrisque ipsum generibus collocari non erit absurdum.*

Res-

Respondeo concessa mai. negando min. Ad cu-
jus probat. dico 1. Arist. non loqui absolute
sed dumtaxat ex suppositione, quòd idem sore
quale, & *ad aliquid*, id est, qualitas, & rela-
tio seu respectus ad terminum; quam tamen
suppositionem non admittit.

Dico 2. Arist. non loqui ex propria mente
& ex sua sententia; sed ex sententia & doctrina
quorumdam Philosophorum sui temporis, circa
rellativa; ex definitione enim relativorum ab eis
tradita infert, idem posse esse & *quale*, & *rela-*
tivum, adeò ut in generibus seu prædicamentis
qualitatis, & relationis, simul ponatur; istam
tamen sententiam ac doctrinam non approbas-
sse Philosophus.

Dico 3. respondendum esse cum distinctione:
concedo namque, idem diverso modo posse po-
ni in prædicamentis qualitatis & relationis, ita
ut: formaliter sit in qualitatis prædicamento, &
fundamentaliter in prædicamento relationis,
quatenus prædicamentalis *relationis* est funda-
mentum: sed nego, idem eodem modo, nimirum formaliter, & essentialiter, posse in
prædicamentis qualitatis & relationis collo-
cari.

Objic. 5. Arist. 3. Physic. c. 3. comparat actio-
nem & passionem intervallo, quod idem est,
sive ut acclive, sive ut declive, spectetur: sicut
& viæ, qua itur Thebis Athenas, & Athenis
Thebas; quæ, inquit, eadem est: ergo pariter
actio & passio, seu prædicamenta actionis & pas-
sionis, sunt aliquid unum & idem realiter.

Respondeo, comparationem aut paritatem fa-
ctam ab Aristotele non esse quoad omnia; sed
esse quoad hoc solùm, quòd sicut in eodem
intervallo, ut acclivi, vel declivi, eadem
quidem entitas est, sub diversa tamen ratione,
diversoque respectu ad locum superiorem, & ad
locum inferiorem, adeò ut intervallum illud per
respectum ad partem superiorem dicatur *acclive*,

& per respectum ad partem inferiorem, *declive* nuncupetur: sicut etiam eadem entitativè est via, diversam rationem, diversumque respectum importans, qua Thebis Athenas, & Athenis Thebas itur: sic in actione & passione est eadem principalis entitas effectus, cui advenit duplex ratio, duplexque respectus; nimirum ratio egressus ex agente, quæ dicitur *actio*, estque transcendentalis respectus ad agens; & receptio in passo, quæ *passio*, ac transcendentalis respectus ad passum, dici potest. Attamen in hoc est disparitas, quòd diversæ rationes, quæ in dicto intervallo, dictaque via, reperiuntur, constituunt solùm objecta diversarum considerationum intellectus; & ideò, non à parte rei, sed per solum intellectum distinguuntur: at ratio egressus ab agente, & ratio receptionis in passo, quæ entitatem effectus concomitantur, sive actio, & passio, constituunt duo prædicamenta à parte rei primò diversa (ut ex dictis liquet) ac proinde realiter distincta; subindèque duæ rationes illæ realiter distinguuntur. Unde Aristoteles infrà, textu 22. ait: *Neque actio idem, quod passio.*

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Postprædicamentis.

ABsoluta tractatione de prædicamentis, accedit Philosophus ad exponenda Postprædicamenta, hoc est, ad quasdam affectiones exponendas, quæ prædicamenta consequuntur, seu illis inter se comparatis competunt. Sunt autem quinque; nimirum oppositio, simultas, prioritas, motus, & modus habendi. Quæ cùm sint rationes imperfectæ, debiles, & incompletæ, in nullo prædicamento directè collocantur; sicque seorsum illa quinque sunt explicanda. Igitur cap. 10. agit Arist. de oppositis, de aliis verò in sequentibus. Nos pariter in primo art. de oppositis, & in altero de reliquis, breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De oppositis.

DUplex oppositio distingui potest, nempè complexa, & incomplexa. Prior est inter duas propositiones, quarum una est affirmativa, & altera negativa; cujusmodi sunt duæ propositiones istæ; *Omnis homo est animal; aliquis homo non est animal*; & de hac oppositione satis superque in institutionibus Logicis disputatum est. Posterior autem oppositio inter duas res simplices terminis incomplexis significatas, sibique mutuò repugnantes, reperitur, v. g. inter calorem, & frigus. Prior dicitur sæpè; *Oppos-*

& per respectum ad partem inferiorem, *declive* nuncupetur: sicut etiam eadem entitativè est via, diversam rationem, diversumque respectum importans, qua Thebis Athenas, & Athenis Thebas itur: sic in actione & passione est eadem principalis entitas effectus, cui advenit duplex ratio, duplexque respectus; nimirum ratio egressus ex agente, quæ dicitur *actio*, estque transcendentalis respectus ad agens; & receptio in passo, quæ *passio*, ac transcendentalis respectus ad passum, dici potest. Attamen in hoc est disparitas, quòd diversæ rationes, quæ in dicto intervallo, dictaque via, reperiuntur, constituunt solùm objecta diversarum considerationum intellectus; & idcò, non à parte rei, sed per solum intellectum distinguuntur: at ratio egressus ab agente, & ratio receptionis in passo, quæ entitatem effectus concomitantur, sive actio, & passio, constituunt duo prædicamenta à parte rei primò diversa (ut ex dictis liquet) ac proinde realiter distincta; subindèque duæ rationes illæ realiter distinguuntur. Unde Aristoteles infrà, textu 22. ait: *Neque actio idem, quod passio.*

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Poſtprædicamentis.

ABſoluta tractatione de prædicamentis, accedit Philoſophus ad exponenda Poſtprædicamenta, hoc eſt, ad quaſdam affectiones exponendas, quæ prædicamenta conſequuntur, ſeu illis inter ſe comparatis competunt. Sunt autem quinque; nimirum oppoſitio, ſimultas, prioritas, motus, & modus habendi. Quæ cùm ſint rationes imperfectæ, debiles, & incompletæ, in nullo prædicamento directè collocantur; ſicque ſeorſum illa quinque ſunt explicanda. Igitur cap. 10. agit Ariſt. de oppoſitis, de aliis verò in ſequentibus. Nos pariter in primo art. de oppoſitis, & in altero de reliquis, breviter diſſeremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De oppoſitis.

DUplex oppoſitio diſtingui poteſt, nempè complexa, & incomplexa. Prior eſt inter duas propoſitiones, quarum una eſt affirmativa, & altera negativa; cujuſmodi ſunt duæ propoſitiones iſtæ; *Omnis homo eſt animal; aliquis homo non eſt animal*; & de hac oppoſitione ſatis ſuperque in inſtitutionibus Logicis diſputatum eſt. Poſterior autem oppoſitio inter duas res ſimplices terminis incomplexis ſignificatas, ſibique mutuò repugnantes, reperitur, v. g. inter calorem, & frigus. Prior dicitur ſæpè; *Oppoſi-*

ſio propoſitionum; & poſterior, *oppoſitio rerum*. Ad hanc verò oppoſitionem (quæ realis eſt, ut patet) duæ conditiones requiruntur. Prima eſt, ut quæ opponuntur, realiter diſtinguantur; idem enim ſibi realiter opponi non poteſt. Secunda eſt, quòd extrema oppoſita, ſibi invicem repugnent; oppoſitio enim duarum rerum, ex proprio conceptu, quamdam earum repugnantiam deſignat. Iſtæ verò duæ leges ſufficiunt, ut duo aliqua ſint latè oppoſita, ſeu diſparata; hocque modo *leo* & *arbor*, v. g. opponuntur, licèt apud Philoſophos, nulla oppoſitione ſpeciali ſtrictaque gaudeant. Oppoſitio autem ſtrictè ſumpta, eſt repugnantia unius rei determinatæ cum alia re determinata. Hoc modo, homo non homini, cæcitas viſui, calor frigori, & paternitas filiationi, opponuntur. Unde in hoc diſcrepant *diſparata* à ſtrictè oppoſitis, quòd res diſparata non ſibi determinet rem alteram, cui repugnet; ſed indifferenter repugnet iis omnibus, à quibus in eſſentia diſtinguitur: hinc *leo arbori, aquæ, igni, ligno, & aliis omnibus*, à quibus eſſentialiter diſtinguitur, repugnat; at res ſtrictè oppoſita, uni rei determinatè repugnat: ut *homo non homini*, &c.

Oppoſitio ſtrictè uſurpata, ab Ariſt. in hoc cap. in contradictoriam, privativam, contrariam, & relativam, dividitur. Hujus verò quadripartitæ diviſionis ratio ex Scoto hìc, eſt hujuſmodi: oppoſitio, vel eſt inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens: cùm etenim non ens nihil ſit, inter non ens, & non ens, nihil eſt; proindèque nulla eſt oppoſitio, quæ dicitur affectio entis. Si autem eſt inter ens, & non ens, vel inter ens, & non ens, ſimpliciter, & abſolutè; & eſt oppoſitio contradictoria; quòd enim ſimpliciter aliquid ſit, & non ſit, abſolutè loquendo, manifeſtam implicat contradictionem; vel eſt inter ens, & non ens, in determinato ſubjecto, verb. grat. inter viſum,

&

& excitatem, in animali, & est oppositio privativa; unde animal cæcum idem est ac animal visu privatum. Si verò oppositio est inter ens, & ens: vel ens, & ens, se se ab eodem subjecto expellunt, ut calor, & frigus, ab eodem ligno, & est oppositio contraria; hinc calor, & frigus, sibi mutuò contrariari communiter dicuntur: aut ens, & ens, se se respiciunt, ut pater, & filius, estque oppositio relativa sive respectiva.

Oppositio relativa definiri potest: *Repugnantia inter duo extrema, ex eo, quòd unum respiciat alterum*: hoc modo pater & filius se se respicientes, opponi dicuntur. Dividi autem potest in mutuam, & non mutuam. Prior est, quæ ex relatione mutua resultat: talis est inter patrem & filium, qui mutuò ad se referuntur. Posterior autem oritur ex relatione non reciproca, qualis est relatio inter Deum creatorem, & creaturas.

Ex Arist. autem, tum hoc cap. tum lib. 10. Metaph. cap. 5. contraria definiuntur communiter hoc modo: *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant; & eidem subjecto vicissim inesse possunt, à quo mutuò se expellunt; nisi alterum eorum insit à natura*. Ex qua definitione colliguntur conditiones quatuor ad propriè dictam oppositionem contrariam necessariæ. Prima est, ut extrema contraria sint sub eodem genere. Secunda, ut sub illo sint maximè distantia. Tertia, ut eidem subjecto vicissim inesse possint. Quarta tamdem, ut ab eodem subjecto se mutuò expellant.

Itaque contraria debent in primis esse sub eodem genere; quoniam omnia extrema positiva sibi mutuò correspondentia, cujusmodi sunt duo contraria (v. gr. calor & frigus) necessariò sub eodem genere continentur. Deinde debent sub eodem genere maximè distare inter se, id est, distingui specie; distinctio enim specifica

cum distinctione individuali comparata, maxima est, vel saltem longè major. Hinc nunquam duo extrema ejusdem speciei, ut duo calores, vel duo frigora, sibi propriè contrariantur. Duo autem contraria eidem subjecto vicissim inesse possunt, quoniam contraria, prout à contradictoriis differunt, conveniunt in communi subjecto. Demùm, duo contraria debent ab eodem subjecto se mutuò expellere; quæ enim in eodem subjecto cum pace simul commorantur, contraria non sunt; ut per se constat. Hæ quatuor conditiones competunt calori, & frigori, intensis. In primis enim sunt sub eodem qualitatis genere. Præterea maximè distant ab invicem, sive specificè differunt; ut patet. Eidem etiam subjecto, v. gr. eidem ligno, successivè inesse possunt: & tamdem in eodem subjecto simul esse nequeunt; nam idem lignum nequit simul esse calidum & frigidum, in gradu intenso.

Additur in definitione contrariorum: *Nisi alterum eorum insit à natura*: quia nonnunquam alterum contrariorum à natura inhæret subjecto tanta vi, & ea tenacitate, ut ab altero expelli nequaquam possit, nisi subjectum simul corrumpatur. Hoc modo calor in igne insidet, & humiditas in aqua; & sic de aliis multis.

Dices 1. Aristoteles, postquàm in fine hujus c. dixit, contraria esse in eodem genere, subdit: *Aut interdum in contrariis generibus, ut justitia, & injustitia sub virtute, & vitio*: ergo necesse non est, ut contraria sint semper sub eodem genere.

Respondeo distinguendo consequens: ergo necesse non est, ut contraria sint semper sub eodem genere próximo, concedo: sub eodem genere, vel proximo, vel remoto & supremo, nego: licèt enim justitia, & injustitia, sint sub contrariis generibus proximis, nimirum sub *virtute*, & *vitio*; attamen sunt sub eodem genere supremo qualitatis: & hoc sufficit.

Di-

Dices 2. de bono, & malo, quæ ſunt duo contraria, ait Philoſophus ibidem, illa non eſſe in genere, ſed potiùs ipſa eſſe aliquorum genera.

Reſpondeo ex D. Thoma 1. p. q. 48. ar. 1. ad 1. poſt Jamblicum, Ariſtotelem ibi non loqui ex mente propria, ſed ex opinione Pytagoreorum, qui malum exiſtimabant eſſe naturam quandam ſummam, duaſque rerum omnium conjugationes conſtituebant, nempè unum bonorum, & alteram malorum; revocantes omnia ad bonum, & malum, tamquam ad ſumma duo genera & capita.

Dices 3. error, & vera opinio, ſunt duo extrema contraria, & tamen error maximè non diſtat à vera opinione, imò magis diſtat à ſcientia circa idem objectum: etenim error diſtans eſt à vera opinione ſolùm in veritate, error ſiquidem eſt *cognitio falſa*; à ſcientia autem diſtat in veritate, certitudine, & evidentia; error namque falſus eſt, incertus, & inevidens. Simile argumentum fieri poteſt de avaritia, & liberalitate, quæ etiam conttariantur inter ſe, & nihilominùs avaritia maximè non diſtat à liberalitate, quoniam magis diſtat à prodigalitate, quæ omnia profundit: ergo neceſſe non eſt, ut contraria ſub eodem genere à ſe maximè diſtent.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ergo neceſſe non eſt, ut contraria ſub eodem genere, à ſe maximè diſtent, abſolutè loquendo, concedo: comparativè, nego: quamvis enim error, v. g. & opinio vera; item avaritia & liberalitas; maximè non diſtent, ſi abſolutè loquamur: attamen ſi diſtantia vel diſtinctio ſpecifica cum individuali comparetur, poteſt dici maxima, vel ſaltem longè major; ipſaque inter errorem & opinionem veram, nec non inter avaritiam & liberalitatem, reperitur.

§. UNICUS.

Aliæ oppositiones duæ, & quædam alia scitu digna, explicantur.

OPpositio privativa definiri potest: *Carentia formæ in subjecto apto eam recipiendi secundùm tempus, & speciem*: sive, *repugnantia inde proveniens*. Explicatur ista definitio. In primis dicitur, *Carentia formæ in subjecto apto eam recipiendi*; ut distinguatur à negatione pura, quæ designat carentiam formæ in subjecto ad eam incapaci; ut est negatio visus in lapide. Additur, *secundùm tempus*; quia non dicitur privatio propriè, si subjectum non sit capax talis formæ pro tempore, quo forma de eo negatur; unde catuli primis diebus sui ortus non dicuntur propriè cæci, aut visu privati, quia visum non solent tam citò recipere. Ponitur denique, *secundùm speciem*: quoniam talpa non dicitur etiam propriè cæca, aut visu privata, eo quòd visus illi secundùm speciem non debeatur, quamvis ratione generis, nempè ratione *animalis*, ipsi competat. Juxta allatam verò oppositionis privativæ definitionem, visus in cane nato ab anno, & cæcitas in alio cane ejusdem nativitatis, privativè opponuntur; in isto enim secundo cane cæcitas est carentia formæ, nimirum *visus*, in subjecto apto secundùm tempus, & speciem.

Oppositio tamdem contradictoria definitur: *Repugnantia inter ens, & non ens*. Quòd enim idem sit, & non sit, manifestam implicat contradictionem. Sic opponuntur *homo*, & *non homo*. Docet verò Arist. 1. post. cap. 2. & lib. 10. Metaph. cap. 7. inter contradictoria non dari medium. Ad cujus intelligentiam, advertendum est, medium inter duo extrema opposita esse duplex, nempè unum *positivum*, & alterum

ne-

negativum. Primum dicitur, quod extremorum positivorum particeps est: hujusmodi est *viride*, quod *nigri*, & *albi*, est particeps. Alterum verò medium, quod vocatur negativum, est id, quod utriusque extremi negationem importat, ita ut neutrum extremum de medio illo verè affirmetur, imò potiùs utrumque extremum verè de illo negetur: sic v. g. inter cæcitatem, & visum, medius est lapis, qui neque cæcus, neque videns est, propriè. Inter duo contradictoria ergo non datur in primis medium positivum, quod nimirum extrema contradictoriè opposita, nempè ens, & non ens, simul participet; repugnat namque, ut idem sit entis, & non entis, particeps: non datur quoque medium negativum, quod videlicet nec sit ens, nec non ens; nam ex communi axiomate; *Quodlibet est, vel non est*.

Quæres 1. an oppositio in communi, dividatur in quatuor relatas & expositas, sicut genus in suas species; vel sicut analogum in analogata? Respondet D. Thomas opusc. 37. esse divisionem analogam, seu analogi in analogata, non verò generis in species. D. Thom. sequuntur communiter ejus Discipuli. Rationem tradit Angelicus Doctor. Etenim in divisione univoca, & generis in species, debent membra dividentia univocè seu æqualiter rationem aut naturam totius divisi participare: si autem analogicè se inæqualiter eam participent, est divisio analoga: oppositio verò contradictoria, privativa, contraria, & relativa, non æqualiter, sed potiùs inæqualiter, rationem sive naturam oppositionis, nimirum repugnantiam determinatam extremorum, participant; adeò ut oppositio contradictoria ratione sui, & independenter ab aliis oppositionibus, repugnantiam extremorum obtineat; hæc autem repugnantia sit in aliis oppositionibus ratione oppositionis contradictoriæ, & dependenter

ab illa ; intantùm enim cæcitas , verb. grat. repugnat visui, inquantùm importat negationem visus, & ita inquantùm est *non visus* ; visus verò, & non visus, contradictoriè opponuntur. Eodem modo in extremis, contrariis, & relativis, repugnantia reperitur. Unde dum oppositio contradictoria, privativa, contraria, & relativa, dicuntur oppositionis *species*, nomen *speciei* accipitur latè, prout significat membrum dividens prædicatum commune analogum.

Quæres 2. quotuplex sit oppositio contraria? Respondeo, esse duplicem, unam nempè immediatam, & alteram mediatam. Tunc inter duo extrema est contraria oppositio mediata solùm, dum inter duo illa extrema mediat aliquid, utrumque extremum positivè participans; sic inter album & nigrum, mediant viride, fuscum, & pallidum; communiter quoque dicitur, inter calidum & frigidum mediare tepidum: quando verò inter duo extrema contrariè opposita nihil est medium, quod amborum extremorum particeps sit, tunc oppositio contraria censetur immediata; qua oppositione justitia & injustitia contrariantur inter se, inter eas quippè nullus est habitus medius, qui ipsarum particeps sit.

Quæres 3. quot modis unum contrarium possit expellere aliud ab eodem subjecto? Respondeo, id posse fieri dupliciter, uimirum effectivè, vel formaliter. Effectivè quidem, quando unum agit in subjectum alterius, & ab eo illud ejicit; ut dum ignis aquam calefaciendo efficienter, frigus ab ea expellit: formaliter verò, dum unum contrarium existens in subjecto, ab eo aliud excludit se ipso, & absque ulla actione in illud; hoc modo nigredinem albedo expellit: hæc enim duo contraria, cùm non sint activa, non alia ratione se excludunt, quàm immediatè per se ipsa, quatenus effectus formalis unius est naturaliter in-

incompatibilis cum effectu formali alterius in eodem ſubjecto: ad oppoſitionem ergo contrariam ſufficit planè, ut extrema contraria ſe ſe formaliter expellant ab eodem ſubjecto, adeò ut ſint formæ poſitivè abſolutæ, ſimul in eodem ſudjecto incompatibiles.

Quæres 4. quæ ex quatuor oppoſitionibus allatis ſit omnium maxima? Reſpondeo, oppoſitionem contradictoriam cæteris eſſe majorem. Ita communiter Philoſophi cum D. Thoma opuſc. 37. Ratio eſt, quia cùm oppoſitio, prout hic uſurpatur, conſiſtat in extremorum repugnantia, ut ex dictis conſtat: tantò major eſt oppoſitio, quantò magis extrema oppoſita repugnant: atqui extrema contradictoria magis repugnant: ergo &c. Prob. min. repugnantia extremorum eſt ipſorum diſconvenientia; in oppoſitione verò contradictoria, extrema magis diſconveniunt: etenim extrema oppoſitionis privativæ, nimirum forma & privatio, conveniunt in communi ſubjecto, cui ſucceſſivè poſſunt ineſſe; ut patet in viſu & cæcitate, quæ interdum eidem animali ſucceſſivè inſunt: extrema verò oppoſitionis contrariæ, cùm ſint ſub eodem genere, in ipſo conveniunt; hoc modo calorem & frigus convenire in qualitate apertum eſt: extrema item oppoſitionis relativæ ſunt in eodem genere convenientia; ſunt enim duæ relationes idem commune genus participantes; ut patet in paternitate & filiatione, quæ ſunt ſub ſecundo relationis genere, prout alibi explicatum eſt: extrema verò oppoſitionis contradictoriæ, nimirum *ens*, & *non ens*, in nulla prorſus ratione conveniunt.

Ex dictis colliges, poſſe contradictoria, magis opponi privativa, quia magis accedunt ad contradictoria: nam etiam oppoſitio privativa eſt inter *ens*, & *non ens*; oppoſitio verò contraria, & oppoſitio relativa, ſunt inter *ens*, & *ns*, verb. grat. inter calorem, & frigus; inter pa-

ternitatem, & filiationem. Oppositio autem contraria, major est relativa; nam extrema contraria mutuò se perimunt, & destruunt; relativa verò se se ponunt & exigunt, adeò ut pereunte uno, pereat & aliud; sicque contraria magis repugnant, & magis opponuntur inter se, quàm relativa. Imò quamvis duæ relationes oppositæ, incompatibiles sint in eodem subjecto respectu ejusdem, non tamen respectu diversorum: hinc in eodem Patre respectu Joannis avi, & per respectum ad Paulum ab ipso genitum, filiatio & paternitas simul inveniuntur; filiatio quidem respectu avi, & paternitas respectu Pauli geniti; licèt relativè opponantur inter se: at duo contraria, verb. grat. albedo & nigredo, nunquam in eodem subjecto, etiam respectu diversorum, simul esse possunt. Ex quo manifestè infertur, majorem esse repugnantiam, & ita majorem oppositionem, inter contraria, quàm inter relativa.

Dices 1. ex minori oppositione nequit major inferri; atqui ex oppositione privativa infertur contradictoria: ergo &c. Prob. min. exemplo cæcitatis & visus, quæ privativè opponuntur; ex eo siquidem, quòd cæcitas privativè opponatur *visui*, rectè infertur, cæcitatem esse *non visum*: inter *visum* autem, & *non visum*, reperitur oppositio contradictoria; ut ex dictis liquet.

Respondeo distinguendo maj. ex minori oppositione nequit major inferri, à priori, & sicut à causa, concedo: à posteriori, & sicut ab effectu analogicè cum causa convenienti, nego: asserit autem sæpè D. Thomas, oppositionem contradictoriam esse aliarum oppositionum causam; ideòque istæ possunt cum illa comparari sicut effectus cum causa, cum qua analogicè conveniunt, modo superiùs explicato; dum verò effectus analogicè solùm convenit cum causa, est ipsa minor & imperfectior; ut patet

in

in creatura respectu Dei, qui tamen ex creatura, à posteriori, rectè ac demonstrativè infertur; ut in Metaphysica constabit.

Dices 2. tantò major est oppositio inter extrema opposita, quantò inter ipsa major est distantia: atqui inter extrema contrariè opposita major distantia est, quàm inter ea quæ opponuntur contradictoriè: ergo &c. Ma. perspicua est. Prob. min. *album*, & *nigrum*, sunt duo contraria; *album* verò, & *non album*, sunt duo contradictoria; ut ex dictis liquet: duo autem priora extrema magis distant, quàm duo posteriora: siquidem fuscum est *non album*; cùm verò in fusco sit quædam albi & nigri participatio, minùs distat album à fusco, quàm distet à nigro, in quo nulla est albi participatio.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus probationem, dico, *non album* posse dupliciter accipi; nimirum, vel positivè, vel negativè: *non album* positivè est extremum positivum realiter ab albo distinctum: *non album* verò negativè est quod tale dicitur per puram albi, aut albedinis, negationem. Inter *album* igitur, & *non album* negativè, datur oppositio contradictoria; non tamen inter *album*, & *non album* positivè: *fuscum* verò est *non album* positivè; unde inter *album*, & *fuscum*, non datur oppositio contradictoria, sed contraria imperfecta ac secundùm quid, quatenus *fuscum* participat *nigrum*, quod contrariatur *albo*.

Dices 3. opposita contrariè includunt oppositionem contradictoriam, & adhuc addunt peculiarem oppositionis rationem, nempè oppositionem contrariam: ergo magis opponuntur, quàm purè contradictoria; ac proinde oppositio contraria major est oppositione contradictoria. Consequentia videtur manifesta. Ant. autem suadetur. Et primò quidem, quòd opposita contraria oppositionem contradictoriam includant, patet in *albo*, & *nigro*; siquidem *album* importat

nega-

negationem *nigri*, quæ eſt *non album*; inter *album* verò, & *non album*, oppoſitio contradictoria reperitur: quòd autem oppoſita contrariè addant oppoſitionem contrariam, patet ſatis.

Reſpondeo conceſſo antec. diſtinguendo conſequens: ergo magis extenſivè opponuntur, &c. id eſt, pluribus modis opponuntur, concedo: ergo magis intenſivè opponuntur, &c. ita ut ratione oppoſitionis contrariæ, quam ſuperadduut, magis inter ſe opponantur, nego. Undè ſequitur quidem, oppoſitionem contrariam eſſe contradictoria majorem ſecundùm quid, non tamen ſimpliciter. Egregiè verò Ferrarienſis 4. contra Gent. cap. 14. ad ultimum, ſub finem capitis, ait, illud, quod oppoſitio contraria addit ad contradictoriam, non eam augere, ſed potiùs minuere, quia ipſam contrahit ad oppoſitionem minorem, nimirum ad contrariam, in qua includitur. Quam doctrinam tradit etiam D. Thomas opuſc. 37. cap. 1.

Quæres 5. quomodo ſit intelligendum hoc Ariſtotelis dictum: *A privatione ad habitum non datur regreſſus*: quod quidem dictum videtur falſum. Nam ignorantia eſt ſcientiæ privatio, & nox, (aut tenebræ) privatio lucis; & tamen ab ignorantia ad ſcientiam, & à nocte, aut tenebris, ad lucem, datur naturaliter regreſſus. Attamen ſi axioma illud rectè intelligatur, verum eſt planè. Ad cujus intelligentiam, advertendum eſt, privationem eſſe duplicem. Alia enim eſt, quæ actum ſolùm, ſeu actualem formæ poſſeſſionem dumtaxat tollit; ſic per ignorantiam, ſola ſcientiæ poſſeſſio actualis, aut per noctem vel tenebras actualis poſſeſſio lucis dumtaxat tollitur. Alia eſt privatio, qua non ſolùm actus, verùm etiam potentia ipſa aufertur; talis eſt cæcitas, quæ non tantùm viſionem actualem, ſed etiam videndi potentiam aufert. A priori ergo privatione ad habitum naturaliter regreſſus dari poteſt, non tamen à poſteriori, verbi gratia

tia à cæcitate ad visum reditus habendum.

Dici etiam potest, prædictum axioma illud intelligendum de substantialibus formis, quibus materia prima privatur, per subtractionem dispositionum, quæ ad ipsarum introductionem & conservationem requiruntur: cum enim ipsas quod dispositiones illæ iterum in materiam primam introduci naturaliter nequeant, materia prima, formis illis semel privata, ad eas rursus induendas regredi naturaliter non potest.

Articulus Secundus.

De cæteris Postprædicamentis.

POst opposita, exponit Aristoteles quinque modos, quibus unum prius altero dici potest. Sunt autem quinque. Primus est, quo unum dicitur alio prius tempore, sic Romulus Cæsare prior fuit. Hic autem est communissimus, inquit Philosophus, vel quia est antiquior, vel quia per ipsum, aut per similitudinem cum ipso, cæteri explicantur.

Secundus est, quo unum dicitur alio prius secundum subsistendi consequentiam. Hoc modo illud est prius, cujus subsistentia non convertitur per legitimam consequentiam cum subsistentia alterius; hac ratione prædicata superiora sunt inferioribus priora; sic animal prius homine dici potest. Legitima siquidem consequentia est: *Homo est, ergo animal est*; sed non vice versa. Tertius est, quo unum dicitur ordine prius, nam aliud, quando scilicet unum alteri præmittitur ex natura aut conditione ipsius rei. Sic modo in scientia debent principia conclusionibus præmitti; in Grammatica, syllabis, elementa etiam præmittuntur; in oratione exordium, &c.

Quartus est, quo est præstantior & dignior secundum æstimationem hominum, prior dici-

tur

tur minùs præstanti & honorabili: sic dives prior paupere dici solet: sic amici apud nos priores sunt aliis. Hunc prioritatis modum vocat impropriissimum Aristoteles; aut quia non est usitata loquendi ratio, inquit Simplicius; vel quia, inquit Ammonius, non fundatur in ipsis rebus, sed ex hominum æstimatione & arbitratu maximè pendet.

Illis quatuor modis prioritatis, qui Aristotelis tempore communes erant, ac vulgares, adjicit ipse quintum, quasi à se inventum, quo aliquid dicitur prius alio natura; quando nimirum cum eo reciprocatur subsistendi consequentia, est tamen illius causa: hoc modo se habent dies, & lumen solis; etenim: *Si sol lucet, dies est; & si dies est, sol lucet.* Alii dicunt, illud esse prius natura, quod quidem simul est tempore, seu duratione, cum eo, quod vocatur posterius: attamen istud dependet ab illo, sicut à causa. Adduntque, prioritatem naturæ subdividendam esse in prioritatem *à quo*, & prioritatem *in quo*. Prioritas naturæ *à quo*, est inter ea, quæ sunt simul duratione, & præterea mutuò à se dependent in diverso genere causæ, unumque sine alio intelligi nequit; unde inter illa est prioritas & posterioritas mutua, secundùm genus diversum causæ: talis est inter materiam primam, & formam substantialem: mutuò enim materia prima, in genere causæ formalis, pendet à substantiali forma; & forma substantialis, in genere causæ materialis, dependet à materia prima: insuper materia prima, & substantialis forma, prout se se causant, & ad invicem referuntur, sunt simul & duratione, & cognitione, adeò ut cognita una, cognoscatur aut intelligatur & altera. Prioritas verò naturæ *in quo*, est inter ea, quorum unum dependet ab altero, sed non vicissim. Quod pendet ab alio, dicitur posterius; id autem, à quo dependet, prius est: hujusmodi sunt *rationale*, & *risibile*; risibile quippè pendet quidem à *ratio-*

nale-

tionali, ex quo emanat; sed è converso, *rationale* non dependet à *risibili*; ideòque *rationale* prius est *risibili* prioritate *in quo*: sicque nominatur ista prioritas, quoniam, inquiunt præfati authores, est aliquod instans, non quidem temporis, sed naturæ, seu rationis ratiocinatæ, in quo concipitur quod prius est, sine alio, saltem explicitè apprehenso.

Quinque igitur sunt modi prioritatis, videlicet prioritas temporis, prioritas secundùm subsistendi consequentiam, prioritas ordinis, prioritas dignitatis, & prioritas naturæ seu causalitatis. Totidemque sunt posterioritatis modi illis oppositi; *prius* enim, & *posterius*, sunt correlativa; & idcircò totidem modis dicitur unum, quot aliud.

Plures Theologi addunt alium prioritatis modum, quem vocant *prioritatem originis*, qua Pater in divinis dicitur prior Filio, & uterque prior Spiritu sancto; eo quòd Pater est Filii origo, & Spiritus sanctus à Patre & Filio velut ab origine procedit. Hæc autem prioritas non est *in quo*, sed *à quo* tantùm; quoniam secundùm illam persona divina, quæ dicitur prior, est quidem principium, à quo altera procedit; at nullum instans est, etiam naturæ, aut rationis ratiocinatæ, in quo una persona divina sit sine altera. Attamen, quia ex Simbolo D. Athanasii, in Trinitate divinarum personarum nihil prius est, aut posterius; alii nullam inter personas divinas prioritatem ponunt, quia malè sonat; sed ordinem originis dumtaxat admittunt, quatenus Filius originem ducit à Patre, sicut & Spiritus Sanctus à Patre & Filio; absque ulla tamen dependentia, quam prioritas & posterioritas naturæ aut causalitatis important.

D. Thomas sæpè meminit alterius modi prioritatis, quam vocat *prioritatem generationis*. Ea verò dicuntur priora generatione, quæ priùs generantur, seu fiunt. Sic puer viro est ordine genera-

tio-

tionis prior. Et quia communiter naturalis generatio ab imperfecto ad perfectum procedit, ideò perfectiora sunt ordine generationis ut plurimùm posteriora; & quæ imperfecta sunt, eodem ordine priora.

Post explicata duo priora post prædicamenta, quæ sunt *oppositio*, & *prioritas*; sequitur tertium exponendum, quod est *simultas*, quæ totuplex assignari potest, quotuplex est prioritas. Prima est simultas temporis; & est inter ea, quæ simul producuntur, aut existunt; hujusmodi debent censeri duo homines eodem tempore nati; item sol & lux, cùm enim sol à luce separari nequeat, simul existant necesse est. Secunda est simultas consequentiæ; estque inter ea, quæ per rectam consequentiam se mutuò inferunt: ejusmodi sunt *rationale*, & *risibile*; legitima enim est hæc consequentia mutua: *Est rationale; ergo est risibile*: *Est risibile; ergo est rationale*. Tertia est simultas ordinis, quæ est inter illa, quæ inter se sic ordinantur, ut unum ex natura aut conditione sua non præponatur alteri: hoc modo simul sunt duæ species, quæ immediatè sub eodem genere colloçantur, ut homo, & brutum, sub animali.

Quarta est simultas dignitatis, quæ est inter pares secundùm dignitatem: tales sunt duo imperatores, duo reges, duo protopræsides, duo senatores, &c. Quinta est simultas naturæ, qua simul dicuntur ea, à quorum uno ad aliud mutua est subsistendi consequentia, adeò ut se mutuò ponant, & destruant: hinc relativa dicuntur simul natura, nam in primis posito uno relativo, ponitur & aliud; & uno sublato, aliud auferatur necesse est: sic, v.g. posito, aut sublato filio, pater necessariò ponitur, aut tollitur. Et præterea relativa habent aliud, quod ad naturæ simultatem requiritur; nempè unum relativum formaliter ut tale, non est causa alterius; sic pater formaliter ut pater, respicit quidem filium, sed ipsum non causat: ut alibi dictum est.

Addi

Addi potest simultas cognitionis & definitionis, quæ inter ea reperitur, quorum unum nequit cognosci aut definiri, nisi per ordinem ad aliud, & vicissim. Hoc modo sunt simul relativa mutua; ut alibi explicatum est. Demùm occurrit simultas divisionis, cujus mentionem facit Aristoteles hic cap. 12. alii eam vocant simultatem in natura communi. Hac simultate dicuntur esse simul differentiæ, quæ naturam communem æquè immediatè dividunt contrahuntque; sic simul sunt *rationale*, & *irrationale*, quibus animal *æquè* immediatè dividitur atque contrahitur: *rationale* verò, & *volatile*, hoc modo non sunt simul; quoniam *volatile* non dividit nec contrahit *animal* immediatè, sed mediatè tantùm, nimirum mediante *irrationali*, quod supponit, & sub quo continetur.

Quartum post prædicamentum est motus, de quo agit Philosophus hìc cap. 13. & nos fusè in Physica. Est autem motus, prout hic usurpatur, via aut tendentia mobilis, ab uno termino ad alium terminum, v. g. ab uno loco ad alium locum. Prior dicitur terminus *à quo*, posterior verò vocatur terminus *ad quem*. Sex species autem motus, seu sex membra motum in communi dividentia, hìc ab Aristotele enumerantur: nempè *generatio*, & *corruptio*, quibus res generabilis & corruptibilis à *non esse* ad *esse*, vel ab *esse* ad *non esse*, tendit & movetur. *Augmentatio*, & *diminutio*, quibus res quanta à minori quantitate ad majorem, vel à majori ad minorem, movetur. *Alteratio*, qua subjectum ab una qualitate ad aliam tendit. Et *motus localis*, seu ab uno loco ad alium locum transitus. De singulis verò motibus istis exactiùs in Physica dicetur.

Quintum, & ultimum postprædicamentum, est modus habendi. Philosophus verò hìc cap. 14. septem tradit modos, quibus una res aliam habere dicitur. Primus est habere qualitatem, v. g. virtutem. Secundus est habere quantitatem, ut

tres

tres ulnas. Tertius est habere ea, qua
stant, ut vestes. Quartus est habere partes con
stituentes, v. g. manum, caput, &c. aut habe
re in parte, v. g. annulum in manu. Quintus est
habere aliquid per modũ vasis, ut aquam situla.
Sextus est habere secundùm possessionem, ut
habere agrum. Septimus est habere uxorem.
Hos & alios plures habendi modos reducit ad
quatuor Soto hic ex eodem Aristotele, lib. 5.
Metaph. text. 28. Primus est, quo una res dici-
tur habere aliam, quam ad suam dispositionem
aut conditionem trahit; sic febris dicitur habere
infirmum, tyrannus civitatem, & vitium ho-
minem vitiosum. Secundus est, quo una res
aliam habet, sicut subjectum habet formam; sic
substantia est habens quantitatem, qualita-
tem, cæteraque accidentales formas. Tertius
est, quo una res dici potest habere aliam, sicut
continens habet contentum, ut dolium vinum.
Quartus demùm est, quo una res per violentiam
tenet aliam, ne suo motu naturali moveatur.
Hoc modo columna sustentans saxum ingens, te-
net impeditque ipsum, ne naturali pondere de-
orsum moveatur. Quibus ex Arist. hic, addi
potest modus habendi per relationem; quo mo-
do unum correlativum habet alterum, ut pa
ter filium. Huncque habendi modum Philoso
phus appellat remotissimum & imperfecti
mum; quoniam cùm totum esse correlativ
ad alterum se habere, potiùs ipsum ab a
habetur, quàm illud habeat. Et hæc d
ma parte Logicæ dixisse sufficiat.

X communi Philo-
na, proprius Logicæ fi-
tellectum dirigere, ut rectè, fi-
rore, & scientificè operetur. Post-
quam igitur in prima parte Logicæ
versalibus, & prædicamentis, fusè disputa-
sit, eo-quòd terminis simplicibus expriman-
sticque pertineant ad directionem primæ
ntis operationis, quæ *simplex apprensio* nun-cu-
atur: deinde sequitur differendum de propo-si-
tione, in qua prædicatum de subjecto enuncia-
tur, cujus proinde expositio ad dirigendam se-
cundam mentis operationem idonea est; hæc
quippe operatio dicitur *judicium*, quo nimirum
intellectus, judicando, prædicatum affirmat,
vel negat, de subjecto. Hic autem liber inscri-
bitur ab Aristotele, *Perihermenias*, græcè; la-
tinè verò, De *interpretatione*. Licèt autem vox
quælibet simplex, possit dici mentis interpres,
quatenus latentes conceptus ejus evulgat; po-
tiùs tamen videtur esse interpretationis princi-
pium; utrectè ait D. Thomas hìc: quia ille dun-
taxat propriè interpretari videtur, qui exponit
veritatem aut falsitatem in re aliqua latentem;
veritas autem, & falsitas, propriè in sola pro-
positione inveniuntur; quæ subinde sola mentis
interpretatio propriè vocari potest, cujus prin-
cipia, aut partes, sunt simplices voces.

QUÆ-

LO-

QUÆSTIO UNICA.

De propositione.

PLura circa propositionem quæri possunt; nempè quid, & quotuplex sit propositio, & quæ ejus proprietates; sed de his abundè in institutionibus Logicis dictum est. Unde duo hic inquirenda supersunt. Primò, an propositio mentalis sit simplex qualitas? Secundò, utrum propositiones contradictoriæ de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut falsæ? Propositio nonnumquam *compositio* & interdum *divisio*, nuncupatur. *Compositio* quidem, si sit affirmativa; & *divisio*, si sit negativa. In priori enim, prædicatum per affirmationem cum subjecto conjungitur, cum quo proinde compositionem facit. In posteriori verò, prædicatum à subjecto per negationem, intra mentem, dividitur, & veluti separatur.

Articulus Primus.

Sit-ne propositio mentalis, simplex qualitas?

TRiplex est propositio, mentalis nempè, vocalis, & scripta. Prior est, quæ in mente formatur. Vocalis est, quæ voce profertur. Scripta tamdem est, quæ scripturæ traditur. Constat verò, & in dubium non vertitur, propositiones scriptas ex litteris, & vocales ex partialibus vocibus, esse compositas. Tota igitur controversia ad propositionem mentalem devolvitur.

Tria etiam propositionum mentalium genera sunt distinguenda. Propositio siquidem mentalis, alia est activa seu formalis, quæ est ipsa mentis actio, & veluti sententia, qua intellectus, prædicatum inesse subjecto, vel ipsi repugnare, judi-

judicat, ſoletque *judicium* nominari; alia eſt repræſentativa, eſtque ſpecies aut imago quædam intra mentem expreſſa & exiſtens, & per judicium efformata, quæ unionem prædicati cum ſubjecto repræſentat menti, actu unum de alio enuncianti. Hæc propoſitio nonnumquam *verbum mentis* appellatur, quoniam intellectus in ſpecie expreſſa, unionem prædicati cum ſubjecto repræſentante, quaſi loquitur ſibi, dum ſibi latentem conceptum objectivum, id eſt, objectum, quod latebat, manifeſtat. Vocatur etiam *dictio mentis*, ob eamdem rationem, quia videlicet in illa, mens interiùs dicit aut loquitur, de ſubjecto prædicatum enunciando.

Propoſitio mentalis rurſus, alia eſt objectiva, eſtque objectum mentis, ſeu res, quæ objicitur menti, de qua intellectus prædicatum enunciat, & in qua ſubjectum & prędicatum conjunguntur. Additur, propoſitionem mentalem poſſe iterum dividi in apprehenſivam, & judicativam. Prior eſt, quando ſubjectum, prædicatum, & copulam, ſimul, ad modum unius aggregati, apprehendimus, ſuſpendendo judicium; quod præſertim contingit, cùm res nobis incerta eſt. Poſterior autem dicitur illa, qua determinatum prædicatum, judicando, determinato ſubjecto per affirmationem attribuimus, aut ab eo per negationem removemus. Compoſitam eſſe propoſitionem objectivam, ſicut & apprehenſivam, manifeſtum eſt, cùm in ea ſubjectum & prædicatum, ac copula, ad conſtituendum unum aggregatum, proindèque unum compoſitum, ſimul conjungantur. Tota igitur controverſia eſt, utrum propoſitio formalis, aut judicativa, vel etiam repræſentativa, ſimili modo componatur; an verò ſit ſimplex qualitas?

§. I.

§. I.

Sententiæ referuntur, & quæ vera sit, declaratur.

DUæ sunt Philosophorum circa hanc difficultatem sententiæ. Prima asserit, utramque propositionem esse ex subjecto, & prædicato, per copulam unitis, compositam. Ita docent Vasquez, Ruvius, & alii. Altera sententia docet, utramque propositionem esse simplicem qualitatem. Hanc sententiam tuentur Ferrariensis, Sotus, Blasius à Conceptione, & alii Thomistæ communiter; quibus consentiunt Durandus, Toletus, aliique non pauci. Pro ista secunda sententia.

Dico 1. mentalis propositio formalis & judicativa, est unica & simplex qualitas.

Prob. 1. mentalis propositio formalis & judicativa, est judicium, quo intellectus, prædicatum inesse subjecto, vel ipsi repugnare, judicat; ut ex dictis liquet: atqui judicium illud est unica & simplex qualitas: ergo &c. Prob. min. in primis ex Aristotele 9. Metap. textu ultimo, ubi ait, dictionem, (seu judicium mentis) esse *simplicium*; id est, singulas dictiones, seu singula judicia mentis, esse actus simplices, ad objecta simplicia terminatos. Deinde, Boetius hic, c. 4. judicium affirmativum vocat *nutum*, & negativum *abnutum*: nutus verò, & abnutus, actus simplices significant. Rursus D. Thomas 1.2. q. 17. art. 6. affirmativum judicium appellat *assensum*, & judicium negativum vocat *dissensum*: assensus autem & dissensus, simplices actus sonant. Idem S. Doctor 1. p. q. 58. a. 2. ait, intellectum nostrum simul, & per unum simplicem actum, intelligere subjectum & prædicatum, prout sunt partes unius propositionis: actus autem ille est judicium; ut patet.

Prob.

Prob. 2. & ampliùs explicatur : ille actus eſt unus & ſimplex, ſeu una & ſimplex qualitas, cujus objectum formale ac ſpecificativum, eſt unum & ſimplex; quilibet enim actus, maximè ſuo objecto formali ac ſpecificativo proportionatur: atqui objectum formale ac ſpecificativum unius judicii mentalis, prædicatum de ſubjecto enunciantis, eſt unum & ſimplex: ergo &c. Prob. min. objectum formale ac ſpecificativum judicii mentalis, prædicatum de ſubjecto enunciantis, eſt unio prædicati cum ſubjecto, quæ fit per copulam: atqui unio iſta eſt aliquid unum & ſimplex: ergo &c. Ma. in primis ſuadetur. Etenim objectum formale ac ſpecificativum alicujus actus, eſt id, quod ratione ſui ab ea attingitur, & ratione cujus cætera attingit; prout communiter docent & exponunt Philoſophi: unio autem prædicati cum ſubjecto, ratione ſui attingitur à judicio, & ratione ejus attingit prædicatum ac ſubjectum; intantùm enim prædicatum & ſubjectum per judicium à mente attinguntur, inquantùm per copulam uniuntur. Min. etiam facilè declaratur. Res, quæ una & ſimplici voce exprimitur, una & ſimplex cenſenda eſt: unio autem prædicati cum ſubjecto, una & ſimplici voce, nempe iſta, *eſt*, ſignificatur; ut patet in hac propoſitione: *Homo eſt animal*. Sanè ſi una vox ſimplex materialis, *eſt*, unionem prædicati cum ſubjecto, & ita prædicatum & ſubjectum, ut unita, ac proinde totam propoſitionem deſignare poteſt; quare, unum & ſimplex judicium intellectus, quod immateriale, & ita præſtantius eſt, non poterit totum hoc attingere?

Prob. 3. ſi mentalis propoſitio formalis aut judicativa non eſſet unica & ſimplex qualitas, aut unicus ac ſimplex conceptus formalis, ſed ex pluribus qualitatibus vel cõceptibus partialibus componeretur; eſſet maximè, quia multa & diverſa, nempè ſubjectum, prædicatum, & copulam, attingit: atqui hæc ratio nulla eſt:

ergo &c. Ma. continet præcipuum Adverſariorum fundamentum. Prob. verò min. ad attingenda plura & diverſa per modum unius, unicus & ſimplex ſufficit actus; ſic v. g. unica & ſimplex viſio, hominem, arborem, & canem, ad modum unius objecti adæquati, prout uniuntur & conveniunt in colore viſibili, ſimul percipere poteſt: mentalis verò propoſitio formalis, vel judicativa, judicium nempè, attingit ſubjectum, prædicatum, & copulam, per modum unius; quatenus percipit ſubjectum, & prædicatum, prout per copulam uniuntur; ut ſuprà dictum eſt. Sanè plus poteſt, quod eſt ſuperioris ordinis, quàm quod inferioris ordinis eſt: ſi ergo unicus & ſimplex viſionis corporeæ actus poteſt hominem, arborem, & canem, prout illa in colore viſibili uniuntur, ſimul percipere; à fortiori unicum & ſimplex judicium mentis, quod ordinis incorporei, & ita ſuperioris eſt, ſubjectum & prædicatum, ut unita per copulam, ſimul attingere poteſt.

Dico 2. mentalis propoſitio repræſentativa eſt unica & ſimplex qualitas.

Prob. 1. mentalis propoſitio repræſentativa, eſt ſpecies intra mentem expreſſa, unionem prædicati cum ſubjecto repræſentans; ut ex dictis liquet: atqui ſpecies illa eſt unica & ſimplex qualitas: ergo &c. Prob. min. ex D. Thoma, qui 1. contra Gentes cap. 55. ſic. ait: *Intellectus ſecundùm unam ſpeciem totius, comprehendit omnes partes propoſitionis*. Quibus verbis clarè docet, ſpeciem ab intellectu efformatam aut expreſſam, qua omnes propoſitionis partes, ideſt ſubjectum, prædicatum, & copula utrumque uniens, repræſentantur & comprehenduntur, aut intelliguntur, eſſe unicam & ſimplicem. Ratio etiam id ſuadet. Nam ſpecies expreſſa proportionatur objecto formali & primario, quod repræſentat; ac proinde, ſi objectum iſtud ſit unicum & ſimplex, etiam ipſa ſit unica

&

& ſimplex, neceſſe eſt ; objectum verò formale & primarium ſpeciei expreſſæ, unionem prædicati cum ſubjecto repræſentantis, eſt ejuſmodi unio, (ut patet ex ipſis terminis) quæ eſt aliquid unum & ſimplex ; ut oſtenſum eſt ſuprà.

Prob. 2. & ampliùs confirmatur atque explicatur: ad plura per modum unius repræſentanda, unica ſimplexque ſpecies ſufficit; ſic in potentia viſiva, ſenſibilis ſpecies unica & ſimplex, hominem, arborem, canem, &c. ad modum unius objecti adæquati, prout illa in viſibili colore uniuntur, ſimul repræſentat: propoſitio autem mentalis repræſentativa, eſt ſpecies plura quidem, nempè ſubjectum, & prædicatum, ſed per modum unius, ſive ut unita per copulam, ſimul repræſentans, ut ex dictis patet. Sanè ſi una & ſimplex ſpecies ſenſibilis, & ita inferioris ordinis, plura ad modum unius, ſimul repræſentat ſenſui; cur una & ſimplex ſpecies inſenſibilis aut immaterialis, & ita ſuperioris ordinis, qualis eſt una mentalis propoſitio repræſentativa, non poterit plura, nimirum, ſubjectum, prædicatum, & copulam, per modum unius ſimul menti repræſentare?

Prob. 3. ratione, quam inſinuat Angelicus Doctor 1. p. q. 58. a. 2. Species per unicum & ſimplicem actum efformata, unica & ſimplex eſt ; actus quippè efformans, & terminus efformatus, proportionentur neceſſe eſt: atqui mentalis propoſitio repræſentativa, per unicum ac ſimplicem actum efformatur: ergo &c. Min. colligitur ex dictis; ut enim dictum eſt, mentalis propoſitio repræſentativa, eſt ſpecies intra mentem expreſſa, unionem prædicati cum ſubjecto repræſentans; ſpecies verò iſta per nullum alium intellectus actum efformari poteſt, niſi per judicium, quo prædicatum unitur ſubjecto, de ipſoque enunciatur: judicium autem mentis eſſe unicum ac ſimplicem actum, ſuperiùs oſtenſum eſt.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. contra 1. concl. Arist. cap. 1. Tract. tus de interpret. & alibi sæpè, secundam mentis operationem, seu judicium, vocat *compositionem*, aut *divisionem*; & expressè libro 3. de anima cap. 6. initio, sic habet: *In quibus verò falsitas & veritas inest, in hisce compositio quædam est conceptuum intellectus; quasi ipsi sint unum:* & Textu sequenti 22. in fine: *Id verò*, inquit, *quod singulos dictos conceptus componit, unumque facit, ipse est intellectus.* Præterea cap. 1. lib. 1. Priorum definit terminum, *esse id, in quod resolvitur propositio, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur*: ergo sentit, propositionem ex terminis, v. g. ex prædicato, & subjecto, esse compositam.

Respondeo ad primum locum, cum distinctione; dico enim, secundam mentis operationem, seu judicium, ab Aristotele vocari *compositionem*, aut *divisionem*, objectivè materialiter, seu ex parte objecti materialis, quatenus versatur circa objectum materiale, in quo subjectum & prædicatum, vel per affirmationem componuntur, seu conjunguntur, vel per negationem dividuntur, seu separantur: at non formaliter, quasi judicium formaliter in se, plura includat, quæ vel simul componantur, vel ab invicem dividantur.

Ad 2. locum, pari modo respondeo: *In quibus verò falsitas & veritas inest*, (hoc est, in secundis operationibus mentis, quæ, aut falsæ, aut veræ sunt) *in hisce compositio objectiva quedam est conceptuum intellectus*, &c. concedo: *in hisce compositio* formalis *quædam est conceptuum intellectus*, &c. nego.

Ad 3. locum, eodem modo respondeo: *Id verò*,

rò quod singulos dictos conceptus objectivos componit &c. concedo: *id verò, quod singulos dictos conceptus* formales *componit &c.* nego.

Ad 4. locum eadem est responsio; concedendum enim est, terminum esse id, in quod resolvitur propositio objectiva; sed negandum est, terminum esse id, in quod formalis propositio resolvitur.

Objic. 2. D. Thomas 1. contra Gentes cap. 58. ratione 5. admittit compositionem existentem in intellectu: ergo ex mente D. Thomæ propositio intellectualis seu mentalis, quæ existit in intellectu, est composita.

Respondeo ex doctrina tradita, distinguendo consequens: ergo ex mente D. Thomæ, objectiva propositio mentalis est composita, concedo: ergo ex mente D. Thomæ, formalis propositio mentalis est composita, nego.

Inst. S. Doctor 1. p. q. 58. art. 4. ad primum sic ait: *Non qualiscumque multitudo intellectuum* (sive conceptuum) *compositionem causat; sed multitudo illorum, quorum unus attribuitur alteri, vel removetur ab altero.* Quibus verbis apertè asserit D. Thomas, propositionem intellectualem aut mentalem esse compositam ex multis intellectibus, aut conceptibus, quorum unus per affirmationem attribuitur alteri, vel ab altero per negationem removetur.

Respondeo, Sanctum Doctorem loqui de intellectuali aut mentali propositione, in qua intellectus, seu mens, affirmans, vel negans, per actionem suam, attribuit unum alteri, vel unum ab alio removet; ut ex ipsis terminis patet: hæc autem est propositio objectiva, quæ est objectum propositionis formalis, sive actionis intellectus, unum de alio, nempè prædicatum de subjecto, affirmantis vel negantis.

Objic. 3. & ampliùs inst. Angelicus Doctor 1. p. q. 85. art. 5. in argumento, *sed contra*, sic tatur: *Sed contra, voces significant conceptiones*

intellectus; ut dicit Philosophus in 1. Periher. sed in vocibus est compositio & divisio; ut patet in propositionibus affirmativis & negativis: ergo intellectus componit & dividit.

Respondeo 1. D. Thomam velle tantùm, intellectum nostrum componere & dividere, non ex parte propositionis judicativæ & formalis, sed duntaxat ex parte propositionis apprehensivæ aut objectivæ. Vel si Sanctus Doctor loquatur de propositione judicativa, & formali, distinguendum est; & concedendum, intellectum componere & dividere, non formaliter, sed æquivalenter; ita ut quamvis propositio judicativa & formalis, formaliter in se nec componatur, nec dividatur; æquivalet tamen propositioni vocali, quæ secundùm diversas voces, formaliter componitur, aut dividitur.

Inst. D. Thomas docere ibi videtur, propositionem mentalem eodem modo esse compositam quo composita est vocalis propositio: ergo si hæc formaliter componitur, etiam formaliter illa componatur necesse est.

Respondeo 1. distinguendo ant. D. Thomas docere ibi videtur, objectivam propositionem mentalem eodem modo, &c. concedo: D. Thomas docere ibi videtur, formalem propositionem mentalem eodem modo, &c. nego.

Respondeo 2. distinguendo iterum ant. D. Thomas docere ibi videtur, propositionem mentalem eodem modo æquivalenter esse compositam, quo &c. concedo: docere ibi videtur, propositionem mentalem eodem modo formaliter esse compositam, quo, &c. nego; saltem si loquamur de mentali propositione formali.

Inst. rursus: vocalis propositio est signum mentalis propositionis formalis; ut enim ait Philosophus cap. 1. lib. 1. de interpretatione, voces sunt signa conceptuum intellectus seu mentis: ergo sicut vocalis propositio est formaliter composita, ita & mentalis propositio formalis.

Res-

Reſpondeo diſtinguendo ant. vocalis propoſitio, in ordine inferiori, eſt ſignum, &c. concedo: vocalis propoſitio, in eodem ordine, eſt ſignum, &c. nego: etenim propoſitio vocalis eſt in ordine materiali, & mentalis propoſitio formalis eſt in ordine immateriali, ita ut prior materialis ſit ac corporea, & poſterior immaterialis ac Incorporea; ex communi autem axiomate: *Quæ dividuntur in inferioribus, in ſuperioribus uniuntur:* & ideò licèt propoſitio vocalis & inferior in partes dividatur, adeò ut ex eis componatur; propoſitio tamen mentalis, formalis ac ſuperior, ſit una, ſimplex, ac indiviſibilis qualitas neceſſe eſt.

Urgeb. eodem ordine, quo voces ore proferimus, eodem formamus concepus in mente: ergo ſicut propoſitio vocalis ex pluribus vocibus partialibus conſtat, ita etiam mentalis propoſitio ex multis partialibus conceptibus componitur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. eodem ordine, quos voces ore proferimus, eodem formamus conceptus objectivos in mente, concedo: eodem formamus conceptus formales in mẽte, ſubdiſtinguo: formamus æquivalenter, concedo; licèt enim formalis conceptus mentis correſpondens pluribus vocibus ore prolatis, ex quibus conſtat propoſitio vocalis, ſit in ſe unicus & ſimplex formaliter; quia tamen eſt ſuperioris & eminentioris ordinis, eminenter æquivalet vocibus multis, ſicque æquivalenter & eminenter multiplex dici poteſt: formamus formaliter, adeò ut fiant in mente noſtra partiales conceptus formales, inter ſe formaliter ſeu realiter diſtincti, ex quibus formalis propoſitio mentalis cõponatur, nego: undè conſequentia etiam neganda eſt.

Dices 1. dum intellectus formalem iſtam propoſitionem format: *Homo non eſt lapis:* duo, nimirum *homo*, & *lapis*, occurrunt concipienda: ergo duo ſaltem conceptus formales tunc formantur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. dum intellectus, &c. duo ut unita per copulam negantem, & ita duo per modum unius, occurrunt concipienda, concedo: duo ut duo, ſive duo ut plura, occurrunt concipienda, nego ant. & conſeq. etenim, ut ſuprà dictum eſt, ad attingenda multa ad modum unius, unicus & ſimplex ſufficit actus.

Dices 2. mentalis propoſitio objectiva eſt compoſita; ut ex dictis patet: ergo & formalis. Conſeq. ex eo ſuadetur, quòd formalis propoſitio vera, debet objectivæ proportionari.

Reſpondeo conceſſo ant. nego conſequentiam: licèt enim mentalis propoſitio formalis vera debeat objectivæ proportionari proportione conformitatis, ita ut debeat attingere propoſitionem objectivam, ſive objectum, prout in ſe eſt: attamen non eſt neceſſè, ut propoſitio formalis proportionetur objectivæ proportione entitatis; adeò ut, quemadmodùm entitas propoſitionis objectivæ compoſita eſt, ita & entitas propoſitionis formalis ſit compoſita.

§. III.

Aliæ objectiones ſolvuntur.

OBjic. 4. Syllogiſmus formalis non eſt ſimplex qualitas, ſed eſt aliquid ex conceptibus majoris, minoris, & conſequentiæ, compoſitum: ergo pariter propoſitio formalis dici ſimplex qualitas nequit, ſed potiùs eſt aliquid ex conceptibus prædicati, & ſubjecti aggregatum. Ant. eſt evidens: conſeq. verò ſuadetur ex D. Thoma 1. p. q. 58. ubi ait, quòd ſicut in intellectu per ſyllogiſmum ratiocinante, ſe habet concluſio (aut conſequentia) ad principia (ſive ad majorem, & minorem) ita in intellectu per propoſitionem formalem componente aut dividente, ſe habet prædicatum ad ſubjectum.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem.

tem. Diſparitas eſt, quòd ſyllogiſmus formalis, ſeu diſcurſus ſyllogiſticus, eſt motus quidam intellectualis à principiis, ſeu à præmiſſis, nimirum à majori, & minori, ad conſequentiam, aut concluſionem; motus autem ex parte priori, & poſteriori, componitur: at formalis propoſitio, non eſt motus ipſe, ſed terminus motus. Primò etenim intellectus noſter, in prima operatione ſua, movendo ſe, inquirit prædicatum, & ſubjectum, ipſaque apprehendit. Deinde in fine aut termino hujus motus, per ſecundam operationem ſuam, ſcilicet per judicium ſimplex, affirmat vel negat prædicatum de ſubjecto; ſeu judicat, prædicatum convenire, aut diſconvenire ſubjecto. Ad probationem conſeq. Reſpondeo cum diſtinctione: concedo enim, quòd ſicut in intellectu, &c. ita quoad aliquid, &c. ſicut etenim conſeq. aut concluſio unitur principiis (ſive majori, & minori) per illationis notam; ita prædicatum jungitur ſubjecto per copulam: ſed nego, quòd ſicut in intellectu, &c. ita quoad omnia, in intellectu per propoſitionem formalem componente aut dividente, ſe habeat prædicatum ad ſubjectum: nam concluſio ſive conſeq. unitur minori ac majori; & minor, ac major, uniuntur concluſioni per diverſos actus, quorum unus ſequitur ad alterum, unuſque ex alio infertur; unde ex illis actibus diverſis, ſic unitis, propriè dicta conſurgit compoſitio, ſive formalis ſyllogiſmus propriè compoſitus: at prædicatum jungitur ſubjecto per unicum judicii actum, qui ſolet dici *propoſitio formalis*. Inſt. ideò ſyllogiſmus formalis componitur ex pluribus conceptibus ſucceſſivè ſe habētibus, quia noſter intellectus in illo ſucceſſivè ſuam perfectionem acquirit: atqui noſter intellectus in propoſitione formali, ſive in ſecunda operatione ſua, ſucceſſivè ſuam obtinet perfectionem; ut inſinuant Ariſtoteles lib. 12. Metaph. textu 52. & D. Thomas 1. p. q. 85. a. 5. ergo &c.

intèdo: quia noſter intellectus terminativè in illo ſucceſſivè, &c. formaliter in illo ſucceſſivè, &c. min. atqui noſter intellectus in propoſitione formali, &c. ſucceſſivè, terminativè, ſuam obtinet perfectionem, concedo: ſucceſſivè, formaliter, ſuam obtinet perfectionem, nego. Itaque intellectus noſter alio modo in formali ſyllogiſmo, & modo alio in propoſitione formali, ſe habet. In priori quippè ſuam perfectionem ita ſucceſſivè comparat, ut tota ſucceſſio, ſeu totus motus intellectualis, pertineat ad formalem aut eſſentialem conſtitutionem ſyllogiſmi formalis: at intellectus noſter in propoſitione formali ſic perfectionem ſuam ſucceſſivè aſſequitur, ut propoſitio illa ſit duntaxat terminus motus intellectualis; ut ex dictis liquet. Et juxta hanc diſtinctionem & doctrinam, exponendi ſunt Ariſt. & D. Thomas locis citatis.

Inſtabis iterum: totus ſyllogiſmus formalis ſe habet ad modum unius, & tamen non eſt una & ſimplex qualitas; ut dictum eſt ſuprà: ergo pariter, quamvis formalis propoſitio per modum unius ſe habeat; propterèà tamen non eſt dicenda una ſimplex qualitas.

Reſpondeo negando conſeq. & paritatem: etenim totus ſyllogiſmus formalis, eſt aliquid unum unitate ordinis duntaxat, quatenus componitur ex pluribus actibus, aut conceptibus, (nempè maj. min. & concl.) ordinatè ſe habentibus: at una propoſitio mentalis formalis eſt aliquid unum unitate ſimplicitatis, ita ut ſit unum ſimplex judicium mentis, & ita una ſimplex qualitas.

Objic. 5. ex doctrina, quam tradit Div. Thomas 1. p. q. 58. art. 3. & 4. in hoc differunt homo & Angelus, quòd iſte judicet, prædicatum convenire aut diſconvenire ſubjecto, abſque compoſitione aut diviſione: homo autem hoc judicet, com-

componendo, aut dividendo: ergo judicativa propositio in homine composita est, non verò simplex qualitas.

Respondeo ex Angelico Doctore, loco citato, distinguendo ant. in hoc differunt, &c. homo autem hoc judicet præsuppositivè componendo, vel dividendo, concedo: homo autem hoc judicet formaliter componendo, vel dividendo, nego: hoc igitur discrimen intercedit inter modum intelligendi Angelorum, & modum intelligendi hominum, quòd antequam homo judicet, prædicatum aliquod inesse alicui subjecto, vel ei repugnare; debet in primis apprehendere subjectum & prædicatum, & conjungendo applicando prædicatum subjecto, examinare an prædicatum conveniat, vel disconveniat, subjecto; in qua propositione apprehensiva; vel compositio, si prædicatum conveniat subjecto, vel divisio, si prædicatum subjecto disconveniat. Angelus verò, ob lumen intellectuale [illegible]ius, & excellentius, uno & eodem actu apprehendit prædicatum ac subjectum, & simul judicat an prædicatum conveniat, vel disconveniat subjecto. Undè homo judicat quidem componendo, aut dividendo præsuppositivè; at Angelus judicat per unicum actum aut intuitum, [illegible]elligendo, ita ut nec etiam præsuppositivè componat, aut dividat.

[illegible] in homine judicium foret unicus & simplicius, homo judicaret per unicum & simplicem actum: atqui homo non judicat per unicum simplicem actum; Angelorum quippe hoc [illegible]est, ex communi Thomistarum doctrina [illegible]uendi modo: ergo &c.

[illegible]leo distinguendo ma. si in homine, &c. [illegible]aret formaliter per unicum & simplicem, concedo: homo tam formaliter, [illegible]uppositivè, judicaret per unicum [illegible]n actum, nego: licèt enim judicium [illegible]mine formaliter & in se sit unicus &

ſimplex actus, aut conceptus; præſupponit tamen propoſitionem apprehenſivam, quæ eſt totalis conceptus ex partialibus ſubjecti & prædicati conceptibus compoſitus. Quamvis verò judicare, & formaliter, & præſuppoſitivè, per unicum & ſimplicem actum, proprium ſit Angelorum, in quibus judicium ita eſt unus & ſimplex actus, ut nullum actum, nullumque conceptum in ſe compoſitum, in intellectu Angelico præſupponat: attamen judicare per actum formaliter quidem in ſe unicum ac ſimplicem, præſuppoſitivè tamen compoſitum, modo explicato, eſt connaturalis modus judicandi hominis.

Objic. 6. ſi formalis propoſitio mentis eſſet unus ſimplex conceptus, nec verum, nec falſum ſignificaret: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Min. eſt certa; etenim Peripatetici definiunt communiter propoſitionem, cum Ariſtotele: *Orationem verum, vel falſum ſignificantem*. Prob. autem ma. Ariſt. 1. de interpret. cap. 1. ſimplicem conceptum comparat voci ſimplici; vox verò ſimplex, v. g. *homo*, ſi nihil addatur, nec verum, nec falſum ſignificat.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi formalis, &c. eſſet unus ſimplex conceptus purè apprehenſivus, nec verum, &c. concedo: ſi formalis, &c. eſſet unus & ſimplex conceptus judicativus, & enunciativus, nec verum, &c. nego: proprium judicii & enunciationis, prout à ſimplici apprehenſione diſtinguitur, enim eſt, verum aut falſum ſignificare: formalis autem propoſitio mentis eſt quidem unus & ſimplex conceptus; at non purè apprehenſivus, ſed judicativus & enunciativus. Dum autem Ariſtoteles, loco citato, ſimplicem conceptum comparat voci ſimplici, loquitur de ſimplici conceptu purè apprehenſivo, non autem judicativo & enunciativo.

Dices: ſi propoſitio formalis foret una & ſimplex qualitas, maximè quia attingit ſubjectum & prædicatum per modum unius; atqui, ſaltem

formalis propoſitio negativa non attingit ſubjectum & prædicatum ad modum unius: ergo &c. Maj. ex dictis conſtat. min. verò ex eo ſuadetur, quòd ſubjectum & prædicatum in formali propoſitione negativa non attinguntur ut unita, ſed potiùs ut ſeparata, adeò ut per negationem ab invicem removeantur aut ſeparentur; ut ex dictis liquet.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. quamvis etenim in formali propoſitione negativa, ſubjectum & prædicatum non attingantur ut unita unione convenientiæ; ſed potiùs per diſconvenientiam à ſe mutuò removeantur aut ſeparentur: attamen attinguntur ut unita unione copulæ, ita ut non attingantur, niſi prout per communem copulam uniuntur.

Objic. 7. contra 2. concl. ſi mentalis propoſitio repreſentativa foret una ſimplex qualitas, maximè quia eſt unica ſpecies expreſſa repræſentans totam propoſitionem objectivam; ut ex dictis liquet: atqui mentalis propoſitio repræſentativa, non eſt unica ſpecies, &c. ergo &c. Prob. min. ubi ſunt plures res repræſentatæ, ibi ſunt plures ſpecies repræſentantes: atqui in mentali propoſitione objectiva plures ſunt res repræſentatæ, nimirum ſubjectum, & prædicatum: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. ad cujus probationem diſtinguo maj. ubi ſunt plures res repræſentatæ, ibi, &c. ſi res illæ ſe habeant ut plures, & diverſæ, concedo: ſi ſe habeant ad modum unius, nego; ſubjectum verò & prædicatum propoſitionis per modum unius, à propoſitione repræſentativa, reipſa objectivè repræſentantur; ut ex dictis patet.

Inſt. 1. quæ ſunt primò diverſa, non ſe habent ad modum unius; ut ſatis liquet: atqui ſubjectum & prædicatum hujus propoſitionis: *Subſtantia non eſt quantitas* (ſcilicet *ſubſtantia*, & *quantitas*) ſunt res primò diverſæ, utpotè

ad

ajor. Pars Altera
enta pertinentes: ergo &c.
iendo maj. quæ sunt &c. si
ulam communem, concedo:
niantur, nego: subjectum
ius propositionis: *Substan-*
per copulam communem
i patet.
distant inter se, nequeunt
um unius; ut constat: at-
s: *Albedo non est nigredo*:
atum, nimirum *albedo*, &
ant inter se, eo quòd sint
ontraria: ergo &c.
n doctrina & distinctione:
&c. si per unam & eamdem
ungantur, concedo: si una
uni conjungantur, nego:
dicatum præfatæ propos-
dem copulam communem
do solvitur hæc instantia:
tur, non se habent ut u-
versa: atqui subjectum, &
positionis: *Ens non est non*
non ens, maximè seu con-
r: ergo &c. Distinguenda
maximè &c. si una copula
o: si eadem copula conne-
it in allata propositione;

& eadem species expressa
bjectum & prædicatum
ns non est ens: foret en-
eadem species, seu imago:
rgo &c. Prob. min. imago
im autem *ens*, & *non ens*,
on potest esse eorum una

ndo maj. si una & eadem,
entis, formaliter acceptо-
foret entis, & non entis,

ma-

materialiter sumptorum una &c. nego: sicut autem *ens*, & *non ens*, formaliter spectata, possunt eamdem speciem aut imaginem obtinere, ita & eamdem similitudinem intentionalem seu repræsentativam.

Ad cujus intelligentiam advertendum est, *ens*, & *non ens*, in allata propositione, dupliciter accipi posse: nimirum, vel materialiter, sive in ratione *entis*, & *non entis*; vel formaliter, sive in ratione extremorum, una & eadem communi copula conjunctorum. Priori modo, in nullo conveniunt; ideòque in una & eadem specie, imagine: aut similitudine, simul repræsentari nequeunt. Posteriori autem modo, conveniunt in una & eadem communi copula; & idcirco nihil impedit, ne per unam & eamdem speciem, imaginem, aut similitudinem, expressam ad modum unius unitate copulæ, simul repræsententur.

Urgebis: ex nostra doctrina sequitur, propositionem repræsentativam numquam esse falsam; siquidem propositio falsa debet esse difformis objecto; sicut contra, vera propositio sit conformis objecto, necesse est: atqui si propositio repræsentativa foret species aut imago propositionis objectivæ, numquam esset difformis objecto, seu propositioni objectivæ; debet namque imago semper esse conformis objecto, cujus est imago: ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem concessa maj. nego min. Licèt enim imago vera debeat semper esse conformis objecto; alio tamen modo loquendum est de imagine falsa: hinc falsa Cæsaris imago ipsi difformis est, ut experientia constat.

Articulus Secundus.

Virùm & quomodo propositiones singulares contradictoriæ de futuro contingenti, sint vere, vel falsæ determinatè.

AD hujus celebris difficultatis intelligentiam, notandum est 1. aliquid posse esse, vel præsens, vel præteritum, vel futurum. Primum est, quod *nunc est*. Secundum dicitur, quod *antea fuit*. Tertium tandem dicimus, quod *aliquando erit*. Futurum verò dividi potest in absolutum, & conditionatum. Quod priori modo est futurum, sic nominatur, quoniam absolutè erit, independenter à conditione non futura; si tamen conditio sit absolutè futura, futurum quoque ab ea dependens, est propriè absolutum; hinc divini Verbi Incarnatio ab æterno erat absolutè futura, quoniam Adami peccatum, à quo pendebat, absolutè futurum erat. Futurum autem conditionatum illud est, quod absolutè non erit; foret tamen, si aliqua conditio poneretur: hoc modo Judæ Proditoris Christi conversio dici potuit futura; si enim veram pœnitentiam egisset (hac conditione posita) culpæ suæ veniam impetrasset. Undè futurum conditionatum à conditione numquam ponenda pendet: & in hoc maximè à futuro absoluto differt.

Notandum est secundò, aliquid posse esse necessarium dupliciter, nimirum, vel necessitate absoluta & antecedenti, vel necessitate conditionali & consequenti. Prior necessitas est, quando causa, nulla facta hypothesi, aut suppositione, sed ex se, & ex suis principiis intrinsecis, ita est ad producendum effectum determinata, ut non possit ipsum non producere. Dicitur necessitas *absoluta*; quoniam causa, secundùm illam, necessariò agit, absolutè,

& nul-

& nulla suppositione facta. Nominatur verò necessitas *antecedens*, quia ex parte causæ effectum antecedentis se tenet, respicitque effectum antequàm fiat, atque præstat, ut necessariò producatur. Hoc modo ortus solis crastina die futurus, dici potest necessarius.

Necessitas autem conditionalis & consequens est, secundùm quam, suppositâ conditione, effectus censetur necessarius: hinc *conditionalis* nuncupatur. Dicitur quoque *consequens*; quoniam effectum non antecedit, sed potiùs consequitur: quando videlicet causa ex se indifferens est ac indeterminata ad productionem effectus; facta tamen suppositione, quòd effectus jam sit productus, vel producendus, dicitur ipse necessariò esse, vel fore. Quod nihil aliud significat, nisi, quòd effectus non possit simul esse & non esse, fore & non fore: ideòque ex suppositione, quòd sit, necessariò est; & ex hypothesi, quòd futurus sit, futurus necessariò est.

Addi potest duplex aliud necessarium; nempè necessarium necessitate essentiæ, & necessarium necessitate proprietatis. Tunc propositio necessaria est necessitate essentiæ, quando prædicatum est de essentia subjecti; cujusmodi est hæc propositio, *homo est animal rationale*. Tunc verò propositio necessaria est necessitate proprietatis, quando prædicatum est proprietas necessariò conveniens subjecto; talis est propositio illa, *homo est risibilis*; risibilitas quippe hominis proprietas est, quæ ipsi necessariò competit.

Notandum est tertiò, aliquid posse esse contingens duobus modis. Primò, quia casu & præter intentionem agentis evenit; hoc modo contingens est, quòd quis fodiendo terram, thesaurum inveniat. Secundò dicitur contingens illud, quod indifferens est ad esse, & non esse, & ita medium tenet inter necessarium, & impossibile, vel potiùs ab utroque distans, atque

quidem, quia neceſſarium, ſic eſt ad eſſe determinatum, ut non poſſit non eſſe; contingens verò poteſt non eſſe: ab impoſſibili autem; quoniam impoſſibile, nullo modo poteſt eſſe; contingens verò poteſt eſſe. Et hæc contingentis acceptio, propria eſt hujus loci; eamque habet Ariſtoteles 1. Priorum cap. 12.

Itaque propoſitio de futuro contingenti, ea eſt, in qua prædicatum aliquod contingens enunciatur de ſubjecto per verbum de futuro, ſeu, in qua ſubjectum & prædicatum ſic invicem pro tempore futuro conjunguntur, ut talis conjunctio poſſit eſſe, vel non eſſe: ejuſmodi eſt hæc propoſitio: *Petrus ſtudebit*: ſtudium quippe, eſt prædicatum contingens reſpectu Petri, cùm non neceſſariò, ſed contingenter ſtudium competat Petro: de quo etiam enunciatur per verbum de futuro, *ſtudebit*. Subjectum quoque, & predicatum, nempè *Petrus*, & *ſtudium*, ſic invicem pro tempore futuro conjunguntur, ut conjunctio iſta poſſit eſſe, vel non eſſe; poterit namque Petrus ſtudere, vel non ſtudere, prout ipſe voluerit.

Eſt autem duplex contingentis genus. Aliud enim eſt intrinſecè contingens, quod nimirum procedit à cauſa, quæ ex ſua naturali & intrinſeca vi, poteſt illud producere, vel non producere; hæcque cauſa eſſe nequit alia, niſi libera: & de hoc contingenti præcipuè agitur hìc. Aliud eſt contingens tantùm extrinſecè, quod videlicet habita ratione virtutis intrinſecæ ac naturalis ſuæ cauſæ proximæ, neceſſariò ab ea produci debet, quoniam cauſa illa ex ſe neceſſariò agit, eſtque ad unum determinata; attamen impediri poteſt à cauſis contrariis, quarum influxum contrarium ſuperare nequit cauſa proxima; ideòque effectus alioquin de ſe ſimpliciter ac propriè neceſſarius, denominatur extrinſecè contingens: hoc modo eſt contingens, quòd arbor fructus ferat; id quippè à variis cauſis contrariis impediri poteſt,

ut

ut experientia patet; licèt arbor de se necessariò petat, suo tempore, fructus ferre.

Insuper contingens potest in duplici statu considerari. Primò in sua causa, prout nondum est productum, sed adhuc virtualiter in ea contentum. Secundò tamquam jam productum in se ipso, & extra suam causam existens. Si contingens primo modo consideretur, differt à necessario; quoniam necessarium, secundùm quòd in sua causa est, habet necessitatem, ratione cujus non potest non produci à causa: contingens verò in sua causa contentum, contingentiam habet, ratione cujus potest produci, & non produci, esse, & non esse: si verò contingens spectetur secundo modo, licèt differat à necessario, quantùm ad naturam effectus (quia ex sua natura est semper effectus contingens) tamen non distinguitur à necessario, quoad modum essendi, seu quoad statum; quia sicut necessarium in se ipso productum, & extra suam causam existens, determinatum est ad esse, ita ut non possit non esse; ita contingens jam in se ipso productum, & extra causam suam existens, etiam ad esse determinatum est, & non potest non esse pro illo tempore, quo existens supponitur; quia ex Aristotele 1. de interpret. cap. 8. sub finem: *Necesse est id, quod est, quando est, esse; & id quod non est, quando non est, non esse.*

§. I.

Quædam alia præmittuntur.

NOtandum est quartò, duplicem distingui à Philosophis veritatem, nempè formalem, vel objectivam. Prior est in intellectu, vel in actu intellectus, estque cùm intellectus attingit objectum, prout in se est; sive est conformitas intellectus, aut actualis cognitionis, cum objecto. Posterior autem est conformitas objecti cum in-

tel-

tellectu cognoscente, aut cognitione actuali. Unde duplex etiam est propositio, nempè formalis, & objectiva. Prior est operatio intellectus, prædicatum de subjecto enunciantis. Posterior verò est objectum, in quo prædicatum & subjectum connectuntur. Tunc ambæ sunt veræ, quando ambæ sunt sibi mutuò conformes: tunc autem falsæ sunt, quando sibi invicem difformes inveniuntur.

Una propositio, sive formalis, sive objectiva, potest dici vera dupliciter, nimirum, vel *disjunctivè*, vel *determinatè*. Tunc una propositio est disjunctivè vera, cùm ex duabus propositionibus simplicibus particula disjunctiva unitis constat, tali modo, ut una dumtaxat disjunctivè, hæc videlicet, aut altera, confusè sit vera. Tunc autem una propositio est vera determinatè, quando ista in particulari, distinctè vera est.

Docet autem Aristoteles hic, propositionem de futuro contingenti, posse dici determinatè veram tripliciter. Primò, ita ut particula, *determinatè*, cadat supra veritatem propositionis; & tunc propositio non est ad veritatem, aut falsitatem; indifferens, sed determinatè vera est, potiùs, quàm falsa. Secundò, adeò ut particula, *determinatè*, cadat supra propositionem, ita ut hæc propositio, determinatè, in particulari, potiùs quàm illa, sit vera. Tertiò tamdem, ita ut præfata particula supra rem enunciatam cadat: tuncque res per propositionem enunciata, est determinatè futura, potiùs quàm non futura.

Notandum est 5. nomine *decreti* causæ liberæ intelligendum esse actum voluntatis ejus, quo se determinat circa futuritionem rei. Decretum verò Dei potest considerari; vel ut actuale, seu actu positum, & exercitum, sive præsens; vel ut futurum, & ponendum in sequenti signo seu instanti rationis. Insuper Dei decretum potest con-

cipi,

cipi, aut ut indifferens, quatenus [illegible] nit in specie acti nem creaturæ [illegible], [illegible] ferenter se habet ad cujuscumque [illegible] tionem, expectatque determinationem [illegible] te creata, quoad speciem actus [illegible] sum potiùs, quàm dissensum; [illegible] potiùs, quàm odium, &c. aut ut [illegible], ita ut determinet futurum creaturæ actum [illegible] cie, & in individuo, ver. g. hunc amorem, [illegible] istud odium, &c. His præmissis.

Certum est primò, unam ex duabus propositionibus cõtradictoriis de præsenti esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, id liquet in istis duabus propositionibus: *Petrus disputat*, *Petrus non disputat*; ut enim recte ait Aristoteles: *Ex eo quod res est, vel non est, propositio vera est, vel falsa*; & ideò si Petrus reipsa est disputans, prior propositio determinatè vera est, & altera falsa; si autem Petrus revera non disputet, posterior propositio est vera determinatè, nec non altera determinatè falsa. Similiter si Petrus reipsa disputavit, hæc propositio de præterito: *Petrus disputavit*: determinatè vera est, & opposita determinatè falsa: *Petrus non disputavit*. Si autem Petrus revera non disputavit, posterior propositio determinatè est vera, & altera determinatè falsa; etenim etiam: *Ex eo, quòd res fuit, vel non fuit, propositio de præterito, vera, aut falsa est*.

Certum est 2. unam ex duabus propositionibus singularibus de futuro contingenti *disjunctivè* esse veram, & alteram esse falsam: sic v. g. disjunctivè verum est: *Petrus studebit, vel non studebit*: sensus enim est, Petrum non posse simul studere, & non studere; sed necesse fore, ut Petrus studeat, vel non studeat; hoc autem esse verum, apertissimum est; ut patebit attentè consideranti.

Certum est tertiò, ex duabus propositionibus singularibus de futuro contingenti, unam esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, post Dei decretum: etenim cùm Deus sit supremus

mus mundi arbiter, ac sæculorum Rex, omnes eventus futuros, ab æterno summa authoritate decrevit, mala quidem decreto (ut vocant) permissivo, Deus quippè mala non facit, sed solùm permittit; bona verò decreto approbativo & effectivo: quibus decretis semel in Deo positis, utpotè immutabilibus, eventus, suaviter quidem, certò tamen & infallibiliter, suo tempore erunt: ut enim inquit Apostolus ad Romanos 9. *Voluntati* (efficaciter decernenti) *ejus, quis resistit?* & in Isaia de se ipso ait Deus: *Omnis voluntas mea* (efficaciter decernens) *fiet*. Post decretum ergo divinum, res contingentes, sunt determinatæ ac certò futuræ; & quidem ab æterno, cùm Dei decreta sint æterna: undè propositiones de futuris contingentibus, post Dei decreta, sunt ab æterno determinatè veræ, aut falsæ; veræ quidem, si divinis decretis sint consonæ; & falsæ, si illis sint dissonæ.

Tota igitur difficultas, totaque controversia, esse potest dumtaxat, utrùm ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti (cujusmodi sunt istæ duæ: *Petrus consentiet; Petrus non consentiet*) una determinatè sit vera, & altera falsa; ita ut particula, *determinatè*, cadat supra propositionem, veritatem vel falsitatem ejus, & supra rem enunciatam: hocque ante decretum divinum; non quidem adeò, ut vox illa, *ante*, designet prioritatem durationis; æterno namque decreto Dei nihil est prius prioritate durationis; sed ita ut vocabulum illud denotet prioritatem independentiæ. Undè quæritur, an una ex illis propositionibus sit determinatè vera, & altera falsa, independenter à divino decreto, vel dependenter ab illo; & utrùm hujusmodi decretum sit præsens & positum, an verò futurum & ponendum in sequenti signo, seu instanti rationis; atque utrùm tale decretum sit indifferens, an autem prædeterminans?

Hinc

Hinc inferes, pleroſque adverſarios, planè falli, aut fallere, in hac difficultate, dum non diſtinguunt, *ante*, vel *poſt* decretum; ſed præcisè aſſerunt, ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti, unam eſſe determinatè veram, & alteram determinatè falſam: iſti namque ne leviter quidem attingunt difficultatem, ſed dumtaxat telas aranearum contexunt unico flatu diſſipandas.

Prima ſententia docet, unam ex duabus propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti inter ſe contradictoriè oppoſitis, independenter à decreto divino, ex vi & natura contradictoriæ oppoſitionis, vèl ex ſuppoſitione eventus futuri, eſſe determinatè veram, & alteram determinatè falſam. Hanc ſententiam tuentur Vaſquez, Herice, Martinonus, Conimbricenſes, Mendoza, & alii recentiores communiter. Addit Stephanus Burlephier, oppoſitam ſententiam fuiſſe Romæ damnatam. Moriſanus quoque ait, damnatam eam eſſe à Xiſto IV. & talem cenſuram manuſcriptam ſervari in Academia Lovanienſi. Sed hi duo authores videntur velle conciliare fidem ſuæ opinioni, fabulas narrando. Neque enim (ut benè advertit Camerarius) Lovanienſes ſententiam oppoſitam in ſua Logica docerent, ſi à Romana ſede foret damnata, ejuſque damnatio in Academia Lovanienſi ſervaretur. Nec iſtam damnationem ignorarent Thomiſtæ ſacro Palatio Romæ præpoſiti, qui eamdem ſententiam defendunt.

Secunda ſententia fatetur quidem, nullum contingens eſſe determinatè futurum ante decretum divinum; ſed tamen aſſerit, neceſſe non eſſe, ut decretum illud concipiatur ut præſens, & exercitè poſitum; ſed ſufficere, ut ejuſmodi decretum concipiatur ut futurum, aut ponendum in ſequẽti ſigno aut inſtanti rationis. Vel dicunt hujus ſententiæ defenſores, nullum contingens eſſe fu-

BIBLIOTECA COMUNALE MONTEFUSCO (AV)

turum absolutè, independenter à decreto Dei absoluto; volunt tamen, res contingentes & liberas esse conditionatè futuras, independenter à decreto conditionato, præsenti, & posito. Decretum Dei absolutum est illud, quo Deus absolutè vult, quòd aliqua res sit futura. Decretum verò conditionatum illud est, quo Deus vult, ut res sit aliquando esse habitura, si tamen quædam conditio ponatur. Juxta hanc ergo opinionem, una ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de contingenti, & libero, saltem conditionatè futuro, est determinatè vera, & opposita determinatè falsa, ante decretum præsens & exercitè positum. Ita docent Suarez, Fonseca, Fasolus, & alii.

Tertia sententia docet, ex duabus propositionibus singularibus de futuro contingenti, quæ sibi mutuò contradictoriè opponuntur, neutram ante Dei decretum esse determinatè veram, aut determinatè falsam; sed quamlibet esse, ad veritatem aut falsitatem determinatè, indifferentem. Hanc doctrinam tradit disertè Aristoteles cap. 8. Periher. Aristotelem ibi sequuntur, D. Thomas lect. 12. Ammonius, Averroes, Boetius, Julius Paccius, omnesque ferrè antiqui Aristotelis interpretes, nec non Scotus in. 1. Dist. 39. q. 1. §. *Viso de contingentia rerum*; ubi hæc scribit: *In illo primo instanti* (antecedente Dei decretum) *non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam; posita autem determinatione voluntatis divinæ, jam sunt vera, videlicet. pro illo secundo instanti*. Eamdem doctrinam tuentur Aureolus ibid. q. unic. art. 3. Lovaniensis in Logica, Henriques, Bellarminus, Toletus aliique multi.

Quæri etiam potest, utrùm ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro necessario, ante Dei decretum, una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa? quæ difficultas etiam explanabitur infrà.

§. II.

§. II.

Prior difficultas enodatur.

DIco 2. ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti, ante decretum Dei, una non eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa, ſi particula, *determinatè*, ſupra rem enunciatam cadat.

Prob. ratione fundamentali. Ut ex duabus &c. una eſſet determinatè vera, particula, *determinatè*, cadente ſupra rem enunciatam, deberet propoſitio illa verè enunciare contingens determinatè futurum: atqui ante divinum decretum, verè hoc non enunciat; ſed ante Dei decretum, nullum contingens, verè eſt determinatè futurum: ergo &c. Prob. min. multipliciter. Primò ex Ariſt. qui hìc c. 8. in fine loquens de ente creato & contingenti, ante ſupremi Proviſoris decretum, ſic ait: *Omne neceſſe eſt, fore, aut non fore: non tamen neceſſe eſt, diſtinctè (ſeu determinatè) alterum fore.* Quo nihil clarius in favorem concluſionis noſtræ dici poteſt.

Secundò ex Divo Auguſtino, libro 26. contra Fauſtum, cap. 4. ubi reddens rationem, cur fateatur, ſe neſcire, an aliquid ſit futurum, ſic ait: *Ideò neſcio, quia quid habeat de hac re voluntas Dei, me latet; illud me tamen non latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet.* Et tract. 88. in Joannem expreſsè dicit: *Deus facit futura, ea prædeſtinando*, id eſt, per prius decretum deſtinando ipſa, ut aliquando exiſtant. Quibus verbis determinatam rerum futuritionem, in Dei, aut divinæ voluntatis, deſtinationem, ſeu decretum, ſicut in cauſam, reducit: proindeque cenſet, ante decretum Dei, nullam rem eſſe determinatè futuram; effectus quippè non eſt ante cauſam, imò potiùs cauſa prior eſt effectu.

Tertiò ex D. Thoma 1. part. qu. 16. art. 7. ad 3. ubi hæc scribit: *Illud quod nunc est* (seu præsens) *ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat* (determinatum) *ut fieret; undè sublata causa, non esset futurum illud: sola autem causa prima est æterna; unde non sequitur, quòd ea, quæ sunt, semper fuit verum, ea esse futura; nisi quatenus in causa sempiterna fuit* (determinatum) *ut essent futura; quæ quidem causa est solus Deus.* Quibus verbis apertissimè docet, ex eo, in tempore, aliquid fieri præsens, quoniam nunc producitur; ex eo autem fuisse antea determinatè futurum, quia in causa ipsius determinatum erat, ut produceretur. Et tandem concludit, intantùm rem aliquam verè ab æterno fuisse futuram determinatè, inquantùm in causa sempiterna, nempè in Deo, fuit semper determinatum, aut decretum, ut esset futura: ac proinde ex mente D. Thomæ, ante decretum, vel determinationem Dei, nullum contingens verè est determinatè futurum. Undè in 1. dist. 38. q. unica a. 5. ad secundum, sit ait: *Futurum contingens, non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam.* Quo etiam modo loquitur alibi sæpè.

Quartò: futurum propriè dictum, illud est, quod est determinatum in causa ad habendam existentiam pro duratione sequenti: ergo ante decretum seu determinationem primæ causæ, quæ Deus est, nullum contingens verè est determinatè futurum. Conseq. patet. Prob. ant. cùm futurum propriè dictum, sit medium inter merè possibile, & existens, debet medio modo se habere: possibile verò, quod merè est tale, illud dicitur, quod continetur in causa; quæ quidem ipsum producere potest, sed tamen ad ejus productionem non est determinata, sed potiùs indifferens est: existens autem illud vocatur, quod est extra causam (hinc existentia dicitur communiter *rei extra causas sistentia*) ut igitur fu-

futurum proprie dictum, medio ſe habeat modo, nec debet eſſe extra cauſam, nec in cauſa indeterminata; ſed neceſſe eſt, ut contineatur in cauſa, ad ipſum aliquãdo producẽdum determinata.

Prob. rurſus, & urgetur ampliùs: ſi res contingentes & liberæ, ante Dei decretum eſſent determinatè futuræ, vel ab intrinſeco, & ex ſua natura, vel ab extrinſeco, & ex influxu cauſæ, determinatam futuritionem haberent; neque enim apparet aliud principium determinatæ futuritionis earum: atqui nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco, determinatam futuritionem, ante Dei decretum, obtinent: ergo &c. Prob. min. & primò quidem, ab intrinſeco, & ex natura ſua, futuritionem determinatam non habent: dum etenim aliquid competit rei ab intrinſeco, & ex ipſius natura, convenit ei neceſſariò, adeò ut res ab illo neceſſario denominetur talis: hinc *rationalitas*, & *riſibilitas*, neceſſariò conveniunt homini, & homo ab eis neceſſariò *rationalis*, & *riſibilis* denominatur, & quidem neceſſariò neceſſitate abſoluta: ſi ergo res contingentes & liberæ ab intrinſeco, & ex ſua natura, determinatam futuritionem obtinerent, forent determinatè futuræ neceſſariò neceſſitate abſoluta: quod dici nequit; neceſſitas quippè abſoluta manifeſtè repugnat contingentiæ & libertati rerum contingentium & liberarum.

Inſuper res contingentes & liberæ, ante decretum Dei, non accipiunt determinatam futuritionem ab extrinſecò, ſeu ex influxu cauſæ. Vel enim eſſet influxus cauſæ primæ, vel cauſæ ſecundæ? Primum dici non poteſt: cùm etenim influxus Dei ad extrà, ſit liber, nequit liberum divinæ voluntatis decretum antecedere. Non poteſt etiam dici ſecundum: influxus namque cauſæ ſecundæ ſubordinatur influxui cauſæ primæ, ab ipſoque eſſentialiter dependet, & idcircò pro eo inſtanti nequit concipi, pro quo influxus cauſæ primæ nequit apprehendi.

Reſpondent 1. Adverſarii, rem contingentem & liberam (cujuſmodi eſt ſtudium Petri) ex natura & vi contradictoriæ oppoſitionis eſſe determinatè futuram, etiam divinum ante decretum: etenim eo ipſo, quòd ante decretum Dei, duæ propoſitiones iſtæ, v.g. *Petrus ſtudebit: Petrus non ſtudebit*, ſint contradictoriæ (inquiunt) natura & vis contradictionis exigit, ut non ſint ſimul veræ, aut ſimul falſæ; ſed petit, quòd una, nempè iſta: *Petrus non ſtudebit*: ſit determinatè falſa; & altera, ſcilicet hæc: *Petrus ſtudebit*: ſit determinatè vera; ſicque poſtulat, ut ſtudium Petri ſit determinatè futurum.

Sed contrà in primis ſic argumentor. Quod provenit ex exigentia naturæ, neceſſarium eſt neceſſitate abſoluta; natura enim, non liberè ſed neceſſariò exigit, quod ſibi debetur: ſi ergo determinata futuritio rerum contingentium & liberarum oriretur ex natura & exigentia contradictoriæ oppoſitionis, futuritio illa foret neceſſaria neceſſitate abſoluta, & ita res contingentes ac liberæ, forent abſolutè neceſſariò futuræ, neceſſariòque ſuo tempore evenirent, non verò contingenter & liberè. Tum maximè, quia natura contradictionis (ſecundùm quam duæ propoſitiones contradictoriæ nequeunt eſſe ſimul veræ; adeò ut, ſi una ſit vera, debeat neceſſariò altera eſſe falſa: & vice verſa) fundatur in principio abſolutè neceſſario; videlicet in iſto: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*: ſi enim, v. g. duæ propoſitiones iſtæ eſſent ſimul veræ: *Petrus peccabit: Petrus non peccabit*: verè Petrus eſſet, & ſimul non eſſet peccaturus. Deinde falluntur adverſarii, dum dicunt, ex duabus propoſitionibus contradictoriis, unam ſemper eſſe determinatè veram, & alteram determinatè falſam; ſatis namque eſt, ut disjunctivè una, aut altera, ſit vera, vel falſa: ita enim docet Ariſtoteles in fine hujus cap. 8. ubi ſic ait: *Contradictionis enim rerum ipſarum alteram quidem partem ne-*

neceſſe eſt, veram eſſe, vel falſam (disjunctivè) *non tamen hanc, vel hanc* (determinatè & distinctè.) Et paulò ſuprà: *Omne* (inquit) *neceſſe eſt eſſe, vel non eſſe, & item fore, aut non fore: non tamen neceſſe eſt, diſtinctè alterum fore.*

§. III.

Alia ad eamdem difficultatem pertinentia referuntur.

REſpondent 2. rem contingentem & liberam eſſe, ante Dei decretum, determinatè futuram, ex ſuppoſitione eventus futuri, & ex eo, quòd propoſitio de præſenti aliquando erit vera. Etenim, inquiunt, ſupponendum eſt, etiam ante decretum Dei, Antichriſtum, v. g. eſſe eventurum; quo tempore, hæc propoſitio de præſenti: *Antichriſtus eſt*: erit determinatè vera. Ex quo inferunt, iſtam propoſitionem de futuro contingenti & libero: *Antichriſtus erit*: etiam divinum ante decretum, fuiſſe determinatè veram, & Antichriſtum determinatè futurum. Ita loquuntur Vaſquez, Herice, Martinonus, & alii.

Sed contra ſic 1. argumentor. Suppoſitio illa eventus futuri in re contingenti & libera, ante decretum Dei, eſt chimærica, & nullum planè habet fundamentum: ergo non eſt admittenda, nec eſt determinatæ futuritionis radix. Prob. ant. ſi hujuſmodi ſuppoſitio aliquod fundamentum obtineret, vel hoc fundamentum eſſet intrinſeca rei contingentia, ac liberæ naturæ, vel influxus cauſæ primæ, aut cauſæ ſecundæ. Primum dici non poteſt; alioquin eventus ille non eſſet contingenter, ac liberè, ſed potiùs neceſſariò neceſſitate abſoluta, futurus: ut ex dictis liquet. Secundum, vel tertium, dici etiam nequit; quoniam influxus cauſæ primæ, vel ſecundæ, ante decretum Dei,

non poteſt apprehendi; ut ſuprà oſtenſum eſt.

Deinde: ſi res contingens & libera foret futura, quoniam eventum habet futurum, eſſet futura, quia eſſet futura, ſicque idem per idem probaretur: atqui hoc dici nequit, quoniam manifeſtè abſurdum eſt: ergo &c. Maj. conſtat; nam quod eventum haber futurum, illud eſt, quod aliquando eveniet, ſive quod aliquando eſſe habebit: quod autem eſſe aliquando habebit, & quod futurum eſt, idem eſt prorſus: ſi ergo res contingens & libera foret futura, quoniam eventum habet futurum, eſſet futura, quia eſſet futura.

Reſpondent 3. rem contingentem ac liberam eſſe quidem determinatè futuram ex vi decreti divini, at non præſentis & exercitè poſiti; ſed futuri, & in ſequenti ſigno, aut inſtanti rationis, ponendi; effectui enim futuro ſufficit cauſa futura.

Sed contra ſic argumentor. Futurum propriè dictum, & prout à merè poſſibili, & exiſtente, diſtinguitur, eſt id, quod eſt determinatum in cauſa, ut aliquando producatur, & eſſe præſens atque actuale accipiat, ut oſtendimus ſuprà. Ad hoc igitur, ut res contingens ac libera determinatè ſit futura exercitè ac de facto, requiritur, ut ſaltem prima cauſa ſit exercitè ac de facto ad ejus productionem determinata: prima verò cauſa, ſeu Deus, exercitè non determinatur ad aliquam rem producendam, niſi per exercitum & actuale ac præſens divinæ voluntatis decretum, quo exercitè, actualiter, de præſenti, atque de facto, determinat rem illam tali tempore producere.

Deindè, in re determinatè futura, quæ actu ac de facto futura eſt, duo occurrunt conſideranda; nimirum exiſtentia aliquando vi productionis habenda, & determinanda futuritio actualis. Licèt igitur res illa ſit futura tantummodò, ex parte exiſtentiæ aliquando habendæ; attamen.

jam

jam actu præsens est, ex parte futuritionis actualis. Ideòque, quamvis ad existentiam habendam sufficiat causa futura, id est causa productura; ad hoc tamen, ut aliqua res habeat futuritionem actualem, actualis causa requiritur, id est actuale decretum, quo actu, de præsenti, ac de facto destinetur ad existentiam determinato tempore accipiendam.

Respondent 4. cum Suarez, nihil quidem esse absolutè futurum independenter à Dei decreto absoluto: addunt tamen, res contingentes & liberas esse conditionatè futuras, & quidem determinatè, independenter à decreto conditionato actuali & exercito. Ubi advertendum est, duplex in Deo distingui decretum, unum nempè absolutum, & alterum conditionatum. Primum est, quo Deus absolutè vult, ut aliquid fiat: alterũ verò est, quo Deus vult, quòd aliqua res quidem producatur, si tamen aliqua conditio ponatur.

Sed contra in primis sic arguo: futurum est id, quod est determinatum in causa, & maximè in causa prima; ut suprà probatum est: eodem igitur modo res contingentes & liberæ debent esse in prima causa determinatæ, quo sunt futuræ: ut ergo actualiter & exercitè sint conditiònatè futuræ, debet causa prima actualiter & exercitè esse adillarum productionem determinata conditionatè, videlicet per decretum conditionatum: proindèque res contingentes & liberæ, nequeunt dici conditionatæ futuræ independenter à primæ causæ decreto conditionato, actuali, & exercito, saltem loquendo de determinata futuritione conditionata, actuali, & exercita. Deindè, quamvis in re contingenti & libera actualiter & exercitè futura conditionatè, existentia sub conditione habenda, sit aliquid futurum; attamen actualis & exercita futuritio conditionata, est aliquid præsens, actuale, & exercitum, ad quam proinde requiritur decretum conditionatum, præsens, actuale, & exercitum, nec sufficit futurum.

Reſpondent 5. decretum Dei eſſe quidem cauſam determinatæ futuritionis rerum contingentium & liberarum; at non decretum prædeterminans, ſed dumtaxat indifferens.

Sed contra ſic argumentor: ſi divinum decretum ſit cauſa determinatæ futuritionis rerum contingentium & liberarum, debet, ut patet, eſſe cauſa totius futuritionis earum; id eſt, futuritionis illarum, & quoad ſpeciem, & quoad individuum; ac proinde decretum Dei non eſt indifferens, ſed prædeterminans circa res contingentes, ac liberas; adeò ut determinet, aut decernat ſpecies earum, & individua, tamquam ſuprema ipſarum cauſa, priùſquam hìc & nunc in ſpecie, & in individuo, producantur.

Deinde: res contingentes ac liberæ, ſunt determinatè quoad ſpeciem futuræ, vel ante Dei decretum, & independenter ab ipſo: vel poſt decretum Dei, & dependenter ab illo. Primum dici nequit: nam, aut ab intrinſeco & ex ſua natura intrinſeca; aut ab extrinſeco, & ex influxu cauſæ, determinatam futuritionem quoad ſpeciem haberent: neutrum autem affirmari poteſt; ut ex dictis liquet. Si verò ſecundum dicant adverſarii, nempè ſi fateantur, res contingentes ac liberas, dependenter à determinatione divini decreti, eſſe quoad ſpeciem determinatè futuras: ergo decretum Dei circa res contingentes non eſt indifferens, aut indeterminatum, ſed potiùs eſt determinans, vel prædeterminans, quoad earum ſpeciem: ita ut eas determinet in ſpecie, priùſquam fiant. Sanè, ab indifferenti & indeterminato, ut tali, nequit aliquid determinatum procedere: cùm *indeterminatum*, & *determinatum*, opponantur: ſi ergo decretum Dei circa res contingentes & liberas ſit quoad ſpeciem indifferens & indeterminatũ (ut adverſarii docent) determinata earum futuritio, quoad ſpeciem, à Dei decreto, tamquam à cauſa, provenire nequaquam poteſt.

Prob.

Prob. demùm ratione, quam egregiè proſequitur S. Thomas ſect. 13. ſuper c. 8. Periherm.: ut enim cum Ariſtotele ait ibidem S. Doctor: *Si ſemper ponitur, aliquid eſſe præſens, vel futurum; non poteſt non eſſe, quin illud ſit præſens, vel futurum: ſed quod non poteſt non eſſe, neceſſe eſt eſſe*: atqui ex adverſariorum doctrina ſemper ponitur, res contingentes & liberas fuiſſe futuras, etiam ante decretum Dei: ergo non potuerunt non eſſe futuræ, & neceſſarium omninò fuit, ut eſſent futuræ: ſicque non ſunt futuræ contingenter & liberè, ſed planè neceſſariò.

Reſpondent adverſarii cum diſtinctione: concedunt namque, res contingentes & liberas eſſe futuras neceſſariò; non tamen *antecedenter* & abſolutè, ſed *conſequenter*, & ex ſuppoſitione dumtaxat. Sed contra in primis ſic argumentor. Quod provenit ex exigentia naturæ, neceſſarium eſt neceſſitate antecedente & abſoluta; ut ex dictis liquet: atqui juxta adverſariorum doctrinam determinata futuritio rerum contingentium & liberarum oritur ex natura contradictoriæ oppoſitionis, ſive ex ipſius exigentia, prout ſuprà explicatum eſt: ergo &c. Deinde neceſſarium ex ſuppoſitione illud eſt, quod procedit ex ſuppoſitione alicujus exercitii liberæ voluntatis: ſic v. g. ſuppoſito, quòd Petrus ex libero ſuæ voluntatis exercitio ſedeat, ex ſuppoſitione tunc neceſſe eſt, illum ſedere: quod igitur antecedit omne exercitium voluntatis liberæ, nequit dici neceſſarium ex ſuppoſitione; ex adverſariis autem, determinata rerum contingentium ac liberarum futuritio, omne exercitium, ſeu omne decretum, etiam primæ ac divinæ voluntatis liberæ, præcedit. Sanè, ſi res contingentes ac liberæ eſſent determinatè futuræ, independenter à divinæ voluntatis decreto, ipſæ in ſua futuritione determinata, à Dei voluntate non penderent; ſicque, ſive Deus vellet, ſive nollet, res contingentes & liberæ forent determinatè futuræ: quod planè

absurdum videtur, & supremo Dei in omnes res creatas dominio apertè repugnans.

§. IV.

Secunda difficultas explanatur.

DIco secundò: ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti, ante Dei decretum, una non est determinatè vera, & altera falsa, si particula, *determinatè*, cadat supra veritatem & falsitatem propositionis.

Prob. 1. ut una ex illis propositionibus, modo illo foret determinatè vera, & altera determinatè falsa, una deberet determinatam veritatem habere, & altera determinatam falsitatem: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. est manifesta. Prob. min. ex Aristotele 1. de interpretatione cap. 8. ubi sic ait: *In iis igitur, quæ sunt, & fuerunt, necesse est, affirmationem, vel negationem, veram, vel falsam esse: in singularibus autem, atque futuris, non similiter se se res habet.* Quæ verba exponens D. Thomas ibidem lect. 13. hæc scribit: *In præteritis & præsentibus, necesse est, quòd altera oppositarum determinatè sit vera, & altera falsa, in quacumque materia: sed in singularibus, quæ sunt de futuro, hoc non est necesse, quòd una sit determinatè vera, & altera falsa; & hoc quidem dicitur, quantùm ad materiam contingentem.*

Quibus verbis apertè asserunt Aristoteles & D. Thomas, ex duabus propositionibus contradictoriis singularibus de præterito & de præsenti, unam quidem esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, in quacumque materia; at addunt, non ita esse dicendum, si propositiones contradictoriæ singulares, sint de futuro in materia contingenti. Et quidem loquuntur de propositionibus contradictoriis

de

de futuro contingenti, ante determinationem causæ; quoniam apud Philosophos certissimum semper fuit, unam ex ejusmodi propositionibus esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, post causæ determinationem, qua res contingenter & liberè futura decernitur.

Respondent 1. Gabriel Vasquez, & plures alii recentiores, Aristotelem erasse dum ipse docuit, propositionum contradicentium de futuro contingenti, neutram esse determinatè veram, vel falsam. Sed hæc responsio in primis est in scholæ Peripateticæ magistrum injuriosa. Deinde, si in hoc erasset Aristoteles, non debuisset Sanctus Thomas, Ecclesiæ Doctor, illi adhærere, ejusque sententiam sequi; sed potiùs illum corrigere & emendare.

Respondent 2. Richardus, Major, & alii, Aristotelem velle tantùm, unam ex duabus propositionibus singularibus de futuro contingenti ac libero, non esse necessariò veram, & alteram falsam, determinatè: benè tamen contingenter ac liberè. Sed contrà sic argumentor: dum adversarii dicunt, se loqui ex mente Aristotelis, & asserunt, unam è duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti ac libero, non esse necessariò veram, & alteram falsam, determinatè, ante determinationem aut decretum causæ; determinatè tamen, unam esse veram, & falsam alteram, contingenter ac liberè; vel loquuntur de necessitate absoluta, vel de necessitate ex suppositione? si primum; immeritò ajunt, se loqui ex Aristotelis mente; ibidem enim ipse Philosophus dicit, unam ex duabus propositionibus oppositis, de præsenti, vel de præterito, necessariò esse veram, & alteram falsam: *In iis igitur, quæ sunt* (id est, quæ obtinent objecta præsentia) *& fuerunt* (hoc est, quæ habent objecta præterita) *necesse est*, inquit, *affirmationem, vel negationem*,

veram, vel falsam esse: in singularibus autem, &c. Hæc sunt Aristotelis verba superiùs relata: evidens autem est, ex duabus propositionibus oppositis de præsenti, aut de præterito, unam non esse veram, & falsam alteram, necessariò necessitate absoluta; sed dumtaxat necessariò necessitate ex suppositione; intantùm etenim hæc propositio de præsenti: *Petrus ambulat*: necessariò est vera; & ista: *Petrus non ambulat*: necessariò est falsa, inquantùm supponitur, Petrum revera ambulare: si etiam supponatur, Petrum reipsa ambulasse, necessariò hæc propositio de præterito: *Petrus ambulavit*: vera est: & ista necessariò falsa: *Petrus non ambulavit*.

Si autem dicant adversarii, se loqui de necessitate ex suppositione, perperam dicunt, ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti, unam necessariò non esse veram, & alteram falsam. Nam si ipsi etiam ante decretum divinum, admittunt suppositionem eventus futuri contingentis & liberi, qua suppositione facta necesse est, ut res contingens ac libera sit determinatè futura (ut ipsi ultrò fatentur) quo posito, necesse est quoque, ut propositio affirmans, eam esse futuram, sit determinatè vera, & propositio negans, eam esse futuram, sit determinatè falsa. Quæ quidem doctrina ex eorum principiis infertur, ipsamque sua sponte admittunt.

Respondent 3. alii, Aristotelem velle tantùm, alio modo, unam ex duabus propositionibus contradictoriis esse veram, & alteram falsam, determinatè, si sint de præsenti, vel de præterito: & alio modo, si sint de contingenti futuro. Etenim circa rem præsentem, aut præteritam, una ex contradictoriis propositionibus est determinatè vera, & altera determinatè falsa, ex suppositione præsentis, vel præteritæ existentiæ, quam habet, vel habuit res illa: at circa rem contingentem futuram, una ex propositionibus

bus cõtradictoriis vera eſt determinatè, & altera falſa, ex ſuppoſitione exiſtẽtiæ aliquãdo habẽdę.

Sed contra ſic argumentor: Ariſtoteles loquitur de propoſitionibus contradictoriis circa futura contingentia ante determinationem & decretum cauſæ; ut fatentur Adverſarii: oſtenſum eſt autem ſuprà, ſaltem ante determinationem ſeu decretum cauſæ primæ, nullam poſſe fieri ſuppoſitionem eventus futuri, ſecundùm quam res contingens ſit aliquando exiſtentiam habitura.

Deinde, dum Ariſtoteles ait, non eſſe neceſſe, ut una ex duabus propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti, ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa; loquitur de neceſſitate ex ſuppoſitione, ut ex dictis liquet: dum igitur univerſaliter aſſerit, non eſſe neceſsè, ut una ex illis propoſitionibus determinatè ſit vera, & altera falſa; rejicit generaliter omnem ſuppoſitionem, etiam exiſtentiæ aliquando habendæ, ratione cujus neceſſe ſit, unam illarum propoſitionum eſſe determinatè veram, & alteram determinatè falſam.

Ad D. Thomam reſpondet 1. Mendoſa diſp. 9. de anima, D. Thomam non loqui de ſingularibus propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti ſecundùm ſe, ſeu quoad ſe, ſed tantùm quoad nos; adeò ut non poſſimus djiudicare, quænam ſit determinatè vera, & quæ determinatè ſit falſa: licèt id notum ſit Deo atque Prophetis, reſpectu quorum proinde una determinatè vera eſt, & altera falſa. Sed contra in primis ex eo arguitur, quòd ſi ita eſſet, nullum foret diſcrimen inter propoſitiones contradictorias de præterito, vel præſenti; & eas, quæ ſunt de futuro contingenti; cùm etiam nequeamus ſæpè djiudicare naturaliter, quænam ex duabus contradictoriis de preterito, vel de præſenti, ſit determinatè vera, & quæ determinatè ſit falſa; ut patet in his duabus propoſitionibus: *Petrus interiit cogitavit, vel cogitat, de occidendo*

inimico: *Petrus interiùs non cogitavit, vel non cogitat, de occidendo inimico.*

Deinde, si ante decretum Dei, una ex duabus contradictoriis de futuro contingenti esset respectu Dei determinatè vera, v. g. ista: *Petrus disputabit*; & opposita, v. g. hæc: *Petrus non disputabit*: foret determinatè falsa; maximè, quia disputatio Petri, ante decretum Dei, verè futura est determinatè respectu Dei: atqui hoc dici nequit juxta mentem S. Thomæ: ergo &c. Ma. est ipsa Adversariorum doctrina. Prob. min. ex D. Thoma 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. ubi hæc scribit: *Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret: undè sublata causa, non esset futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna; unde non sequitur, quòd ea, quæ sunt, semper fuit verum, ea esse futura; nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura; quæ quidem causa est solus Deus.* Quibus verbis apertè declarat Sanctus Doctor, intantùm aliquid verè esse futurum, respectu causæ primæ & sempiternæ, sive respectu Dei, inquantùm ab eo determinatum, aut decretum est, ut aliquando esse habeat: ac proinde sentit, ante determinationem, aut decretum Dei, nihil respectu ipsius verè esse futurum. Quam doctrinam tradit aliis multis in locis sæpè.

Respondet 2. Puteanus in 1. p. q. 14. a. 13. dubit. 1. unam ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, ante decretum Dei, non esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam; si objectum talis propositionis (scilicet res contingens) consideretur præcisè ut contingens, quia sic potest esse, & non esse: benè tamen, si spectetur ut determinatè futurum. Sed hæc responsio supponit, res contingentes esse determinatè futuras ante decretum Dei; quod superiùs ex D. Thoma, & ex ratione, ostensum est, esse falsum.

Prob. 2. si ex duabus propositionibus singularibus

bus contradictoriis de futuro contigenti, una, v. g. iſta: *Antichriſtus erit*: foret determinatè vera; & altera, v. g. hæc: *Antichriſtus non erit*: eſſet determinatè falſa, ante decretum Dei; maximè, quia Antichriſtus tunc verè eſt determinatè futurus: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. ultrò concedunt Adverſarii. Min. autem conſtat ex dictis: oſtenſum enim eſt ſuprà, nullum contigens ante decretum Dei eſſe determinatè futurum.

§. V.

Tertia difficultas explanatur.

DIco 3. una ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti, ante decretum Dei, non eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa; ſi particula, determinatè, ſupra propoſitionem cadat.

Prob. 1 ut ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti, ante decretum Dei, una foret determinatè vera, & altera determinatè falſa, particula, *determinatè*, ſupra propoſitionem cadente; requireretur, ut in particulari, una determinatam veritatem haberet, & altera determinatam obtineret falſitatem: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. evidens eſt. Prob. min. deſtruendo adverſariorum fundamentum. Si in particulari una ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti, ante decretum Dei, determinatam veritatem haberet, & altera determinatam obtineret falſitatem, maximè quia hoc exigit vis, & natura contradictionis; prout plures adverſarii aſſerunt: atqui id non exigit vis & natura contradictionis; ut ſuprà demonſtratum eſt: ergo &c.

Prob. 2. & evertitur aliud fundamentum Adverſariorum: ſi ex duabus &c. una in particulari

foret

foret vera determinatè, & altera determinatè falsa; maximè ex suppositione eventus futuri: ex eo enim, inquiunt Adversarii, quòd Antichristus sit eventum aliquando habiturus, sequitur, hanc propositionem in particulari: *Antichristus erit*: esse determinatè veram; & istam: *Antichristus non erit*: esse determinatè falsam: atqui hæc suppositio ante divinum decretum non est admittenda; ut probatum est suprà: ergo &c.

Prob. 3. ratione fundamentali: propositio determinatè vera dicitur illa, quæ rei enunciatæ determinatè conformis est; propositio autem determinatè falsa vocatur ea, quæ rei enunciatæ est determinatè difformis: atqui ante decretum Dei, una ex propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti, in particulari sumpta, v. g. hæc: *Antichristus erit*: non est determinatè conformis rei per eam enuntiatæ, nimirum Antichristo futuro; & altera, vel opposita, v. g. ista: *Antichristus non erit*: non est determinatè rei enunciatæ difformis; alioquin tunc Antichristus verè, aut reipsa esset determinatè futurus; quod tamen non posse dici, fusè suprà §. II. & §. III. monstratum est: ergo &c.

Ex dictis inferunt Theologi, non dari in Deo scientiam mediam. Ad cujus intelligentiam, advertendum est, Theologos duplicem in Deo admittere scientiam; nimirum scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*. Per priorem Deus cognoscit merè possibilia; quæ nempe nec sunt, nec fuerunt, nec erunt: eis tamen esse non repugnat. Dicitur verò scientia *simplicis* (seu puræ) *intelligentiæ*; quoniam Deus per illam purè res possibiles intelligit, & eas non facit; per posteriorem autem Deus videt, quæ sunt, fuerunt, & erunt, seu præsentia, præterita, & futura; vocatur verò scientia *visionis*, metaphora ducta à potentia visiva; sicut enim potentia visiva intuetur objecta in se ipsis præsentia;

tia; ita viſionis ſcientia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, intuetur, ut præſentia in æternitate Dei: hæc etenim æternitas, inquantùm infinita ſimpliciter, omnes durationum ſpecies, nimirum *præſens, præteritum, & futurum*, comprehendit: quatenus autem æternitas eſt indiviſibilis formaliter, & tota ſimul, ſe extendit ſimul ad omnia, præſentia, præterita, & futura; ita ut tota ſucceſſio ſe teneat ex parte rerum præſentium, præteritarum, & futuratum duntaxat; non verò ex parte æternitatis Dei.

Præter ſcientiam iſtam duplicem, aliam Recentiores Theologi Societatis Jeſu ponunt in Deo ſcientiam, quam vocant *mediam*; quæ apud eos definitur, vel deſcribitur: *Cognitio certa & infallibilis futurorum conditionatorum ante actuale & exercitum Dei decretum.* Docent quippè authores illi, quòd antequam Deus in actu exercito aliquid abſolutè decernat circa noſtræ voluntatis conſenſum futurum, exploret, utrum, ſi det voluntati noſtræ concurſum indifferentem in his, vel illis circumſtantiis, & occaſionibus, ſit ne conſenſura, an non? Addunt que, Deum in tali exploratione certò & infallibiliter cognoſcere conſenſum futurum voluntatis creatæ; qua cognitione poſita, Deus abſolutè decernit (inquiunt) in actu exercito, dare voluntati creatæ concurſum indifferentem, requiſitum ad conſenſum: illamque cognitionem exploratricem conſenſus conditionatè futuri, modo dicto, appellant *ſcientiam mediam*; quoniam apud ipſos, media eſt inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & ſcientiam *viſionis*: Deus enim per priorem cognoſcit poſſibilia, per poſteriorem verò attingit futura abſoluta, & per ſcientiam mediam, inquiunt, Deus certò & infallibiliter percipit contingentia & libera conditionatè & determinatè futura, ante actuale & exercitum divinæ voluntatis decretum: futura autem conditionata ſunt media inter purè poſſibilia, & futura abſoluta.

Hæc

Hæc verò scientia media ex eo in primis confutatur, quòd supponat contingentia & libera ante actuale & exercitum Dei decretum determinatè futura, ex vi eventus ipsorum conditionatè futuri: nullum autem contingens & liberum esse determinatè futurum, & suppositionem eventus futuri in re contingenti & libera, ante decretum Dei, esse chimericam, suprà demonstratum est. Deinde, explorare, an aliquid sit futurum, vel non, denotat ignorantiam in eo, qui explorat; undè explorarationi non vacat, nisi ut ignorantiam vincat, & scientiam acquirat; in Deo autem ignorantia nulla est. Præterea hoc inter dominum, & servum, discrimen intercedit, quòd servus priusquam aliquid pro die crastina decernat, debet quidem explorare consensum futurum voluntatis domini sui: at dominus potest pro tempore futuro absolutè decernere quidquid ipse volucrit; non priùs explorato consensu futuro voluntatis servi: Deus verò sua decreta absoluta condit circa voluntates nostras, tanquam summus & potentissimus omnium Dominus. Sed ampliorem hac de re tractationem ad Theologos remitto.

Quæres, utrum ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro necessario, una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa, divinum ante decretum? Respondeo, futura necessaria esse duplicis generis; quædam enim sunt, quæ ex suo conceptu præsupponunt decretum: ejusmodi est crastinus Solis ortus, vel occasus: cùm etenim futurum istud ad regimen Universi pertineat, non erit, nisi præcedat supremi Rectoris totius Universi decretum. Alia sunt futura necessaria, quæ Dei decretum non præexigunt; hujusmodi sunt objecta istarum propositionum: *Homo erit rationalis*: *Homo erit risibilis*; neque enim ut homo sit rationalis, & risibilis, indiget prævio Dei decreto sed talis est ex natura rei.

Ex

Ex duabus ergo propoſitionibus contradictoriis de futuro neceſſario primi generis, una non eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa, ante decretum Dei; quoniam hoc futurum dependet à præſuppoſito Dei decreto; ejuſmodi ſunt propoſitiones iſtæ: *Sol cras orietur, Sol cras non orietur; Sol cras occidet, Sol cras non occidet.* Ex duabus verò propoſitionibus contradictoriis de futuro neceſſario ſecundi generis, una determinatè vera eſt, & altera determinatè falſa, nullo præconcepto Dei decreto; iſtud enim futurum non præexigit decretum Dei; ut dictum eſt. Hinc ex iſtis duabus propoſitionibus: *Homo erit rationalis; Homo non erit rationalis*: ſicut ex his duabus: *Homo erit riſibilis; Homo non erit riſibilis*: prior determinatè vera eſt, & poſterior determinatè falſa, ante omne decretum Dei.

§. VI.

Adverſariorum objectiones ſolvuntur.

OBjic. 1. ea propoſitio determinatè vera eſt, quam Deus cognoſcit per ſcientiam viſionis: hæc enim ſcientia certa, vera, & determinata eſt: atqui Deus per ſcientiam viſionis, unam, v. g. ex his duabus propoſitionibus contradictoris de futuro contingenti: *Antichriſtus erit*: *Antichriſtus non erit*: nempè primam, cognoſcit; per ſcientiam viſionis quippè Deus attingit omnia futura abſoluta, cujuſmodi eſt Antichriſtus futurus, prout fides docet: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa má. diſtinguendo min. atqui Deus &c. cognoſcit in decreto, concedo: cognoſcit ante decretum illud, nego: Deus enim, per ſcientiam viſionis, cognoſcit quidem omnia futura abſoluta; ſed duntaxat in decreto æterno, quo eorum futuritionem abſolutè prædeterminavit.

In-

Instabis: ista propositio, quam Christus ad Petrum pronunciavit: *Hodie ter me negabis*: erat de futuro contingenti, quoniam Petrus contingenter, & liberè erat Christum negaturus: insuper erat determinatè vera, quia alioquin Christus se exposuisset mentiendi periculo; quod dicere impium est: ergo aliquæ propositiones de futuro contingenti sunt determinatè veræ.

Respondeo concesso ant. distinguendo conseq. ergo aliquæ propositiones de futuro contingenti sunt determinatè verè post Dei decretum, concedo: divinum ante decretum, nego; neque enim Christus præfatam propositionem pronunciavit, nisi post notum sibi decretum Dei permissivum de futuro Petri peccato; quod quidem decretum sciebat esse infallibile, & infallibiliter implendum.

Inst. rursus, opponendo varias prophetias, quæ de futuris contingentibus extant plurimæ in Scripturis sacris; propositiones autem illæ propheticæ erant determinatè verè, ut patet. Addunt adversarii præterea plures authoritates Patrum, Theologorum, & veterum Philosophorum, dicentium, res contingentes esse determinatè futuras, antequam eveniant; & propositiones, quæ de iliis fiunt, esse determinatè veras, vel falsas.

Sed hæc omnia responsione digna non sunt; nec enim superficie tenùs præsentem difficultatem attingunt. Fateor etenim, prophetias de futuris contigentibus determinatam habuisse veritatem, res contingentes esse determinatè futuras, antequam fiant & eveniant, ac propositiones quæ de illis fiunt, esse determinatè veras vel falsas; at solùm dependenter à decreto Dei, & consequenter ad ipsum; non autem independenter ab eo, & antecedenter ad illud.

Dices: si res contingentes forent determinatè futuræ dependenter à Dei decreto sicut à causa, debe-

deberet decretum Dei cauſare in eis determinatam futuritionem; unde, cùm Dei decretum ſit contingens & liberum, res contingentes eſſent futuræ contingenter ac liberè: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Ma. manifeſta eſt. Prob. min. ex D. Auguſtino lib. 26 contra Fauſtum cap. 4. ubi ſic ait: *Tam non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita*. Et D. Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ cum libertate, hæc ſcribit: *Rem futuram neceſſe eſt eſſe futuram; quoniam futura eſſe nequit, & non futura*. Ex qua doctrina colligitur, res eſſe neceſſariò futuras.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Dum verò ajunt D. Auguſtinus, & D. Anſelmus, res, etiam contingentes ac liberas, neceſſariò eſſe futuras, loquuntur de neceſſitate ſolùm ex ſuppoſitione; ſuppoſito enim, quòd res contingentes & liberæ ſint futuræ, neceſſe eſt, eas eſſe futuras; neceſſitas autem ex ſuppoſitione, contingentiam & libertatem non excludit; ut communiter docent omnes.

Objic. 2. hæc propoſitio de futuro contingenti: *Antichriſtus peccabit*; eſt determinatè vera, independenter à decreto Dei; non autem dependenter ab illo, tanquam à cauſa: ergo aliqua propoſitio de futuro contingenti independenter à divino decreto, determinatè vera eſt. Prob. ant. ut illa propoſitio foret determinatè vera dependenter à decreto Dei, ſicut à cauſa; deberet objectum ejus, nempè futurum Antichriſti peccatum, in ſua futuritione determinata, verè à Dei decreto, veluti à cauſa, dependere; ut patet: atqui hoc dici nequit; alioquin Deus per decretum ſuum poſſet dici cauſa peccati Antichriſti: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. conceſſa ma. nego min. futurum quippè Antichriſti peccatum, quoad materiale, in ſua futuritione determinata, verè à Dei decreto poſitivo, veluti à

cauſa

causa positiva, dependet; quoad formale verò pendet à decreto Dei permissivo, sicuti à causa permissiva. Nec absurdum est ullo modo, dicere, Deum per decretum positivum esse causam positivam futuri peccati Antichristi, quoad materiale, seu quoad realem ac positivam physicamque ejus entitatem; esse quoque causam permissivam ejusdem peccati quoad formale, seu quoad malitiam ejus moralem.

Inst. si Deus per decretum suum causaret futurum Antichristi peccatum, Deus peccaret; causare enim peccatum, idem est ac peccare: atqui absurdum est dicere, quòd Deus peccet; hoc namque repugnat summæ ejus sanctitati: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si Deus &c. Deus peccaret materialiter, influendo positivè in materiale peccati, concedo: Deus peccaret formaliter, causando formale peccati, subdistinguo: peccaret formaliter permissivè, permittendo formale peccati, concedo: peccaret formaliter positivè, positivè causando formale peccati, nego: nulla verò absurditas est, dum dicitur, Deum posse peccare materialiter, vel etiam formaliter permissivè; neque id summæ sanctitati Dei ullo modo repugnat.

Urgebis: illud Deus non permittit, quod prohibet: atqui Deus prohibet peccatum quoad formale: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. illud Deus non permittit permissione positivè dispensante, quod prohibet, concedo: non permittit permissione negativa, vel suspensiva, nego; sicut enim homo auferendo columnam, quæ lapidem sustentando, impediebat, ne caderet, aut descenderet, censetur permittere casum aut descensum lapidis cadentis vel descendentis: ita pari modo Deus negando aut suspendendo gratiam suam, quam dare non tenetur, quæ tamen si adesset, peccatum quoad formale, aut malitiam moralem,

impediret; cenſetur ipſum permiſſione negativa, vel ſuſpenſiva, permittere, quamvis in eo cum peccatore politivè non diſpenſet.

Objic. 3. ea propoſitio determinatè vera eſt; quæ eſt determinatè conformis objecto; etenim determinata propoſitionis veritas, in determinata conformitate ipſius cum objecto ſita eſt: atqui hæc propoſitio: *Antichriſtus erit*: (quæ eſt de futuro contingenti) eſt ſuo objecto determinatè conformis: ergo &c. Prob. min. tunc propoſitio eſt determinatè objecto conformis, quando objectum ita ſe habet, ſicut per eam enunciatur: atqui objectum illius propoſitionis: *Antichriſtus erit*: nempè Antichriſtus exiſtentiam habiturus, ita ſe habet, ſicut per eam affirmatur; revera enim Antichriſtus eſt aliquando exiſtentiam habiturus, prout in Scriptura ſacra revelatur: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui hæc propoſitio: *Antichriſtus erit*; eſt ſuo objecto determinatè conformis, virtute decreti divini futuritionem Antichriſti determinantis, concedo: independenter à divino decreto, nego. Ad probationem min. iterum concedo ma. diſtinguo min. atqui objectum &c. virtute decreti divini, ita ſe habet &c. concedo: atqui objectum &c. independenter à divino decreto, ita ſe habet &c. nego.

Inſt. ea propoſitio de futuro eſt determinatè vera, quæ aliquando ſuam de *inesſe*, ſeu de præſenti, obtinebit determinatè veram; ut enim communiter dicitur, *Veritas propoſitionis de futuro, per veritatem propoſitionis de præſenti regulatur*: atqui iſta propoſitio: *Antichriſtus erit*: aliquando habebit ſuam de præſenti determinatè veram; aliquando ſiquidem verum determinatè erit dicere: *Antichriſtus nunc exiſtit*; prout Chriſtiana fides docet: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui iſta propoſitio: *Antichriſtus erit*; virtute divini

vini decreti, futuritionem Antichristi determinantis, aliquando habebit &c. concedo: atqui ista propositio: *Antichristus erit*: independenter à Dei decreto, aliquando habebit &c. nego. Unde aliquando erit quidem determinatè verum dicere: *Antichristus nunc existit*: at dependenter solùm à decreto Dei, quo Deus ipse ab æterno Antichristi futuritionem, pro illo tempore, determinavit.

Inst. rursus: illa propositio: *Antichristus erit*: non significat decretum Dei, sed duntaxat Antichristum futurum: ergo ut illa propositio sit determinatè vera, decretum Dei non requiritur, sed sufficit, ut Antichristus determinatè sit futurus, sive existentiam aliquando habiturus.

Respondeo distinguendo ant. illa propositio: *Antichristus erit*: non significat formaliter (seu per modum objecti formalis) decretum Dei, sed duntaxat &c. concedo: non significat fundamentaliter (sive per modum fundamenti determinatæ futuritionis Antichristi, & determinatæ veritatis objectivę ejusmodi propositionis) decretum Dei, sed duntaxat &c. nego ant. & consequentiam: ut enim propositio illa sit determinatè vera, opus est fundamento determinatæ futuritionis Antichristi, & determinatæ veritatis objectivæ ejusdem propositionis.

§. VII.

Aliæ objectiones diluuntur.

Objic. 4. ex duabus propositionibus cõtradictoriis una debet esse vera determinatè, & altera determinatè falsa; id enim vis & natura contradictoriæ oppositionis exigit: atqui duæ propositiones istæ: *Antichristus erit*: *Antichristus non erit*: sunt contradictoriæ, Dei ante decretum: ergo &c.

Respondeo 1. distinguendo ma. ex duabus propositionibus cõtradictoriis &c. si habeant objecta de-

determinata, tranſeat: ſi earum objecta ſint indeterminata, nego; objecta verò illarum propoſitionum, (nempè *Antichriſtus futurus*, & *Antichriſtus non futurus*) ante decretum Dei, ſunt planè indeterminata; cùm ante decretum, aut determinationem divinæ voluntatis, nihil ſit de futuritione, aut non futuritione Antichriſti, determinatum.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ma. ex duabus propoſitionibus cõtradictoriis &c. ex ſuppoſitione cõcedo: abſolutè, nego. Senſus diſtinctionis eſt, quòd vis & natura oppoſitionis contradictoriæ exigit, ut nunquam duæ propoſitiones contradictoriæ poſſint eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ ſed ex ſuppoſitione, quòd una ſit vera determinatè, falſa ſit determinatè & altera: at eadem contradictionis natura non petit, ut determinatè una iin particulari ſit vera, atque altera falſa, abſolutè loquendo. Ex duabus autem propoſitionibus allatis: *Antichriſtus erit*: *Antichriſtus non erit*: Dei ante decretum, neutra eſt determinatè vera, vel falſa; ut ex dictis patet.

Inſtabis: ex ſententia noſtra ſequitur, duas illas propoſitiones contraditorias eſſe ſimul falſas: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Prob. ſeq. ma. eæ propoſitiones ſunt falſæ, quæ aliquid falſum ſignificant; ita autem ſe habent duæ propoſitiones illæ ante Dei decretum. Prior enim: *Antichriſtus erit*: ſignificat Antichriſtum eſſe determinatè futurum; quod tunc falſum eſt. Poſterior autem: *Antichriſtus non erit*: deſignat, Antichriſtum determinatè non eſſe futurum; quod etiam tunc falſum eſt; cùm Dei ante decretum, ex ſententia noſtra, nihil determinatè ſit futurum, vel non futurum.

Reſpondeo negando ſequelam ma. juxta etenim commune axioma: *Ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa*: & ideò, ut illa propoſitio: *Antichriſtus erit*: determinatè foret falſa ante decretum Dei, deberet tunc Anti-

christus determinatè essenon futurus; similiter ut altera propositio: *Antichristus non erit*: esset determinatè falsa, idem ante decretum, deberet tunc Antichristus esse determinatè futurus: ex dictis autem constat, Antichristum, ante Dei decretum, nec esse determinatè futurum, nec determinatè non futurum.

Instabis rursus: saltem ista propositio: *Antichristus determinatè erit*: est falsa, divinum ante decretum; quandoquidem affirmat aliquid apertè falsum: ergo ejus opposita debet esse determinatè vera; etenim ex duabus contradictoriis una sit falsa, altera sit vera, necesse est; ut ex dictis liquet.

Respondeo negando ant. ut enim propositio affirmativa, propriè sit falsa, debet positivè & actu affirmare falsum: illa autem propositio, ante decretum Dei, positivè & actu non significat aut affirmat falsum; non quidem mediante intellectu creato, cum intellectus creatus nequeat præcedere æternum Dei decretum; neque mediante intellectu divino affirmante, cùm divinus intellectus non possit affirmare falsum. Illa igitur propositio: *Antichristus determinatè erit*: positivè & actu non affirmat, divinum ante decretum, Antichristum esse determinatè futurum; sed duntaxat illud affirmat negativè, & aptitudinaliter, quatenus habet non repugnantiam, aut aptitudinem, ut mediãte Dei decreto superveniente, affirmet Antichristum determinatè esse venturum. Unde præfata propositio negativè & aptitudinaliter solùm vera est.

Urgebis: si propositionum illarum de futuro contigenti: *Antichristus erit*: *Antichristus non erit*: neutra foret vera determinatè, aut falsa, sed utraque esset ad determinatam veritatem, aut falsitatem, indifferens, Dei ante decretum; etiam illius objectum, nempè Antichristus, foret indifferens ad determinatam futuritionem, vel determinatam non futuritionem; propositio

nam

namque debet objecto proportionari : atqui Antichristus nequit dici ad determinatam futuritionem, & determinatam non futuritionem, indifferens; cùm duo illa contradictoriè opponantur, & inter duo contradictoria non detur medium, etiam per differentiam; ut communiter docent Philosophi : ergo &c.

Respondeo distinguendo majo. si propositionum &c. etiam illius objectum &c. foret indifferens ad determinatam futuritionem, vel determinatam non futuritionem positivam, concedo: si foret indifferens ad determinatam futuritionem, vel determinatam non futuritionem negativam, nego. Itaque determinata non futuritio, potest esse, vel negativa, vel positiva. Determinata non futuritio negativa, est negatio determinatæ futuritionis; & ad hanc determinatam non futuritionem non est indifferens Antichristus, divinum ante decretum; sed potiùs tunc importat negationem determinatæ futuritionis: determinata verò non *futuritio positiva*, est ea, *secundùm* quam res aliqua positivè determinata est ad hoc ut nunquam sit futura : ad determinatam autem futuritionem, & determinatam non futuritionem ultimo modo explicatam, Antichristus ante decretum Dei est planè indifferens; etenim Dei decretum est determinatio divinæ voluntatis, antequam Antichristus, nec est determinatè futurus, nec determinatè nunquam futurus. Et cùm oppositio contradictoria, sit inter *ens*, & *non ens*; nequit inter duo extrema positiva (cujusmodi sunt determinata futuritio, & determinata non futuritio positiva) reperiri.

Dices : Antichristus verè est determinatè futurus: ergo non est indifferens ad determinatam futuritionem, & determinatam non futuritionem, etiam positivam. Prob. ant. futurum determinatum est illud, quòd determinatè aliquando erit: atqui Antichristus aliquando determinatè erit; ut certum est: ergo &c.

Respondeo ex doctrina superiùs tradita distinguendo ant. Antichristus, post Dei decretum, sive virtute divini decreti, verè est determinatè futurus, concedo: Antichristus, ante decretum Dei, sive independenter à Dei decreto, verè est determinatè futurus, nego: quæ distinctio applicanda est consequenti. Ad prob. ant. data ma. distinguo min. atqui Antichristus virtute divini decreti, determinatè aliquando erit, concedo: independenter à Dei decreto, nego min. & consequentiam sub distinctione data.

Dices iterum: hæc propositio disjunctiva: *Antichristus erit, vel non erit*: est determinatè vera, etiam divinum ante decretum: ergo pars ejus altera est determinatè vera; ad determinatam quip. pè propositionis disjunctivæ veritatem, opus est, ut altera pars ejus sit determinatè vera.

Respondeo distinguendo ant. hæc propositio &c. si sumatur, prout est simplex propositio, de extremo aut de prædicato disjuncto, & æquivalet huic propositioni; *Antichristus determinatè est futurus, vel non futurus, non futuritione negativa*: concedo; reipsa enim tunc antichristus est non futurus, non futuritione negativa; ut ex dictis liquet: si præfata propositio accipiatur, prout est æquivalens isti propositioni compositæ: *Vel Antichristus est futurus*: (determinatè) *vel Antichristus est* (determinatè & positivè) *non futurus*: nego: licèt autem, ut illa propositio dijunctiva foret determinatè vera, secundo modo usurpata, requireretur, ut una propositio simplex componens esset determinatè vera; hoc tamen non exigitur, ut sit determinatè vera primo modo accepta; sed omninò sufficit, ut futuritio determinata, & non futuritio determinata negativa, pugnent inter se, & eidem subjecto, v. g. Antichristo, etiam ante Dei decretum, simul convenire non possint.

Objic. 5. proprietas propositionis debet convenire propositionibus de futuro contingenti: atqui

qui determinata veritas est propositionis proprietas: ergo &c. Respondeo distinguendo ma. proprietas propositionis ab objecto determinato independens, debet cõvenire, &c. concedo: proprietas propositionis dependens ab objecto determinato, debet convenire &c. subdistinguo: debet convenire propositioni conformi objecto determinato, concedo: debet convenire propositioni nondum conformi objecto determinato, nego; veritas verò determinata propositionis dependet ab objecto determinato; est quippè conformitas cum determinato objecto; sic propositio de futuro contingenti ante decretum, aut determinationem Dei, nondum est determinato objecto conformis; ut ex dictis patet.

Instabis: determinata veritas, & determinata falsitas, contrariè opponuntur: ergo debet altera convenire propositioni de futuro contigenti ante decretum Dei.

Respondeo negando conseq. dari enim potest in subjecto aliquo, sub præcisione considerato, negatio utriusque extremi contrarii; si homo præcisè secundùm essentiam spectatus, nec est albus, nec niger; cùm neutrum sit de hominis essentia: undè quamvis determinata, vel veritas, vel falsitas, absolutè conveniat omni propositioni de futuro contigenti, non tamen si propositio illa consideretur præcisè, divinum ante decretum; quoniam ita spectata præcedit determinatæ veritatis vel falsitatis suæ fundamentum.

Dices: ex his duabus propositionibus: *Antichristus erit*: *Antichristus non erit*: saltem confusè & indeterminatè, ante decretum Dei, una est vera.

Respondeo cum distinctione: ex his, &c. saltem confusè &c. ob indeterminationem primæ causæ, concedo; supposita enim indeterminatione primæ causæ, ob carentiam decreti circa futuritionem, vel non futuritionem positivam Antichristi, indeterminatè ac confusè una ex aliaris

propositionibus vera est, & altera falsa, pro instanti sequenti: ob ignorantiam, qua nescimus, quæ sit vera, & quæ falsa; licèt, reipsa, quoad intellectum divinum, una sit vera, & altera falsa, nego.

Dices iterum: ista propositio universalis: *Omnis homo disputabit*: ante Dei decretum, est falsa: ergo ejus contradictoria: *Aliquis homo non disputabit*: tunc est vera; supposito enim, quòd ex duabus propositionibus contradictoriis una sit falsa, altera sit vera necesse est; ut ex dictis liquet.

Respondeo distinguendo ant. ista propositio &c. est moraliter falsa, concedo; juxta enim moralem prudentum æstimationem, etiam ante decretum Dei, falsum aut incredibile videtur, omnes homines esse à Deo determinandos ad disputandum: ista propositio, &c. est physicè falsa; ita ut objectum oppositum objecto illius propositionis sit tunc physicè aut de facto determinatum, nego; & dico similiter, contradictoriam propositionem nempè istam: *Aliquis homo non disputabit*: esse tunc veram moraliter; quoniam tunc credibile fuit, Deum non esse determinaturum aliquem hominem ad disputandum: nego tamen propositionem illam esse veram physicè, divinum ante decretum; quia objectum illius propositionis tunc, (nimirum non futura alicujus hominis disputatio) nondum concipitur physicè aut de facto determinatum. Non est tamen eadem ratio de hac propositione singulari: *Hic homo non disputabit*. cùm enim propositio contradictoria, sit inter propositionem universalem, & propositionem particularem; ista propositio singularis: *Hic homo non disputabit*: propriè non opponitur contradictoriè illi propositioni universali: *Omnis homo disputabit*: & ideò non est necesse, ut præfata propositio singularis dicatur moraliter vera, Dei ante decretum.

Objic. ultimò: saltem ex his duabus propositioni-

nibus ſingularibus de futuro contingenti: *Deus decernet Antichriſtum venturum*: *Deus non decernet Antichriſtum venturum*: una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa.

Reſpondeo negando ſuppoſitum; ſupponit namque argumentum, poſſe Dei decretum, v.g. de futuritione, aut de futuro eventu Antichriſti, concipi, cum fundamento à parte rei, ut futurum: hoc autem negat D. Thomas q. 6. de veritate art. 3. ad 10. his verbis: *Actus prædeſtinationis*, (id eſt actus decreti) *cùm menſuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum; ſicut nunquam eſt futurus; ſed ſemper conſideratur, ut egrediens à voluntate, per modum libertatis.* Et meritò, dum enim decretum voluntatis eſt futurum, voluntas eſt in potentia ad illud; cùm autem Deus ſit actus purus, omnis potentialitatis expers, nequit cum fundamento à parte rei in Deo, divina voluntas concipi in potentia ad ſuum decretum; Deus ergo non præcedit ſuum decretum prioritate *inſtantis*, in quo ſit, vel concipiatur, ſine decreto ſuo; ſed ſemper eſt, & concipitur cum illo, ut exercitè poſito: ipſumque prævenit duntaxat virtuali prioritate naturæ aut cauſalitatis, videlicet tanquam virtualis ejus cauſa; & à decreto divino ſic ſpectato pendet determinata veritas, vel falſitas cujuslibet propoſitionis de futuro contigenti.

LOGICÆ MAJORIS

PARS TERTIA.

CUm Logica propter rationem dirigendam instituatur; in hac Tertia Parte Logicæ agendum est de eo, cujus cognitione, tertia rationis aut mentis operatio dirigitur. Hæc autem operatio est *discursus*, quo intellectus arguendo, ab ant. ad consequens veluti currit: recta igitur argumentationis notitia, est regulanda tertia mentis operatio: argumentatio verò rectè definiri solet: *Oratio, in qua unum ex alio infertur*. Triplex autem est argumentatio; nimirum conditionalis, causalis & rationalis. Duarum priorum argumentationum usus apud Philosophos rarus est. Posterior verò est illa, in qua rationalis particula, *ergo*, vel alia similis, assumitur, ad consequens ex antecedente inferendum.

Argumentatio rationalis solet à dialecticis in Syllogismum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum distribui. Tres posteriores argumentationis rationalis species, fusè in institutionibus Logicis explanatæ fuere. Syllogismus verò definitur: *Oratio constans ex duabus præmissis unientibus extrema cum medio, & conclusione, extrema inter se uniente*. Varia ibidem adduximus syllogismi divisiones; sed inter eas, celeberrima est ea, qua syllogismus distribuitur in *Apodicticum* (seu demonstrativum) Topicum (seu probabilem) & Sophisticum (seu fallacem) & de his tribus syllogismi speciebus disputandum est in tribus quæstionibus sequentibus.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De syllogismo demonstrativo, seu de demonstratione.

SOlent Philosophi de rebus disputaturi, priùs de eis in communi, & deinde de ipsis in particulari, differere. Ideòque in primis de demonstratione in communi agendum est, exponendo naturam demonstrationis per definitionem ejus; & deinde differendum est de demonstrationibus in particulari, sive de singulis speciebus demonstrationis, nec non de proprietatibus ejus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit demonstratio, & quas habeat proprietates?

QUid res sit, definitio ejus exponit; definitio namque est *oratio explicans naturam rei*: rei autem natura solet *quidditas* ejus appellari. Ut ergo explicetur, quid sit demonstratio, statim est definienda. Communiter autem definitur: *Syllogismus constans ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus*. Bonitas hujus definitionis ex eo colligitur, quòd conveniat omnibus demonstrationibus; nisi enim syllogismus constet ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus, non censebitur *demonstratio*; undè tunc solùm intellectus dicitur demonstrativè objectum aliquod cognoscere, quando ipsum necessariò, certò, & evidenter percipit. Hinc, ut infrà patebit, præmissæ demonstrationis necessitant intellectum ad assensum conclusionis. Præterea in illa definitione assignatur differentia essentialis, qua demonstratio, seu syllogismus demonstrativus, discrepat à syllogismo probabili,

(qui coalescit solùm ex probabilibus propositionibus, quæ utique contingentes sunt, incertæ, ac inevidentes) & à sophistico (qui componitur tantummodò ex propositionibus apparenter veris, quæ reipsa nec sunt necessariæ, nec certæ, nec evidentes.)

Demonstratio in communi rectè etiam definitur: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*. Ita docet Aristoteles hic libro 1. cap. 2. Sensus conclusionis & definitionis est, demonstrationem esse syllogismum causantem scientiam, id est, cognitionem certam & evidentem. Hoc etiam commune est omnibus demonstrationibus, prout constant ex propositionibus certis & evidentibus: id verò non convenit syllogismo probabili, & opinativo; quoniam hic syllogismus efficit duntaxat opinionem, quæ est cognitio incerta & inevidens. Illud quoque non competit syllogismo sophistico aut fallaci; quia syllogismus iste solùm producit errorem, qui est cognitio falsa.

Prior demonstrationis definitio est essentialis: quoniam ejus naturam explicat per partes ejus essentiales. Posterior autem definitio est duntaxat descriptiva; cùm tradatur tantùm, vel per effectum, nempè per scientiam, quæ est proprius demonstrationis effectus: vel per causam finalem, seu per finem; demonstratio quippe ad productionem scientiæ, velut ad finem, ordinatur.

Aristoteles loco citato iterùm hanc demonstrationis definitionem tradit: *Demonstratio est syllogismus constans propositionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis*. Debet in primis demonstratio constare ex propositionibus veris; quoniam causare debet scientiam, quæ est cognitio vera. Debent insuper demonstrationis præmissæ esse propositiones *primæ* & *immediatæ*, seu prima & immediata principia, quibus nempè non sint alia priora, qui-

quibus à priori probentur. Quod venit sic intelligendum, ut dum aliquis demonstrativè arguit, præmissæ argumẽti, seu syllogismi, debeant esse prima principia; vel arguens debeat ita se habere, ut possit præmissas statim ad prima principia reducere. Præterea quando demonstratio est à priori, necesse est, ut præmissæ sint causæ conclusionis, proindèque ea priores; & ob hanc rationem vocatur *demonstratio à priori*: & quia causa quoad se notior est effectu; idcirco opus est, ut præmissæ demonstrationis à priori, sint quoad se, conclusione notiores.

Dividitur autem demonstratio, in demonstrationem *à priori*, & demonstrationem *à posteriori*. Prior, ut ipsa verba indicant, est illa, in qua medium est aliquid prius conclusione, non solùm *in cognoscendo*, quod commune est omni demonstrationi; verùm etiam *in essendo*, seu ex parte ipsarum rerum. Unde aliter vocatur demonstratio *à causa*, vel demonstratio *cur*, *quamobrem*, &c. Hinc potest definiri: *Syllogismus faciens scire per veram rei causam*: hujusmodi est syllogismus iste: *Omne rationale est risibile: atqui omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*: etenim *rationale* vera est risibilitatis causa.

Demonstratio autem *à posteriori* sic appellatur quia in ea medium est aliquid conclusione posterius; ut dum per effectum demonstramus causam, effectus namque est causa posterior: ejusmodi est syllogismus iste: *Omne risibile est rationale: atqui omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis*: etenim *risibile* est proprietas, & effectus *rationalis*, ac proinde est aliquid illo posterius.

Rursus dividitur ab Aristotele hìc cap. 10. in demonstrationem, *propter quid*; & in demonstrationem, *quia*. Prior est, quæ probat passionem seu proprietatem inesse subjecto, & simul ostendit, *propter quid* illi conveniat; ponendo ni-

mirum in præmiſſis, pro medio, propriam & adæquatam hujuſmodi paſſionis cauſam, quæ nempè cum illa convertibilis eſt, adeò ut de ſe mutuò inferantur; hujuſmodi eſt hic ſyllogiſmus: *Omne rationale eſt diſcurſivum: atqui omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt diſcurſivus*: nam *rationale* eſt propria & adæquata cauſa, propter quam *diſcurſivum* competit homini, eſtque cum illo convertibile; rectè namque arguitur: *Homo eſt rationalis: ergo eſt diſcurſivus*; & vice verſa: *Homo eſt diſcurſivus: ergo eſt rationalis*. Rectè autem demonſtratio *propter quid* definiri poteſt: *Syllogiſmus conſtans ex præmiſſis certis, evidentibus, ac neceſſariis, aſſumentibus pro medio propriam atque adæquatam concluſionis cauſam*; quæ definitio eſſentialis eſt. Vel: *Syllogiſmus faciens ſcire per propriam adæquatamque rei cauſam*; quæ definitio eſt deſcriptiva.

Duplex verò aſſignari poteſt proprietatis cauſa adæquata: una nempè realis, & altera virtualis. Prior eſt à qua proprietas realiter diſtinguitur, & ex qua realiter reſultat: ejuſmodi eſt *rationale* reſpectu *riſibilis*. Poſterior autem eſt, à qua proprietas diſtinguitur & emanat virtualiter ſolùm, *ideſt*, per intellectum cum fundamento à parte rei; *talis* eſt in Deo immutabilitas reſpectu æternitatis: ut ſi quis hoc modo arguat: *Quod eſt immutabile, eſt æternum: atqui Deus eſt immutabilis: ergo Deus eſt æternus*.

Demonſtratio, *quia*, eſt illa, in qua probatur quidem, proprietatem ineſſe aut convenire ſubjecto: non adducitur tamen, *propter quid* illi competat, id eſt, non affertur propria & adæquata ejus cauſa. Unde definiri poteſt: *Syllogiſmus conſtans ex præmiſſis neceſſariis, certis, ac evidentibus, aſſumentibus pro medio, non cauſam propriam, adæquatam, & convertibilem; ſed aliquid aliud, neceſſariam habens cum concluſione connexionem*.

Tribus autem modis, ut ibidem docet Philoſo-

sophus, potest fieri demonstratio, *quia*. Primò quidem, dum causa per effectum proprium, adæquatum, & convertibilem, ostenditur, ver. g. *rationale* per *risibile*; dicendo. *Omne risibile, est rationale: atqui omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis*. Secundo fit demonstratio, *quia*, cùm in præmissis pro medio ponitur causa remota, non convertibilis, & latiùs patens, ad ostendendum effectum; ut si aliquis ita arguat: *Omne respirans est animal: atqui nullum lignum est animal: ergo nullum lignum est respirans*; nam *animal* est respirationis causa solùm remota, non convertibilis, & latiùs patens; latiùs siquidem patet *animal*, quàm respirans; adeò ut, quamvis omne *respirans* sit animal, non tamen omne animal sit respirans; sed illud tantùm quod habet pulmones, defectu quorum pisces non respirant, licèt sint vera animalia. Tertio tamdem modo fit demonstratio, *quia*, sola probando conclusionem experientia. Ex dictis infertur, quotuplex sit demonstratio; quotuplex enim res sit, ex ejus divisione est colligendum.

Quæres 1. quænam sit regula ad cognoscendam propositionem per se notam, quæ sit primum & immediatum principium?

Respondeo, regulam generalem assignari à Divo Thoma 1. p. q. 2. a. 1. dum ait, propositionem per se notam, esse eam, cujus prædicatum per se convenit subjecto, in primo perfeitatis modo. Circa quod advertendum est, quadrupliciter prædicatum posse dici per se de subjecto. Primò quidem, dum prædicatum est de essentia subjecti; ut in hac propositione: *Omnis homo est rationalis*. Secundò, cùm prædicatum est proprietas subjecti; ut in ista propositione: *Omnis homo est risibilis*. Tertiò, dum in propositione modus existendi per se attribuitur substantiæ; ut si dicas: *Substantia existit per se*. Quartò demùm, cùm in propositione, operatio, vel effectus, tribuitur causæ per se ipsius; ut si dicas:

Me-

Medicus curat: si autem dicatur: *Accidens existit per se*: vel: *Medicus ædificat*: non erunt propositiones de prædicato per se in tertio, vel quarto modo, sed per accidens solùm. Quotiescumque ergo prædicatum per se convenit subjecto, in primo perfeitatis modo, ita ut sit de essentia subjecti: tunc propositio dicitur per se nota quoad se, & primum ac immediatum principium, à priori indemonstrabile.

Quæres 2. quomodo sit intelligendum illud axioma: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale?* Respondeo, duas requiri conditiones, ut illud effatum sit verum. Prima est, quòd prædicatum, de quo agitur, conveniat formaliter iis, inter quæ fit comparatio, adeò ut prædicatione formali verè de illo affirmetur. Secunda conditio est, quòd idem prædicatum conveniat uni eorum per se, & ratione sui; alteri autem dependenter ab illo. Falsum autem est, quoties desunt duæ illæ conditiones, vel etiam deest altera earum: hinc est falsum: *Homo est corruptibilis propter materiam primam: ergo materia prima est magis corruptibils*: quoniam corruptibilitas formaliter non convenit materiæ primæ, cùm potiùs ingenerabilitas & incorruptibilitas sint proprietates materiæ primæ. Verè tamen rectèque dicitur: *Medicina est bona & desiderabilis propter sanitatem; ergo sanitas melior est, magisque desiderabilis*; quia bonitas & desiderabilitas formaliter competunt, & medicinę, & sanitati; & præterea conveniunt sanitati per se ac ratione sui, medicinæ verò dependenter à sanitate. Unde cùm præmissæ, & conclusio demonstrationis *propter quid*, sint evidentes certæque formaliter, & aliunde evidẽtia cum certitudine comperat conclusioni dependenter à præmissis, rectè arguit Philosophus, dum probat, præmissas illas esse evidentiores, seu notiores, certioresque conclusione, ex illo axiomate: *Propter quod*, & ex eo nempè, quòd conclusio sit evidens certaqu

pro-

propter præmissas, & dependenter ab ipsis.

Quæres 3. utrum divisio in demonstrationem *propter quid*, & in demonstrationem, *quia*, sit adæquata? Respondeo affirmativè. Tunc enim totum aliquod adæquatè dividitur, quando divisio illa comprehendit omnia ejus membra, ita ut nullum sit ejus membrum, quod in tali divisione non contineatur: illa verò demonstrationis divisio omnium demonstrationum genera complectitur, adeò ut nullum sit demonstrationis genus, quod in ejusmodi divisione non contineatur; etenim cujuscumque generis sit demonstratio, vel assignat adæquatam conclusionis causam, & sic est demonstratio, *propter quid*; vel non assignat, & sic est demonstratio, *quia*.

Quæres 4. utrum eadem divisio sit univoca? Respondeo affirmativè: nam divisio univoca est ea, in qua membra dividentia, univocè seu æqualiter participant naturam totius divisi; demonstratio verò, *propter quid*, & demonstratio, *quia*, æqualiter obtinent naturam demonstrationis in communi, quæ in ipsas dividitur, *id est*, æqualiter constant ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus. Quòd autem demonstratio, *propter quid*, & demonstratio, *quia*, in hoc inæquales sint, quòd prima assignat causam adæquatam, non verò secunda; hoc earum univocationem non impedit, quoniam inæqualitas illa non est ex parte rationis communis, sed dumtaxat ex parte differentiarum.

Quæres 5. utrum divisio demonstrationis in demonstrationem, *propter quid*, & in demonstrationem, *quia*, sit eadem cum ea, qua in demonstrationem *à priori*, & in demonstrationem *à posteriori*, distribuitur? Respondeo negativè. Etenim, ut ex dictis patet, demonstratio *à priori* dicitur omnis illa, quæ per rationem *à priori*, seu per causam, procedit, sive causa illa sit adæquata & convertibilis, sive inadæquata & non con-

convertibilis: demonſtratio autem *propter quid*, vocatur ea dumtaxat, quæ concluſionis cauſam adæquatam & convertibilem proponit. Demonſtratio igitur *propter quid*, non eſt eadem cum demonſtratione *à priori*; ſed iſta latiùs patet, quàm illa, ita ut omnis demonſtratio *propter quid*, ſit quidem *à priori*, non tamen vice verſa.

Inſuper demonſtratio, *quia*, dicitur omnis illa, quæ adæquatam concluſioni cauſam non aſſignat; ſed procedit, vel per effectum proprium, adæquatum, & convertibilem; vel per cauſam inadæquatam, remotam, & non convertibilem; vel demùm per experientiam: demonſtratio verò, *à poſteriori*, eſt illa dumtaxat, quæ vel per effectum, vel per experientiam, vel per aliquid aliud concluſione poſterius, procedit. Demonſtratio ergo, *quia*, eadem non eſt cum demonſtratione à poſteriori; ſed illa latiùs patet, quàm iſta; adeò ut omnis demonſtratio à poſteriori, ſit quidem demonſtratio, *quia*; non tamen è converſo.

Quæres 6. utrùm liceat uti demonſtratione circulari, ſeu regreſſu? Antequam reſpondeamus. Advertendum eſt 1. demonſtrationem circularem eſſe illam, in qua ex præmiſſis colligimus concluſionem, ac iterum ex concluſione cum altera præmiſſarum colligimus & concludimus præmiſſam alteram; ut ſi hoc modo arguamus: *Omne animal particeps rationis, eſt capax diſciplinæ: atqui omnis homo eſt animal particeps rationis: ergo omnis homo eſt diſciplinæ capax*; & rurſus: *Omne animal capax diſciplinæ, eſt rationis particeps; atqui omnis homo eſt capax diſciplinæ: ergo eſt rationis particeps.*

Advertendum eſt 2. circularem demonſtrationem intelligi poſſe fieri, vel in eodem demonſtrationis genere, vel in diverſo: in eodem quidem genere, quando utimur, v. g. ſola demonſtratione *à priori*, vel ſola demonſtratione *à poſterio-*

steriori. Et hic vocatur *circulus uniformis*. In diverso autem genere, dum prius utimur demonstratione *à priori*, & deinde demonstratione *à posteriori*, aut vice versa. Et hic est *circulus non uniformis*; apellaturque *regressus*.

In demonstratione tamdem circulari, vel adhibetur semper idem genus causæ, vel diversum, ut si in prima demonstratione, v.g. utamur causa finali, & in secunda, eamdem etiam causam finalem adducamus; tunc demonstratio est in eodem genere causæ: si verò priùs utamur, v.g. causa finali, & deinde causa formali; tunc est in diverso genere causæ, prout infrà patebit. His præmissis.

Respondeo 1. non licere uti demonstratione circulari in eodem genere causæ, id est, non licere demonstrare & probare idem per idem in eodem genere causæ, & demonstrationis. Sic docent Aristoteles 2. Posteriorum cap. 3. & Peripatetici communiter. Ratio est evidens; nam id per quod *aliquid demonstramus*, aut probamus, debet esse eo *notius*; & *id*, quod probatur debet esse minùs notum; alioquin probatione non Indigeret: si ergo idem per idem demonstraretur & probaretur in eodem causæ & demonstrationis genere, idem foret simul notius & ignotius se ipso; quod absurdum est.

Respondeo 2. licere uti demonstratione circulari in diverso genere causæ. Ratio est, quia sicut causæ diversi generis sunt se invicem priores, ita & quoad se notiores: undè non sequitur, idem esse notius & ignotius se ipso; tum maximè, quia idem per idem non probatur, sed idem per causas diversi generis: hinc licet sic arguere: *Animal præditum anima rationali, capax est beatitudinis: atqui homo est animal præditum anima rationali: ergo est beatitudinis capax*. Quod argumentum procedit per causam finalem. Rectè etiam per causam formalem arguitur: *Animal habens animam rationalem, est beatitudinis capax*:

riat scientiam ; nam syllogismus coalescens ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus, causat scientiam, ideest, cognitionem certam, necessariam, & evidentem ; ut liquet satis: atqui demonstratio est syllogismus coalescens ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus prout colligitur ex ejus definitione superiùs explicata: ergo &c.

Articulus Secundus.

Quomodo præmissarum assensus influat in conclusionis assensum?

Suppono 1. duplicem esse demonstrationem: nempè unam formalem, & alteram objectivam. Demonstratio formalis complectitur tres actus, quibus intellectus demonstrativè, id est, certò, & evidenter procedit ; quorum prior dicitur assensus *majoris*, secundus vocatur assensus *minoris*, & tertius appellatur *conclusionis* assensus. Demonstratio autem objectiva, sunt illorum actuum objecta. Certum autem est, assensus objectivos præmissarum, seu objecta duorum priorum actuum intellectus, non efficienter, sed tantùm objectivè, & per modum causæ formalis extrinsecę, influere in assensum formalem conclusionis: revera namque objecta illa continent dumtaxat rationem formalem objectivam, sub qua intellectus assentitur conclusioni. Est igitur solùm difficultas de formalibus assensibus præmissarum ; utrùm nempè assensus isti efficienter concurrant ad assensum formalem conclusionis, simul cum intellectu? Ad cujus amplioremintelligentiam.

Suppono 2. duos esse conclusionis assensus; nimirum unum formalem, & alterum virtualem. Prior est, cùm intellectus assentitur conclusioni, ut est in se. Posterior autem est, cùm intellectus assensum præbet conclusioni, ut contentæ in

præ-

præmiſſis, ſicut in cauſa, *in qua virtualiter con-*
inetur; unde hic concluſionis aſſenſus non di-
ſtinguitur ab aſſenſu præmiſſarum, ſed eſt hujuſ-
nodi aſſenſus, prout virtualiter ſe extendit ad
concluſionem in præmiſſis contentam. Evidens
utem eſt, aſſenſum præmiſſarum efficienter non
fluere in virtualem concluſionis aſſenſum; alio-
in efficienter in ſe ipſum influerer, quod abſur-
m eſt. Tota ergo controverſia eſt de formali
nclusionis aſſenſus.

Suppono 3. aſſenſum præmiſſarum non effice- x.
aſſenſum concluſionis ad modum principii it
d, ſeu ad modum potentiæ effectivæ; ſolus
m intellectus, eſt tota potentia, quæ conclu-
ii aſſentitur. Controverſia ego ſolùm eſſe po-
an præmiſſarum aſſenſus efficienter concur-
d aſſenſum concluſionis, per modum prin-
quo compleatur & determinetur intelle-
& conſtituatur proximè potens ad aſſen-
um conclusioni.

§. I.

ntentiæ referuntur, & vera eligitur.

a ſententia affirmat, aſſenſus præmiſſa-
nullo modo concurrere, per modum
dl concluſionis aſſenſum; ſed tantummo-
ſupponi, per modum termini *à quo*, aut
m cognitionis præſuppoſitæ. Sic docue-
ii Philoſophi antiqui, aſſerentes, diſcur-
mſtrativũ eſſe dumtaxat motum *quem-*
lectualem, in quo præmiſſarum aſſen-
minus à quo; & aſſenſus concluſionis,
us ad quem tendat *ille motus*.

ſententia aſſeverat, aſſenſum præmiſ-
currere quidem ad modum cauſæ ad
omcluſionis; non tamen cauſalitate
ed tantùm cauſalitate formali extrin-
um ad modum cauſæ formalis extrin-

ſecæ

Prob. 3. ratione fundata in principiis, & doctrina D. Thomæ. Quod complet & determinat causam efficientem ad actionem eliciendam, censetur *ut quo* (seu per modum complementi, & determinationis) in actionem efficienter influere; ob hanc enim rationem species intelligibilis, ex communi Philosophorum doctrina, efficienter influit in intellectionem, *ut quo*; quia nimirum complet ac determinat intellectum ad efficiendam intellectionem: atqui assensus præmissarum complet ac determinat efficientem assensum conclusionis causam, nempè intellectum, ad illum efficiendum: ergo &c. Prob. min. Intellectus non assentitur conclusioni, formaliter ut talis, nisi vi & efficacia assensus præmissarum, ex quibus infertur; ac proinde intellectus non censetur completus, determinatus, ac proximè potens ad assentiendum conclusioni, nisi per assensum præmissarum.

Urgetur magis: commune est axioma, quòd *sicut finis se habet in appetibilibus, ita principia, seu præmissæ in speculabilibus*: sicut enim intentio efficax, sua vi & efficacia movet atque applicat efficienter voluntatem ad electionem mediorum: sic etiam assensus præmissarum demonstrationis, per virtutem ac efficaciam suam, movet applicatque intellectum efficienter ad scientificum conclusionis assensum. Quod explicari potest ampliùs exemplo motuum corporeorum, quorum unus subordinatur alteri; posterior siquidem efficienter ex priori derivatur: hinc motus corporum sublunarium efficienter oriuntur ex motu corporum cœlestium, cui subordinantur: cùm ergo in intellectuali motu demonstrationis, assensus conclusionis subordinetur assensibus præmissarum, ab illis efficienter procedat, necesse est.

§. II.

objectis præsens ... q. etenim assensum.
... intellectum assensus præ-
... conclusionis, solùm ex-
Objic. 1. assensus ... conclusionis, ut putant
sum conclusionis efficienter ... illum intrinsecè illu-
ergo non influit efficienter in ... complendo ac determi-
Respondeo negando illum ... constituendo proximè ad
missarum non illum ... efficiendum potentem ;
intrinsecè ad assensum potius ... illum assensum ; ut
adversarii ; sed potius intrinsecè
strant, ipsum intrinsecè efficiendum
nando, & intrinsecè assensum, ut quo,
præfatum assensum
quod est efficere,
ex dictis liquet.

Inst. lumen, quod est in aere, non influit efficienter in visionem corpoream: ergo pariter assensus præmissarum in mente existentes, non influunt efficienter in assensum conclusionis.

Respondeo 1. negando ant. nam lumen in aere existens, mediante specie sensibili, quam imprimit potentiæ visivæ, per modum complementi & determinationis, efficienter concurrit ad visionem corpoream eliciendam ; quo etiam modo assensus præmissarum efficienter in assensum conclusionis influunt.

Respondeo 2. negando paritatem : disparitas est, quòd lumen in aere existens, est, in se, omnino extrinsecum respectu efficientis causæ visioni corporali, nempè respectu potentiæ visivæ : at formales assensus præmissarū inhærent intrinsecè efficienti causæ assensus conclusionis (nimirum intellectui) quam complent, determinant, & constituunt proximè potentem ad ejusmodi assensum efficiendum, modo superius explicato.

Dices : apprehensio boni amabilis, qua bonum amabile proponitur volūtati, efficienter in amorē sequentem non influit; prout docent communiter

Philosophi: ergo assensus præmissarum pariter non influunt efficienter in conclusionis assensum; sicut enim assensus præmissarum determinant intellectum ad assentiendum conclusioni; ita propositio boni determinat voluntatem ad ipsum amandum.

Respondeo negando paritatem, Disparitas est, quòd propositio boni amabilis, per apprehensionem intellectus, est extrinseca voluntati, & ita nequit eam intrinsecè complere, ac determinare ad amorem efficiendum; at formales præmissarum assensus intrinsecè insunt intellectui quem proinde possunt intrinsecè complere, determinare, ac proximè potentem constituere ad assensum conclusionis eliciendum; quem subinde simul cum intellectu coefficiunt.

Dices rursus: regula dirigens, non est causa efficiens, sed est dumtaxat causa formalis extrinsecè determinans: atqui assensus præmissarum concurrunt ad assensum conclusionis, sicut regula dirigens: ergo &c. Respondeo distinguendo maj. regula dirigens &c. si sit regula purè extrinseca, concedo; si sit regula intrinsecè complens ac determinans causam efficientem ad producendum effectum, nego maj. Assensus autem præmissarum concurrunt ad assensum conclusionis, sicut regula dirigens, non purè extrinseca, sed ut regula intrinsecè complens, determinans, ac constituens intellectum proximè potentem ad assentiendum conclusioni; ut ex dictis liquet.

Dices 3. Ratio specificans reducitur ad causam formalem, non verò ad causam efficientem, ut communiter docent Philosophi: atqui præmissæ demonstrationis se habent ad conclusionem, sicut ratio specificans: ergo &c. Prob. min. ratio *sub qua* intellectus tendit in objectum, apud Philosophos appellatur *ratio specificans*: atqui præmissæ demonstrationis, sunt ratio sub qua intellectus fertur in conclusionem: ergo &c. Respondeo, concessa maj. distinguendo min. atqui

obje-

objectivæ prçmiſſæ demonſtrationis &c. concedo min. atqui formales præmiſſæ demonſtrationis &c. nego min. & conſequentiam ſub diſtinctione data. *Ad prob. min. diſtinguo* maj. objectiva ratio &c. concedo maj. activa ratio &c. nego: & diſtinguo etiam min. atqui objectivæ præmiſſæ demonſtrationis ſunt &c. concedo: atqui formales præmiſſæ demonſtrationis ſunt &c. ſubdiſtinguo: ſunt ratio activa, ſeu effectiva, *ſub qua* &c. concedo: ſunt ratio objectiva, nego min. & conſeq. ſub diſtinctione data.

Dices 4. forma pertinet ad genus cauſæ formalis, non autem ad genus cauſæ efficientis; ut patet: atqui aſſenſus præmiſſarum ſunt formæ quædam informantes intellectum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. forma &c. ſi ſit forma purè informans, concedo: ſi ſit forma intrinſecè complens, determinans, ac conſtituens cauſam efficientem proximè potentem ad operandum (ſicuti ſe habent aſſenſus præmiſſarum, ut ex dictis patet) nego.

Dices 5. Intellectus ut affectus habitu ſcientifico, aut demonſtrativo, eſt ſufficienter potens ad aſſentiendum efficienter concluſioni: ergo neceſſe non eſt, ut aſſenſus præmiſſarum efficienter influant in concluſionis aſſenſum. Reſpondeo diiſtinguendo ant. intellectus &c. eſt ſufficienter potens ad aſſentiendum efficienter concluſionii, in univerſali, concedo; in particulari, nego: licèt enim quilibet habitus ſcientificus, ſeu demonſtrativus, conſtituat intellectum proximè potentem ad aſſentiendum ſcientificè, aut demonſtrativè, concluſioni, modo quodam univerſalli & indeterminato: attamen non fit proximè ac completè potens ad ſcientificè ac demonſtrativè aſſentiendum alicui concluſioni determinatæ in particulari, niſi per particularem ac determinatum præmiſſarum aſſenſum.

Urgebis: ſaltem ſufficiet intelligibilis aut impreſſa ſpecies concluſionis determinatæ in parti-

cularí repræſentativa, ut intellectus conſtituatur potens proximè & completè ad aſſentiendúm ejuſmodi concluſioni.

Reſpondeo cum diſtinctione, & concedo, quòd ſufficiat illa ſpecies ex parte objecti; ſed nego, illam ſufficere ex parte potentiæ intellectualis. Præterea enim opus eſt, ut adſint particulares ac determinati aſſenſus præmiſſarum, quibus potentia intellectualis ex parte ſui compleatur ac determinetur ad illi concluſioni hìc & nunc aſſentiendum.

Objic.2. principium efficiens proximum actus ſecundi, cujuſmodi eſt actualis aſſenſus concluſionis, appellatur à Philoſophis *actus primus*: atqui aſſenſus præmiſſarum nequeunt dici actus primus ergo &c. Prob. min. actus ſecundus nequit dici actus primus; etenim apud Philoſophos, duo actus illi, ab invicem diſtinguuntur: atqui aſſenſus præmiſſarum ſunt actus ſecundi, ſunt namque actiones intellectus: actiones verò potentiæ ſunt actus ejus ſecundi, ut ajunt communiter Philoſophi: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui aſſenſus præmiſſarum nequeunt dici actus primus: ſi conſiderentur per reſpectum ad intellectum in actu ſecundo per illos operantem, concedo: ſi ſpectentur per comparationem ad aſſenſum concluſionis, nego. Ad probationem min. diſtinguo maj. actus ſecundus nequit dici actus primus: ſi actus ſecundus referatur ad potentiam in actu ſecundo operantem, concedo: ſi actus ſecundus comparetur ad actum ſecundum ſequentem, in quem influat per modum complementi & determinationis cauſæ efficientis, nego: & hoc ſecundo modo ſe habent aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis ad aſſenſum concluſionis.

§. III.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 3. & ampliùs inſt. omnis cauſa efficiens debet per actionem à ſe diſtinctã in effectum influere: atqui aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis non influunt in aſſenſum concluſionis per actionem à ſe diſtinctam; quænam enim eſſet actio illa? ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. omnis cauſa efficiens, quæ ſe habet ut principium *quod*, debet &c. concedo: omnis cauſa efficiens, quæ ſe habet ut principium *quo*, & per modum complementi, debet &c. nego: licèt autem aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis, ſint efficientes aſſenſus concluſionis cauſæ; nõ ſe habent tamen ad modum principii *quod*, ſed dumtaxat tamquam complementa, quæ per ſe ipſa determinant intellectum ad aſſentiendum concluſioni; ut ex dictis patet.

Inſt. rurſus: una actio nequit dici efficiens cauſa alterius actionis; etenim cauſa efficiens denotat, vel ſuppoſitum efficienter operans, vel potentiam elicientem actionem ſuam: atqui formales aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis ſunt actiones quædam, aſſenſus quoque concluſionis eſt actio aliqua, ut evidens eſt: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. una actio nequit dici &c. ſi una actio non ſit complementum cauſæ efficientis alterius, concedo. ſi ſit hoc modo complementum cauſæ efficientis, nego: quamvis autem formales aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis, ſint actiones quædam; complent tamen & determinant cauſam efficientem aſſenſus concluſionis, ſcilicet intellectum, ad ipſum efficiendum.

Inſt. inſuper: dum de eodem Petro duas cognitiones ſucceſſivè elicio, una non eſt alterius efficiens cauſa: ergo etiam aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis dici nequeunt cauſa efficiens aſſenſus concluſionis. Reſpondeo negando conſeq. &

paritatem : ut enim unus actus dicatur efficiens causa alterius, requiritur, ut unus, qui posterior est, subordinetur ei, qui prior est, ab ipsoque dependeat: licet autem posterior cognitio Petri succedat priori; illi tamen non subordinatur, nec ab ea dependet: assensus verò conclusionis in demonstratione, subordinatur assensibus præmissarum, ab eisque dependet; ut ex dictis liquet.

Objic. 4. Causa efficiens debet existere, dum effectum producit; ut communiter docent Philosophi: atqui assensus præmissarum demonstrationis non existunt, cùm assensus conclusionis producitur: ergo &c. Prob. min. Primò ex eo, quòd demonstratio est discursus; necesse verò est, ut in discursu, actus sibi succedant, adeò ut dum unus existit, alius præcesserit. Secundò, si dum intellectus assentitur conclusioni, adessent assensus præmissarum, plures cognitiones forent simul: atqui hoc dici nequit; docet quippè D. Thomas 1.p. q. 85. a. 4. intellectum non posse simul plura cognoscere: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. causa efficiens debet, vel formaliter, vel virtualiter, existere, dum effectum producit, concedo: debet semper tunc existere formaliter in se ipsa, nego; satis enim est, ut efficiens causa existat in virtute à se relicta: quamvis autem, dum assensus conclusionis producitur, assensus præmissarum demonstrationis non existant amplius formaliter in se ipsis; existunt tamen virtualiter, seu in sua virtute, quatenus intellectus virtute hujusmodi assensuum manet determinatus ad assentiendum conclusioni.

Inst. ex Aristotele lib. 1. post. c. 1. assensus maj. etiam tempore præcedit assensum conclusionis; ergo efficienter in assensum conclusionis non influit. Respondeo negando conseq. quamvis enim assensus *majoris* præcedat tempore assensum conclusionis, si ille assensus formaliter in se consideretur; attamen si virtualiter, aut secundùm virtutem

n à ſe relictam, ſpectetur, eſt ſimul ſimultate
nporis cum aſſenſu concluſionis, quem antece-
ſola prioritate naturæ, aut cauſalitatis.

Urgebis: contingere poteſt, ut Petrus non re-
rdetur ampliùs prçmiſſarum, & tamen aſſentia-
concluſioni: ergo ſaltem tunc præmiſſæ effi-
nter in concluſionis aſſenſum non influunt.

Reſpondeo negando conſeq. licèt etenim tunc
trus explicitè non recordetur præmiſſarum,
arum tamen implicitè reminiſcitur; & hoc ſuf-
it, ut præmiſſæ virtualiter permanentes, effi-
nter cauſent concluſionis aſſenſum. Quòd ſi
æmiſſæ in mentem Petri, nec explicitè, nec im-
icitè, ſubeant; tunc Petrus non aſſentitur
ncluſioni, ut tali, nimirum ut illatæ ex præ-
iſſis; ſed aſſenſum præbet puræ propoſitioni.

Obji. 5. Simplex apprehenſio præcedens judi-
um, non eſt ipſius efficiens cauſa: ergo etiam
æmiſſæ antecedentes concluſionem, eam effi-
enter non cauſant.

Reſpondeo negando conſequentiam & parita-
em. *Diſparitas eſt, quòd judicium præſuppo-*
it quidem ſimplicem apprehenſionem, eique
ccedit, ſed tamen ipſi non ſubordinatur; unde
mplex apprehenſio eſt tantummodò conditio ad
idicium præſuppoſita: at concluſio ſubordina-
ur præmiſſis, ita ut ex ſubordinatione ad eas,
ex illarum vi inferatur atque producatur.

Inſt. quamvis exiſtentia cauſæ efficientis crea-
, ſit ejus complementum, non influit tamen
ficienter in ejus operationem; ſed eſt dumtaxat
nditio ſine qua, cauſa efficiens non operaretur:
go pariter quamvis aſſenſus præmiſſarum com-
eant & determinent intellectum ad aſſentien-
im concluſioni, non tamen propterea dici poſ-
nt efficientes aſſenſus concluſionis cauſæ.

Reſpondeo iterum negando conſeq. & parita-
m: diſparitas eſt, quòd exiſtentia, eſt cauſæ effi
ntis creatæ complementum in ordine eſſendi
mtaxat: at aſſenſus præmiſſarum complent ac

determinant intellectum in ordine efficiendi, nempè ad efficiendum concluſionis aſſenſum ; ut oſtenſum eſt ſuprà.

Dices: ſi aſſenſus præmiſſarum demonſtrationis efficienter influerent in demonſtrativum concluſionis aſſenſum, poſſet Deus ſupplere influxum effectivum illarum prçmiſſarum,& facere,ut intellectus, abſque influxu præmiſſarum demonſtrationis, eliceret demonſtrativum concluſionis aſſenſum (poteſt quippe Deus ſupplere vices influxus activi aut effectivi cujuſcumque cauſæ efficientis creatæ) atqui hoc dici nequit;demonſtrativus etenim concluſionis aſſenſus eſſentialiter connotat & præſupponit præmiſſarum demonſtrationis aſſenſum: ergo &c.

Reſpondeo negando maj.licèt enim poſſit Deus ſupplere influxum effectivum cujuſcumque cauſæ efficientis creatæ,ejuſque effectum ſine influxu illo præſtare, quando effectus eſſentialiter influxum illum non exigit ; id tamen fieri nequit, ſi effectus illum influxum eſſentialiter connotet,ac præſupponat: demonſtrativus verò concluſionis aſſenſus eſſentialiter connotat ac præſupponit effectivum aſſenſuum præmiſſarum demonſtrationis influxum.

Dices tamdem: terminus *à quo*, efficienter non influit in terminum *ad quem* : atqui uterque præmiſſarum aſſenſus, eſt terminus *à quo* ad aſſenſum concluſionis tranſit intellectus: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. terminus *à quo*, efficienter, &c. ſi ſit merus terminus *à quo*, concedo: ſi ſit ſimul complementum intrinſecum cauſæ efficientis, nego: ambo autem præmiſſarum demonſtrationis aſſenſus complent intrinſecè efficientem aſſenſus concluſionis cauſam (nempè intellectum) ipſamque determinant ad ejuſmodi aſſenſum efficiendum, ut oſtenſum eſt ſuprà.

Articulus Tertius.

Virùm, & quomodo, præmiſſarum demonſtrationis aſſenſus neceſſitent intellectum ad concluſionis aſſenſum?

SUppono 1. hominem poſſe dupliciter ad agendum neceſſitari: videlicet *quoad ſpecificationem*, vel *quoad exercitium*. Tunc homo priori modo ad agendum neceſſitatur, quando, ex ſuppoſitione, quòd agat, ita ad actum unius ſpeciei determinatur, ut actum ſpecificè diſtinctum atque oppoſitum elicere nequaquam poſſit: iſto modo dici poteſt homo ad amorẽ beatitudinis in communi neceſſitari; ita enim homo ad eam ſe habet, ut ex ſuppoſitione, quòd velit circa eam operari, neceſſitetur ad ipſius amorem, nec poſſit ponere odium, quod amori ſpecificè opponitur. Tunc autem aliquis ad agendum neceſſitatus quoad exercitium eſt cenſendus, quando unum actum ita elicit, ut ejus exercitium minimè valeat ſuſpendere: hoc modo beati ad amorem Dei quem clarè vident neceſſitantur; illius etenim amoris exercitium ſuſpendere non valent.

Suppono 2. difficultatem ſolùm eſſe de eo homine, qui percipit rectam demonſtrationis formam ſeu diſpoſitionem ſyllogiſticam, ſecundùm quam præmiſſæ benè legitimèque cum concluſione connectuntur, adeò ut concluſio ex præmiſſis certò & evidenter ſequatur: cui etiam innoteſcit vis & efficacia medii, quo demonſtrativè concluſio probatur: qui advertit quoque, ambas præmiſſas eſſe veras: qui demùm ad hæc omnia actualiter attẽdit. Hinc ruſticus, conceſſis ambabus præmiſſis alicujus demonſtrationis, non neceſſitatur ad aſſentiendum concluſioni, quia legitimam formam ſyllogiſticam, aut etiam medii efficaciam, ignorat. Si inſuper Philoſophus primò aſſentiatur præmiſſis demonſtrationis, & deinde

antequam concludat, præmiſſarum omninò obliviſcatur, proindeque ad eas actualiter non attendat, non neceſſitatur quoque ad concluſionis aſſenſum. His præſuppoſitis.

§. I.

Quæ ſit vera ſententia, declaratur.

PRima ſententia docet, aſſenſum præmiſſarum demonſtrationis non neceſſitare intellectum, etiam præcisè quoad ſpecificationem, ad aſſentiendum concluſioni; ſed poſſe intellectum, etiam poſito utroque præmiſſarum aſſenſu, diſſentire concluſioni. Hanc ſententiam tuetur Linceus.

Secunda ſententia fatetur quidem, intellectum tunc neceſſitari quoad ſpecificationem ad concluſionis aſſenſum: ſed negat, illum neceſſitari quoad exercitium ejuſmodi aſſenſus. Hanc ſententiam propugnant Rubio, Averſa, Franciſcus Alphonſus, Murcia, Tellex, & alii. Huic ſententiæ ut probabili ſubſcribit etiam Joannes Martinez, ex Thomiſtis.

Tertia ſententia affirmat, hominem demonſtrativè arguentem, qui percipit rectam demonſtrationis formam, vim, ac efficaciam medii, veritatem præmiſſarum, & ad hæc omnia actualiter attendit; neceſſitari, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, ad concluſionis aſſenſum, ſuppoſito utroque præmiſſarum aſſenſu. Hanc ſententiam defendunt Cajetanus, Sanchez, Soncinas, Lerma, Joannes à S. Thoma. Complutenſes, Soto, & communiter Thomiſtæ. Eidem ſententiæ favent Durandus, Fonſeca, Conimbricenſes, Hurtado, Pennafiel, & alii plures.

Dico 1. *ille homo demonſtrativè arguens, neceſſitatur quoad ſpecificationem ad aſſentiendum concluſioni, adeò ut ei diſſentire nequaquã poſſit.*

Prob. ita proportionaliter ſe habet intellectus, per aſſenſum, ad verum manifeſtum, ſicut ſe habet vo-

voluntas, per amorem, ad bonum propositum ut bonum: sicuti ergo voluntas nequit odio prosequi bonum propositum ut bonum: sic etiam intellectus nequit dissentire vero manifesto: supposito autem, quòd homo demonstrativè arguens, percipiat rectam dispositionem syllogisticam demonstrationis, vim ac efficaciam medii, & advertat, ambas præmissas esse veras, atque ad hæc omnia attendat; manifestum est ei, conclusionem esse veram; evidens enim est, ex duabus præmissis veris, per rectam dispositionem syllogisticam ordinatis, nec non efficaci medio præditis, non sequi nisi conclusionem veram. Addi potest, quòd sicut objectum odii debet esse malum, saltem apparens; sic etiam objectum dissensus debet esse id, quod saltem falsum appareat: præfata autem conclusio non apparet falsa, sed evidenter est vera; ut constat ex modò dictis.

Dico 2. Idem homo demonstrativè arguens, necessitatur, quoad exercitium, ad conclusionis assensum, ita ut istius assensus exercitium minimè possit suspendere.

Prob. 1. ex D. Thoma 1. p. q. 82. a. 2. ubi hæc scribit: *Intellectus ex necessitate assentitur, cognita connexione necessaria conclusionum ad principia, per demonstrationis deductionem; non autem ex necessitate assentitur, antequàm hujusmodi necessitatem connexionis cognoscat per demonstrationem.* Quibus verbis apertè docet S. Thomas, intellectum necessitari ad assentiendum conclusionibus demonstrationum, statim ac percipit necessariam connexionem ejusmodi conclusionum cum principiis, sive cum præmissis. Hanc autem necessitatem intellectus comparat ibidem S. Doctor cum necessitate voluntatis hominum beatorum ad amãdum Deum clarè visum; homines verò beati Deum, quem clarè vidēt, necessariò amant, etiam quoad exercitium; ut docent communiter Theologi in Tractatu de Beatitudine. Præterea idem Angelicus Doctor, 1. 2. q. 17. a. 6. & 2. 2. q. 2. ar. 9.

tlectus non avertitur à consi-
deratione præmissarum demonstrationis, necessi-
tatur & veluti cogitur ad assensum conclusionis.

Probatur 2. ratione fundata in Doctrina D. Thomæ: tunc aliqua potentia quoad exercitium ad actum aliquem necessitatur, quando exercitium talis actus nequit suspendere; ut ex dictis liquet: atqui supposito, quòd intellectus percipiat rectam dispositionem præmissarum demõstrationis cum conclusione, & conclusionis cum præmissis, atque advertat ad efficaciam medii, nec non ad veritatem præmissarum, exercitium assensus conclusionis suspendere nequit: ergo &c. Prob. min. causa naturalis seu necessaria, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest actionem suspendere; & in hoc differt à causa libera, quæ positis omnibus ad operandum prærequisitis, potest agere, vel non agere: intellectus verò est causa naturalis aut necessaria, non autem libera, cùm ex communi omnium doctrina, libertas in sola voluntate formaliter reperiatur: supposito etiam, quòd intellectus percipiendo rectam dispositionem præmissarum cum conclusione, & conclusionis cum præmissis, & advertendo ad efficaciam medii, nec non ad veritatem præmissarum, assentiatur præmissis, ponuntur, sive adsunt omnia; ad hoc, ut intellectus assensum præbeat conclusioni, requisita.

Explicatur & urgetur: potest quidem voluntas impedire, ne oculi videant aliquod objectum particulare, si oculos claudat; attamen quoniam potentia visiva est naturalis vel necessaria causa, supposito, quòd voluntas palpebras oculorum aperiat, quoad exercitium necessitantur oculi ad videndum objectum ipsis sufficiẽter propositum. Pariter ergo voluntas prohibere quidem potest, ne intellectus consentiat propositioni, quæ est demonstrationis conclusio, dimovendo intellectum ab attentione præmissarum: at supposito, quòd voluntas applicet intellectum assentientem

præ-

præmissis ad considerationem rectæ & syllogisticæ dispositionis earum, ratione cujus præmissæ necessariò connectuntur cum conclusione, & conclusio cum præmissis, in qua consideratione conclusio debitè proponitur & applicatur intellectui unc intellectus, tanquam causa naturalis aut necessaria, necessitatur quoad exercitium ad assentendum conclusioni, huncque assensum nequit voluntas impedire.

Respondent 1. adversarii, negando, adesse omnia, ad hoc, ut intellectus assensum præbeat conclusioni, requisita, ex eo præcisè, quòd intellectus percipiendo rectam dispositionem præmissarum cum conclusione, & conclusionis cum præmissis, & advertendo ad efficaciam medii, nec ad veritatem utriusque præmissæ, assentiatur præmissis; prætereà enim exigitur activa voluntas applicatio, quam ipsa voluntas suspendere ...

contra sic argumentor: ex communi Philosophorum doctrina, demonstratio constat ex ...tionibus necessariis, adeò ut tertia, quæ est ...o, necessariò ex aliis duabus, quæ sunt ...æ, consequatur; ac proinde assensus con... necessariò ex assensu præmissarum sequi... ...ntas ergo applicando intellectum ad ... assensum præmissarum immediatè, ap... ...diatè eundem intellectum ad assensum ...is, ita ut priori applicatione activa po... ...or suspendi nequaquam possit: quem... ...si manus admoveat ignem stupæ im... ...ediatè ipsum admovet ad stupæ com... ...æ necessariò sequitur; ita ut si prior ...ell ponatur, alterius admotionis ...minimè possit.

2. ex communi etiam Thomistarũ ...llectum esse radicaliter liberum; ...utroque assensu præmissarum, ip... ...ionis assensum suspendere. Sed ...mtor: intantùm intellectus di...

citur

citur *radicaliter liber*, inquantùm est radix judicii indifferentis, quo voluntas formaliter libera in suis actibus liberis dirigitur: undè intellectus non denominatur liber à libertate sibi intrinseca, qua intrinsecè informetur; sed à libertate extrinseca existente formaliter in volũtate, quam dirigit: & idcircò dum intellectus, posito utroque præmissarum assensu, assentitur conclusioni, ab intrinseco & formaliter non agit liberè, ita ut possit actionem suam suspendere; sed potiùs operatur ex impetu naturali, adeò ut non possit non operari, aut ab operatione cessare.

Addi potest, assensum conclusionis virtualiter in assensu præmissarum, sicut effectum in causa, contineri: eo igitur ipso, quòd intellectus assentitur præmissis, censetur assentiri conclusioni: si ergo intellectus positis jam præmissarum assensibus, deinde non assentiretur conclusioni, censendus & dicendus foret assentiri, & non assentiri conclusioni; quod manifestè implicat.

§. II.

Objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra 1. conclusionem: intellectus quoad specificationem non necessitatur ad assentiendum ei objecto, cui dissentire potest; ut ex dictis patet: atqui intellectus, posito præmissarum utroque assensu, potest interdum dissentire conclusioni: ergo &c. Prob. min. intellectus potest dissentire objecto, quod evidenter non apparet verum: atqui concessis interdum præmissis, non apparet evidenter, conclusionem esse veram, saltem si syllogismus sit in modo imperfecto; tunc enim reducẽdus est syllogismus imperfectus ad perfectum, (sicut in institutionibus Logicis explicatum est) ut consequentiæ bonitas, & conclusionis veritas, clarè atque evidenter innotescant (ut ibidem declaratum est) ergo &c.

Ref-

Reſpondeo concella ma. negando min. Ad cujus probationem, diſtinguo ma. intellectus poteſt diſſentire objecto, quod evidenter per ſe non apparet verum, concedo: quod evidenter per accidens non apparet verum, ſubdiſtinguo: intellectus poteſt, per accidens, diſſentire tali objecto, cor cedo: poteſt, per ſe, diſſentire, nego. Quando igitur ſyllogiſmus demonſtrativus eſt in modo imperfecto, tunc revera interdum, per accidens, ſeu ob defectum acuminis vel conſiderationis, non apparet quidem bonitas conſequentiæ, vel veritas concluſionis; & ob hanc rationem, ſyllogiſmus ille eſt ad perfectum reducendus; ut nempè homo imbecilli ingenio præditus, poſſit faciliùs bonitatem conſequentiæ, aut veritatem concluſionis, percipere: exteràm in omni ſyllogiſmo demonſtrativo, etiam confecto in modo imperfecto, eſt ſufficiens forma ſyllogiſtica, ſufficienſque medii efficacia, ut ratione illarum, per ſe, evidenter innoteſcant, & bonitas conſequentiæ, & veritas concluſionis; ſi nimirum homo, qui excellenti pollet ingenio, velit ad illas attendere.

Inſt. protervus quandoque, conceſſis præmiſſis, negat conſequentiam, etiamſi ſyllogiſmus ſit demonſtrativus atque perfectus: ergo diſſentit tunc concluſioni; ac proinde quoad ſpecificationem, ad aſſenſum concluſionis non neceſſitatur.

Reſpondeo concceſſo antecedente, diſtinguendo conſequens: ergo, per accidens, diſſentit tunc concluſioni, &c. ex eo nempè, quòd non vult attendere ad rectam diſpoſitionem præmiſſarum cum concluſione, concedo: ergo, per ſe, & attendendo ad præfatam diſpoſitionem, diſſentit tunc, &c. nego: quod autem diximus ſuprà, eſt intelligendum de homine, qui ad legitimam præmiſſarum cum concluſione, & concluſionis cum præmiſſis, diſpoſitionem attendit.

Objic. 2. contra 2. concluſionem: ſi poſito utroque præmiſſarum aſſenſu, quoad exercitium neceſſitaretur intellectus ad concluſionis aſſenſū,

de-

deberet quoque voluntas quoad exercitium necessitari, ad hoc, ut applicaret intellectum ad præfatum assensum; intellectus quippe, & cæteræ potentiæ à voluntate distinctæ, nequeunt in actus suos exire, nisi à voluntate applicentur: atqui volnntas dici non potest ita necessitari: ergo &c. Prob. min. verus conclusionis assensus, est aliquod bonum particulare; ut docet D. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1. ad 3. ubi sic ait: *Voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus; quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare*: ex eodem autem S. Doctore 1. 2. q. 10. a. 2. voluntas à nullo bono particulari ex necessitate movetur, sive circa ipsum non necessitatur, saltem quoad exercitium.

Respondeo distinguendo ma. si posito &c. deberet quoque voluntas quoad exercitium necessitari necessitate ex suppositione, ad hoc, &c. concedo; revera enim supposito, quòd voluntas applicet intellectum ad assentiendum præmissis demonstrationis, consequenter ipsa voluntas ad hoc necessitatur, ut applicet eundem intellectum ad conclusionis assensum, qui cum assensu præmissarum necessariò connectitur. Et distincta similiter min. nego conseq. Ad prob. min. respondeo pariter cun distinctione, & concedo, volontatem circa nullum bonum particulare absolutè necessitari; nihil tamen impedit, ne voluntas quandoque, facta suppositione aliqua, circa bonum aliquod particulare necessitetur.

Inst. voluntas liberè applicat intellectum ad conclusioni assentiendum: ergo ad hoc non necessitatur.

Respondeo 1. distinguendo ant. absolutè voluntas liberè applicat intellectum, &c. concedo: supposita applicatione intellectus ad assentiendum præmissis demonstrationis, voluntas liberè applicat intellectum, &c. nego: & eodem modo distinguendum est consequens: ergo ad hoc absolutè

non

non neceſſitatur, concedo: ergo, [illegible] cationè intellectus ad aſſentiendum [illegible] monſtrationis, ad hoc non [illegible] Reſpondeo 2. conceſſo ant. [illegible] quens: ergo ad hoc non [illegible] abſoluta, concedo: non [illegible] ex ſuppoſitione, nego; ex [illegible] ſtrina, neceſſitas ex ſuppoſitione [illegible] tati.

Objic. 3. poſito utroque [illegible] poteſt intellectus divertere ad [illegible] ſione diſtincta: ergo non [illegible] tiendum concluſioni.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo non neceſſitatur ad aſſentiendum concluſioni, abſolutè loquendo, concedo: non neceſſitatur, ex ſuppoſitione, quòd attendat ad præmiſſas neceſſariò cum concluſione connexas, nego.

Inſt. poſtquàm intellectus aſſenſum præbuit præmiſſis, poteſt earum ampliùs non recordari: ergo ad aſſentiendum ipſis non neceſſitatur. Reſpondeo conceſſo antecedente diſtinguendo conſequens, diſtinctione data: ergo ad aſſentiendum ipſis non neceſſitatur abſolutè, concedo: ergo ad aſſẽtiendum ipſis non neceſſitatur ex ſuppoſitione, quòd ad neceſſariam præmiſſarum cum concluſione connexionem actu attendat, nego.

Objic. 4. interdum, poſito præmiſſarum utroque aſſenſu, indifferens eſt intellectus ad inferendam concluſionem directam, vel indirectam, v. g. ad concluſionem in *barbara*, vel in *baralipton*: ergo ad nullius concluſionis aſſenſum neceſſitatur.

Reſpondeo, dato antecedente, diſtinguendo conſequens: ergo determinatè ad nullius concluſionis aſſenſum neceſſitatur, eſto: ergo diſjunctivè ad nullius concluſionis aſſenſum neceſſitatur, nego; revera enim tunc intellectus diſjunctivè, ſeu ſub diſjunctiva particula, *vel*, ad directam, vel indirectam concluſionem inferẽdam, eique aſſen-

tien-

tiendum, neceſſitatur; & quidem primariò ad concluſionem directam, & ſecundariò ad indirectam, tendit.

Inſtabis: ſuppoſita intentione efficaci alicujus finis, ſi ſint plura ad finem illum obtinendum media, voluntas ad nullius medii electionem neceſſitatur: ergo pariter, ſuppoſito præmiſſarum demonſtrationis utroque aſſenſu, ſi ex hujuſmodi præmiſſis poſſint plures concluſiones inferri, intellectus ad nullius concluſionis aſſenſum neceſſitari dicendus eſt.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ſuppoſita, &c. voluntas ad nullius medii electionem determinatè neceſſitatur, concedo: ad nullius medii electionem disjunctivè neceſſitatur, nego; perſeverante ſiquidem efficaci intentione alicujus finis in voluntate, neceſſe eſt, ut voluntas disjunctivè eligat hoc, vel illud medium, ad intentum finem illum obtinēdum idoneum. Ad conſequens, cum proportionali diſtinctione reſpondendum eſt.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 5. intellectus ad illius duntaxat aſſenſum neceſſitatur, quod evidenter innoteſcit: atqui concluſio in præmiſſis demonſtrationis evidenter non innoteſcit: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. ut aliqua res evidenter innoteſcat, debet explicitè in ſe, formaliterque patere: atqui concluſio formaliter, & explicitè in ſe, non patet in præmiſſis demonſtrationis, ſed virtualiter ſolùm & implicitè: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus probationem diſtinguo maj. ut aliqua res &c. debet explicitè, &c. in recto, vel in obliquo ac de connotato, concedo: in recto ſemper, nego: licèt autem concluſio in præmiſſis demonſtrationis non pateat explicitè & formaliter in ſe

in

in recto, quoniam præmiſsæ explicitè & formaliter non ſunt cõclulio ipſa, ſed implicitè tantùm & virtualiter, ſicut ipſius cauſæ; attamen demonſtrationis præmiſsæ connotant concluſionem explicitè & formaliter in ſe ſumptam, claré & evidenter ex ipſis ſequentem.

Inſt. objectum eminùs poſitum, evidenter ab oculo non videtur: ergo ſimiliter concluſio ab intellectu præmiſſis demonſtrationis aſſentiente, evidenter non cognoſcitur.

Reſpondeo negando conſeq. & paritatem: diſparitas eſt, quòd objectum eminùs poſitum, non eſt ſufficienter propoſitum oculo, ipſique applicatum, ut claré videatur; at dum intellectus aſſentitur præmiſſis demonſtrationis, & attentè conſiderat rectam & ſyllogiſticam diſpoſitionem earum, atque connexionem cum concluſione, & concluſionis cum præmiſſis; tunc concluſio debitè & ſufficienter proponitur & applicatur intellectui, ut evidenter ab eo cognoſcatur; ut ex dictis liquet.

Objic. 6. *omnis actus à voluntate libera imperatus*, eſt liber, non verò neceſſarius, ut ex doctrina communi Philoſophorum colligitur: atqui aſſenſus, quem intellectus præbet concluſioni demonſtrationis, eſt actus à voluntate libera imperatus, cùm fiat ex ejus imperio aut motione: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. omnis actus à voluntate libera imperatus, eſt abſolutè liber, non verò neceſſarius, neceſſitate abſoluta, concedo: eſt ex ſuppoſitione liber, non verò neceſſarius neceſſitate ſuppoſitionis, nego; ut enim communiter dicitur, ſuppoſitionis neceſſitas libertati voluntatis non officit; unde aſſenſus, quem intellectus exhibet concluſioni demonſtrationis, eſt quidem abſolutè liber, utpotè procedens ex imperio, aut ex motione voluntatis liberæ; eſt tamen neceſſarius ex ſuppoſitione utriuſque aſſenſus præmiſſarum, cum quo neceſſariò connectitur.

Di-

Dices: intellectus non indiget habitu ad prorumpendum in actum, quem necessariò ponit; habitus quippe non exiguntur in potentia, nisi ut eam determinent ad agendum; potentia verò jam sufficienter determinata est ad actum, quem necessariò elicit: atqui intellectus ad assentiendum conclusioni demonstrationis Physicæ, v.g. indiget habitu Physicæ: ergo &c.

Respondeo distingnendo ma. intellectus non indiget habitu ad prorumpēdum in actum, quem necessariò ponit, necessitate absoluta, conce. do: quem necessariò ponit, necessitate ex suppositione ad habitum pertinente, nego. Intellectus autem necessariò quidem assentitur conclusioni demonstrationis Physicæ; at non necessitate absoluta, sed duntaxat necessitate ex suppositione utriusque assensus præmissarum ad habitum Physicæ pertinentium.

Objic. 7. simplex apprehensio rei non necessitat Intellectum ad judicium de illa faciendum: ergo similiter assensus præmissarum demonstrationis nequaquam necessitant intellectum ad assensum conclusioni exhibendum: sicut enim assensus præmissarū demonstrationis præcedunt assensum conclusionis; ita simplex apprehensio rei antecedit judicium de ea faciendum.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd judicium supponit quidem simplicem apprehensionem; sed ipsi non subordinatur, nec cum illa connectitur necessariò: at assensus conclusionis demonstrationis subordinatur assensibus præmissarum, & cum illis conjungitur necessariò; ut ex dictis liquet.

Dices 1. assensus præmissarum syllogismi probabilis non necessitant intellectum ad assensum conclusionis; quandoquidem veritas conclusionis syllogismi probabilis evidenter in præmissis non patet: ergo pariter intellectus in assensibus præmissarum demonstrationis nequaquam necessitatur ad conclusionis assensum.

Resp.

Reſpondeo 1. negando conſeq. & paritatem ; diſparitas eſt, quòd eo ipſo, quòd concluſio ſyllogiſmi probabilis, evidenter certòque non repræſentatur in præmiſſis, ſed inevidenter & cum formidine quadam, veriſimiliter tamen ; aſſenſus hujuſmodi concluſioni exhibendus, neceſſariò non connectitur cum aſſenſibus præmiſſarum, ſed contingenter ſolùm, & ſecundùm aliquam congruentiam ; unde priores aſſenſus ad poſteriorem minimè neceſſitant intellectum: at demonſtrationis præmiſſæ, & certò, & evidenter concluſionem repræſentant; & præterea aſſenſus præmiſſarum neceſſariam habent cum aſſenſu concluſionis connexionem.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ant. aſſenſus præmiſſarum ſyllogiſmi probabilis non neceſſitant intellectum ad aſſenſum concluſionis, quoad ipſius veritatem, concedo: quoad illius probabilitatem, nego; ſicut enim veritas concluſionis alicujus demonſtrationis evidenter innoteſcit in præmiſſis; ſic probabilitas, ſeu veriſimilitudo concluſionis ſyllogiſmi probabilis, clarè patet in præmiſſis.

Dices 2. ſi intellectus neceſſariò aſſentiretur cõcluſioni demonſtrationis, foret ad hoc neceſſariò determinatus; ut patet: atqui intellectus nõ eſt ad aſſentiendum concluſioni demonſtrationis neceſſariò determinatus: ergo &c. Prob. min. intellectus non eget pia aut morali motione, vel inclinatione voluntatis, ad id, ad quod jam eſt neceſſariò determinatus ; ut patet: atqui intellectus, ad aſſentiendum concluſioni demonſtrationis, interdum eget pia motione voluntatis: ergo &c. Prob. min. docent communiter Theologi in Tract. de Fide, intellectum indigere, ut piè à voluntate moveatur, aut afficiatur, ad aſſentiendum propoſitionibus fidei divinæ ; concluſio autem demonſtrationis quandoque eſt de fide divina, ut perſpicuum eſt in hac demonſtratione: *Homo Deus Divinam atque humanam habet voluntatem: atqui*

Chri-

Christus est homo Deus: ergo Christus habet divinam & humanam voluntatem.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus probationem concessa iterum ma. nego min. quamvis enim nonnunquam propositio, quæ de fide divina est, sit conclusio demonstrationis Theologicæ; non tamen sub ea ratione, sub qua ad fidem divinam spectat: est quippè conclusio Theologica, prout importat ordinem ad principia Theologica, quibus demonstratur; est verò fidei divinæ propositio, prout subest divinæ revelationi immediatæ. Intellectus ad assentiendum illi propositioni, priori modo sumptæ, determinatur necessariò virtute assensuum principiorum seu præmissarum demonstrationis Theologicæ; ut autem assensum liberum præbeat eidem propositioni, posteriori modo usurpatæ, eget pia voluntatis motione.

Dices 3. si homo viator hanc demonstrationem conficiat: *Summum bonum est super omnia diligendum: atqui Deus est summum bonum: ergo Deus est super omnia diligendus*: homo ille non necessitatur ad assentiendum hujusmodi conclusioni; alioquin necessariò judicaret, Deum esse super omnia diligendum, ipsumque super omnia necessariò amaret; quod est contra communem doctrinam Theologorum asserentium, homines beatos ac comprehensores, necessariò quidem Deum in cœlo amare; at homines viatores liberè Deum in terra diligere.

Respondeo cum distinctione: concedo namque, hominem illum viatorem non necessitari quidem ad assentiendum præfatæ conclusioni consideratæ, ut est propositio per fidem obscuram regulata, & indicat practicè charitatis supernaturalis exercitium: sed nego, hominem illum non necessitari ad præbendum assensum eidem conclusioni spectatæ formaliter, ut illatæ ex præmissis demonstrationis, cum quibus necessariò connectitur. Ex hac autem doctrina sequitur quidem,

intel-

intellectum illius hominis viatoris neceſſariò judicare, ſpeculativè & ſyllogiſticè, non tamen practicè, ac vi obſcuræ fidei divinæ, Deum eſſe ſuper omnia diligendum; quod nihilominus requireretur, ut homo ille viator efficaciter Deum ſuper omnia neceſſariò amaret.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Syllogiſmo probabili, atque fallaci.

PROPRIUM Logicæ munus eſt, docere modum, quo in aliis ſcientiis procedamus: in ipſis verò, non ſolùm concluſiones demonſtrantur, verùm etiam probabiliter ſeu veriſimiliter quandoque probantur: nec immeritò, etenim veriſimilis ſuaſio ſuaviter intellectum diſponit, ut magis connaturaliter demonſtrationis vi convincatur. Nobis etiam circa objecta aliarum ſcientiarum verſantibus occurrunt interdum ſophiſmata, quibus implicamur, quæque neceſſariò ſolvenda ſunt. Operæ pretium igitur eſt, de ſyllogiſmo probabili, atque fallaci, diſſerere in ipſo Logicæ tractatu, ut rationem habeamus, qua & ſyllogiſmos probabiles conficere, & fallaces diſſolvere, valeamus.

Articulus Primus.

Præcipui probabiles loci explicantur.

Locus probabilis à Cicerone in Topicis definitur: *Sedes argumenti probabilis*; id est, promptuarium quoddam, ex quo probabilia, seu verisimilia eruuntur argumenta, quibus de re qualibet in utrāque partem disputare possumus. Hinc appellantur argumenta *Topica*, idest, localia, eo quòd ex certis locis eruantur.

Solent verò decem loci probabiles percenseri. Primus probabilis locus est, *à causis*; quando nempè probabiliter aliquid ex sua causa probatur. Primò quidem ex causa finali; ut si quis probet hominis nobilitatem ex excellentia finis, ad quem à Deo conditus est; ex eo videlicet, quòd ut gloriam æternam consequatur, produxit illum Deus. Secundò ex causa efficiente; ut si probare aggrediar alicujus operis præstantiam ex industria artificis, à quo effectum est. Tertiò ex causa formali; ut si probes, hominem cæteris animalibus antecellere, ex formæ aut animæ rationalis illustri origine. Quartò tādem ex causa materiali; ut si ostendam alicujus doni magnitudinem, aut magnificentiam, ex eminentia materiæ v.g. quia ex argento, vel auro, constat.

Secundus probabilis locus est *ab effectibus*; quando nimirum causæ præstantiam, per effectus excellentiam probamus; ut si supremi ducis exercitus, fortitudinem animi, ac prudentiam, ostendamus ex reportata insigni victoria.

Tertius locus probabilis est *à subjecto*; dum nempè accidentis excellentia ex subjecti præstantia probatur; ut si quis suadeat, accidentia animæ humanæ esse accidentibus corporis præstantiora, quoniam inhærent excellentiori subjecto.

Quartus locus est *ab adjunctis*, id est, à circumstantiis; quando nimirum aliquid de re ostenditur

ex

ex iis, quæ ipsi adjunguntur, seu, quæ ipsam circumstant; ut si probem, v. g. aliquem esse doctrinarum studiosum, quia libros numquam de manibus deponit, vel quia semper in libros incumbit.

Quintus locus est *à contrariis*; cùm nimirum ex illis, quæ uni contrario competunt, persuadeo, opposita alteri contrario convenire, ut si probem, virtutem esse amandam, quia vitium, quod virtuti contrariatur, est odiosum.

Sextus locus est *à simili*; dum videlicet, similiter ex alio simili colligitur; ut si fiat hoc argumentum: *Deus pepercit D. Mariæ Magdalenæ pœnitenti: ergo & tibi parcet, si similem egeris pœnitentiam.*

Septimus locus est *à nomine*, seu à nuncupatione rei; quando nempè aliquid de re probamus ex ejus nomine, sive ex ipsius nuncupatione; ut si sic arguam: *Qui à virtute nuncupatur, virtuosus sit, postulat ratio: atqui vir à virtute nuncupatur: ergo vir virtuosus sit, postulat ratio.*

Octavus locus est *à definitione*; quando nimirum arguimus ab iis, quæ in rei definitione ponuntur; ut si probemus, solum hominem, inter omnia animalia, ratione uti eo quòd in solius hominis definitione, hi duo termini ponantur, *animal rationale.*

Nonus locus est *à divisione*; dum scilicet ex partibus sufficienter enumeratis arguimus ad totum, aut è contra; ut si hoc modo argumentemur: *Est homo, vel brutum: ergo est animal.* Item: *Est animal: ergo est homo, vel brutum.*

Decimus & ultimus probabilis locus est *à testimonio*, vel ab authoritate: nonnumquam verò authoritas, ex qua desumuntur argumenta, divina est; ut dum ex testimonio scripturæ divinæ arguimus: & tunc argumentum est Theologicè demonstrativũ: quòdq; autẽ authoritas est dumtaxat humana; ut cùm in Philosophia, aliquid autho-

ritate Aristotelis, vel in Theologia aliquid authoritate D. Thomæ probatur.

Articulus Ultimus.

Quæ frequentiùs fiunt sophismata exponuntur.

Syllogismus tunc fallax est, cùm speciem habet veritatis, sed fallit tamen, & in errorem inducit. Dum autem iste syllogismus similis est demonstrationi, tunc *Paralogismus* vocatur; alii ipsum *Pseudographum* appellant. *Paralogismus* etiam dici potest, cum syllogismus fallax, fit bona fide, & non fallendi animo; dum verò adest decipiendi voluntas, tunc *syllogismus captiosus* vocitatur: si autem speciem habet syllogismi probabilis, tunc propriè *sophisticus* nominatur:

Omnis verò fallacia, vel in forma syllogistica, vel in vocibus, vel in rebus significatis, posita est. Circa formæ syllogisticæ fallaciam nihil supereſt dicendum: ex dictis namque in tertia parte institutionum Logicalium, satis superque constat, quæ sit legitima Syllogismi forma, & quæ defectuosa, atque ad fallendum apta: quæ autem in vocibus est cavillatio, quinque præsertim contingit modis.

Primò quidem, cùm in vocibus est æquivocatio; dum nempè aliquis in argumento voce utitur æquivoca; ut fit isto in syllogismo: *Omnis canis est latrabilis: atqui aliquod sydus cæleste est canis: ergo aliquod sydus cæleste est latrabile.*

Secundò, cùm in contextu sermonis invenitur amphibologia: estque dum aliquis utitur phrasi ambigui & ancipitis sensus, cujusmodi olim erant plerumque Deorum oracula: sic Pirrho Epirotarum regi jamjam cum

Ro-

Romanis pugnaturo, & quærenti, an Romanos vincere poſſet? Reſpondit oraculum: *Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe*: quæ phraſis amphibologica erat, aut ambigua, & atque ſignificare poterat, Pirrhum à Romanis vincendum, ac Romanos à Pyrrho ſuperandos.

Tertiò cùm à ſenſu diviſo ad compoſitum, vel à ſenſu compoſito ad diviſum, arguens tranſit; ut ſi aliquis ſic arguat: *Qui habet potentiam ad ambulandum, poteſt ambulare: atqui Petrus ſedendo, habet potentiam ad ambulandum: ergo Petrus ſedendo, poteſt ambulare*: etenim in ma. propoſitione eſt ſenſus diviſus, ſecundùm quem habens potentiam ad ambulandum, poteſt exercere ambulationem diviſim à ſeſſione: in concluſione verò fit ſenſus compoſitus, ratione cujus, ſeſſio & ambulatio ſimul in Petro componuntur ſeu conjunguntur: ideòque in argumento illo fit à ſenſu diviſo ad compoſitum tranſitus.

Quartò cùm accentus in ſyllogiſmo variatur de brevi in longum, vel è contra; ut ſi quis ita arguat: *Qui occidit, moritur: atqui gladius occidit: ergo gladius moritur*. Etenim verbum *occidit*, in ma. propoſitione, cum accentu brevi, & in min. propoſitione, cum accentu longo profertur.

Quintò tandem, cum contingit in ſyllogiſmo generis variatio 3. v. g. dum maſculinum genus in neutrum mutatur: ut in hoc argumento cernere licet: *Omne corpus riſibile eſt coloratum: atqui paries eſt corpus riſibile: ergo paries eſt coloratum*. Hæcque cavillatio ſolet, *fallacia dictionis*, nominari: eſtque omninò puerilis.

Quæ verò in rebus latent fallaciæ, hæ ſæpiùs ſunt, quæ ſatis difficilè deprehenduntur. Prima & vulgata eſt ea, quæ *accidentis fallacia* dicitur, quæque tunc evenit, quando à ſecun-

dis intentionibus ad primas argumentamur; ut si hanc efficiamus argumentationem: *Animal est genus: atqui homo est animal: ergo homo est genus.*

Secunda est *à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter*, aut viciſſim; ut ſi quis, vinum ex eo ſimpliciter noxium eſſe concludat, quòd ſecundùm quid, ſeu quibuſdam hominibus, v. g. ægrotis, plerumque noceat: atque hæc cavillatio frequens eſt in vita civili.

Tertia eſt *ignoratio elenchi*; quæ contingit, cùm aliud probamus, per id ipſum, quod ab adverſario negatum fuit ut perſæpè evenit in ipſo diſputationis æſtu.

Quarta eſt *petitio principii*; cùm nempè illud, quod in queſtionem venit, ut certum ſupponitur, & ut principium ad probandam concluſionem aſſumitur. Ut ſi Phyſicam prædeterminationem neganti, probare velim, Deum Phyſicè cauſas ſecundas prædeterminare, quia prius in illas influit; id enim eſt, de quo potiſſimum quæritur, an Deus præviè in cauſas ſecundas Phyſicè influat?

Quinta, & maximè uſitata fallacia, eſt *à non cauſa pro cauſa*; cùm ſcilicet loco cauſæ afferimus, quod nullo modo cauſæ habet rationem; ut ſi quis ita arguat: *Seditiones excitare, malum eſt: atqui propter Euangelium, plures fuere exitatæ ſeditiones: ergo Euangelium malum eſt*; neque enim Euangelium revera fuit ſeditionum cauſa: ſed malitia impiorum fidem perſequentium; & eo prætextu urbes, provincias; regna: imò & imperia turbantium.

Sexta cavillatio, à multiplici interrogatione proficiſcitur; cùm ſcilicet multæ interrogationes ira de oppoſitis fiunt, ut una & ſimplex videatur; adeò ut una & ſimplex reſponſio detur: ut ſi quis ita interroget: *Virtus, & iniquitas, eſt ne bona, vel mala?* ſi enim alius reſpondeat una ſimplicique reſponſione: *Eſt bona:*

infert,

infert, qui interrogavit: *Ergo iniquitas est bona.*

Septima fallacia est, *contradictionis apparentis*; cùm nempè ex iis contradicti infertur, ea quibus contradictio nulla sequitur: ut si quis ita argumentetur? *Æthiops est albus secundùm dentes, & secundùm alia membra albus non est; ergo Æthiops albus est, & non albus*: nulla verò contradictio est, quòd Æthiops secundùm dentes albus sit, & secundùm cætera membra albus non sit.

Octava fallacia est *consequentis*; quæ tunc fit, cùm aliquis conversim argumentatur in iis, quæ minimè convertuntur; ut si aliquis hunc efficiat syllogismum: *Omne quod currit, movetur: ergo omne, quod movetur currit.* Alia sunt plura sophismata; sed ea nullo negotio refelluntur. Quare, & cautionum, & totius Logicæ, hìc finis esto: in gloriam Dei, honoremque Beatissimæ Virginis Deiparæ, & in laudem Doctoris Angelici.

Finis Totius Logicæ.

3512

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

BIBLIOTECA D. F. N.
MONTEFUSCO
(Av)
CAP.

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

Inches 1 2 3 4 5 6 7

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

Kodak Color Control Patches

© Kodak, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color


Kodak Gray Scale
C
Y
M
© Kodak, 2
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17